HOMILIÆ

VENERABILIS FR.

CAESARII

HEISTERBACENSIS MONACHI

Sacri Ordinis Ciſtercienſium:

QVIBVSCVNQVE CONCIONAtoribus, Religioſis verò inprimis vtiles, ad Sermones Spiritales inſtituendos.

Pars Tertia.

IN DOMINICAS PENTECOSTES, ET DEINCEPS, VSQVE AD NATIVITATEM CHRISTI

Per R. P. F.

IOANN. ANDREAM Coppenſtein Mandalenſem,
Ordinis Prædicatorum Theologum.

Nunc primum ex peruetuſto M. S. Cod. ad typos euulgata: additis ad marginem Lemmatis, & Citationibus adnotatis,

COLONIAE,

Apud Petrum Henningium,

Anno MDCXV.

Permiſſu Superiorum.

ADMODVM REVERENDO

PATRI IN CHRISTO

AC DOMINO,

MATTHIAE NISAEO

Sacri Ordinis Ciſtercienſium

ABBATI

HIMMENRODENSIS

CLAVSTRI

VIGILANTISSIMO ET DIGNISSIMO,

Amorem IESV *& fauorem* MARIAE *Precatur*

Fr. IOANN. ANDREAS Coppenſtein Mandalenſ. Ordin. Prædicatorum.

HOnori ac nomini *Admodum Reuerendæ Paternitatis Veſtræ Alteram de Dominicis Partem Cæſarij nuncuparam: cum ecce Veſtro ex Conuentu perfertur ad me illa multo mihi optatiſſima eiuſdem* Cæſarij Pars de Sanctis. *Cum eadem nunc ad R. P. V. redeo; & reddo datum: Neu quid mecum rei retundarum ageretur. Reddo autem ſic apparatum; vt veniam mihi & præfari. & precari neceſſe habeam: adeo raptim ac perfunctorie ipſum excurri legendo. Nec aliter potuit*

It vero libri minus à me illuſtrati culpam ſuſtinet vnus: qui vnus omnem ex eo quæſtum ſibi facit. Ab eo tunc recepi typis aptandum, cum & Partes Dominicales iam eſſent excuſæ: & ille duntaxat ſemideſcriptus; & alias diurnas, nocturnaſque ſcriptiones, vrgente me

prælo,

prælo, vrgere cogerer.

Non tamen nihil præſtiti. Confuſum acinuium paragraphorum ſemitus interſtinxi: ad marginem aliquid afflaui diecula: Citationes indagaui. etſi idem non ad finem profligaui: neceſſitate; non voluntate. Margo vacuus loquitur; & nimium: ſub calcem potiſſimum.

Hoc tamen inde capiet experimentum Lector: quod, accuratiore mea deſtitutus Marginalium cura, nec Rem ipſam Autoris, reique ſeriem perinde hic faciles vt in Dominicis, prænoſcere; nec, poſtquam perlegit, lecta animo repetere; difficilius memoriâ ſepire; minus cuſtodire, & ex ea reddere valebit.

Niſi hoc forte iſtis medeatur incommodis; quod Autor minus ſubtiliter hic, minusque continenter allegorizet: quodque moralizet breuiter, à textu ad textum breuiore paſſu procedendo. Quod ni foret; Pars hac in lucem iret pæne ſine luce. Verum ea cum & celeritate, & felicitate ſperô diſtrahendum fore Cæſarium, vt Curæ Secundæ ſint accuratioribus dandis locum habituræ.

Cæterum quod præſens fert dies, laborque parit præproperus; id oro Adm. R. P. Veſtra *æqui boni conſulat; meaque ſtudia Bono conſecrata publico, paterno fauore proſequatur, ad Dei, Deiparæ, Diuorum, Eccleſiæ, Veſtrique iuxta ac Noſtri Ordinis gloriam & honorem: in meorum vero etiam delictorum pœnitentiam ſalutarem. Raptim Moguntiæ, in Conuentu FF. Ordinis Prædicatorum, Kalendis Martijs Anno M. DC. XV.*

Adm. R. Pater. Veſtræ

Seruus in Chriſto,

Fr. Ioann. Andreas Coppenſtein,
Ordin. Prædicatorum.

CAESARII HOMILIARVM AESTIVALIVM initium.

IN DIE SACROSANCTO PENTECOSTES. ſecundum Ioannem.

In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis. *Si quis diligit me, ſermonē meum ſeruabit.* Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

A dilectione incipit, & in dilectione finit. Tota ſeries ſacrę huius lectionis, de qua loqui cœpimus, de pace & dilectione tractat: & benè congruit hodiernæ ſolemnitati, feſto ſcilicet Spiritus ſancti: qui eſt pax & charitas, & Spiritalis vnctio. Ait itaque.

Si quis diligit me, ſermonem meū ſeruabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Tria Dominus in hac clauſula commemorat, quæ virtute charitatis poſſumus promereri, patris ad nos dilectionem, noſtram ad illum peruentionem, vtriuſque nobiſcum, ſiue æternam cum vtroque manſionem.

Cum ex merito charitatis, Chriſto promittente & adiuuāte, tria hęc poſſint haberi, neceſſarium eſt nobis ſcire, quid ſit dilectio? vnde dicatur? quis ſit illius effectus? quis ordo? quod ſignum? quis fructus.

Dilectio, quæ alio nomine charitas vocatur, mentis eſt affectus ad Deum, & ad proximum, iuxta legis præceptum, feruēter & diſcretè porrectus.

Dilectio quid ſit.

Vt autem ethimologiam ex hoc nomine eliciamus, dici poteſt dilectio quaſi diligens lectio. Bene legit, bene lectionem ſuam affirmauit, *qui diligit*: quia *legem ad implet*. Poteſt etiam dici dilectio dualis lex, à dya, quod eſt, duo, & lex, quia non poteſt eſſe niſi inter duos ad minus. Conſiſtit etiam dilectio in duobus præceptis, ſcilicet dilectione Dei & proximi. *In his duobus præceptis lex vniuerſa pendet & prophetæ.*

Vnde dicta.

Effectus dilectionis ſiue charitatis in motu eſt: penes illum meritum cōſiſtit eſſentialiter. Motus charitatis diligere eſt: hic præponitur eleemoſynis, ieiunijs, & miſericordię operibus vniuerſis quia penes opera charitatis meritum tantum cōſiſtit inſtrumentaliter.

Eius effectus in motu.

Charitas augeri dicitur quandoque ſecundum habitum: quandoque ſecundum effectum. In his duobus dicitur non poſſe augeri, ſiue minui: aliquando ſecundùm feruorem motuum, aliquando ſecundùm multitudinem operum. In his duobus & minuitur, & augetur. Ecce exemplū de ſole.

Quatenus augetur vel minuitur.

Corpus ſolare non poteſt in ſe augeri, vel minui: licet in oculis noſtris ſecundum eleuationem, ſiue depreſſionem creſcat, vel decreſcat. De ſole radius procedit habens ſplēdorem atque calorem. ſplendore terra illuminatur; calore fœcundatur. ſol deſignat ipſam qualitatem mentis; quæ ſimplex eſt, quæ nec augeri, vel minui poteſt. Motus vero qualitatis, eiuſdem charitatis ſcilicet, maxquater

Simile per elegans.

ter incenditur; vt ad merēdum ſit efficacior, & ad opera bona gignenda feruentior. Sicut calor Solis cum tepidus eſt; de terra minus efficax eſt producere germina, ita & charitatis, feruor cum tepeſcit, minus eſt idoneus ad virtutū opera procreanda.

Quis ordo dilectionis. Sequitur de ordine charitatis, quòd charitas debeat eſſe ordinata, teſtatur ſponſa in Canticis canticorū dicens: *c ordinauit me in charitatem.* Eſt igitur ordo charitatis, vt primo loco Deum, qui ſupra nos eſt, diligamus: ſecundo noſipſos, tertio proximum, qui eſt iuxta nos, quarto, quod ſub nobis eſt, ſcilicet carnem. c. Cant.

Erga Deū. Diligēdus eſt Deus, ſicut ipſe docuit, *ex toto corde*, id eſt intellectu, ſine errore, *ex tota anima*, id eſt, volūtate, ſine contrarietate: *ex tota mente*; id eſt memoria ſiue obliuione.

Erga proximum. De dilectione proximi mox ſubiungit: *Et proximum tuum ſicut teipſum*: id eſt, ad id, ad quod teipſum. Non requirit à nobis Deus impoſſibilia: hæc cōiunctio, *ſicut*: non ſemper notat æqualitatem: ſed nonnunquam minoritatem; vt ibi: *e & renouabitur ſicut aquila iuuentus tua.* Renouatio reſurrectionis glorioſæ, multo maior & dignior erit, quàm Aquilæ. e. Pſalm.

Ordo dilectionis proximi beati. Notate fratres quandam diſtinctionem præſenti loco ſatis neceſſariam. Diligit viator viatorem, comprehenſor comprehenſorem, viator comprehenſorem, comprehēſor viatorem. 1. Diligit, inquā, viator viatorem, vt prædictum eſt, ad id, ad quod ſeipſum, id eſt, ad vitam æternam. 2. Diligit comprehēſor comprehenſorem, id eſt, ciuis ciuem; in ea in quo ſeipſum. 3. Diligit viator comprehenſorem, in eo, ad quod ſeipſum. 4. Diligit comprehenſor viatorem, ad id, in quo ſeipſum.

Et morālium. In dilectione etiam proximorū ordo ſeruandus eſt: vnde Beatus Ambroſius ſuper hunc locum, *ordinauit in me charitatem*; ſic dicit: *Hac eſt ordinata charitas, vt primò Deum diligamus: ſecundò parentes: tertiò filios: quartò domeſticos. Qui ſi boni ſunt, malis filijs ſunt præponendi: demum extraneos.*

Obiectio. Huic ordini quidam contradicunt, aſſerentes, non ita puram & fortem eſſe dilectionem, qua diligūtur parentes: quam eam, qua afficimur circa extraneos: & hoc propter fecem carnalis affectus.

Reſpōſio. Quibus primo loco reſpondeo, illa auctoritate, ſcire facere, & non obſeruare ordinem; non eſt ſummæ perfectionis. Vinum debile citius defecatur: fortè verò vinum & nobile tardius fæces ſuas deſerit: Nunquid illo deterius, quia non purius? Abſit: omnes enim ſunt æqualiter diligendi, id eſt, ad æquale bonum, ſcilicet ad vitam æternam, affectu, ſed non effectu, quantum ad exteriorum exhibitionem. Simile.

Charitas obſeruat & præcepta. *Signum charitatis* in operis exhibitione conſiſtit: vnde Ioannes dicit de Chriſto: *f In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ipſe pro nobis animam ſuam poſuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Non eſt tam euidens ſignū dilectionis, vt pro amore Chriſti & ſalute proximi animam ſuam quis ponat, id eſt, moriatur: non ergo ſine cauſa dicit Dominus: *g Qui diligit me, ſermones meos ſeruabit: h hæc eſt charitas Dei,* ſicut idem dicit Ioannes, *vt mandata eius cuſtodiamus.* f. 1. Ioann. g. Ioan. 14. 23. h. 1. Ioā. 5. 3.

Nota-

Notate, quòd non dicit, ſermonem meum, ſed ſermones pluraliter: Sermones conſiſtunt in præceptis, & conſilijs: Præceptum eſt: i *videte ne corda veſtra grauentur in crapula & ebrietate*: conſilium verò, k *qui poteſt capere capiat*. Vitia prohibentur, virtutes præcipiuntur: vitia ſunt idolatria, concupiſcentia, adulteria, furta, periuria, hiſque ſimilia: quæ in vtroque teſtamento prohibentur. Virtutes ſunt, dilectio, cultus Dei, obedientia, miſericordia, hiſque ſimilia, quæ in vtroque præcipiuntur teſtamento.

i. Luc. 21. 34.

k. Mat. 19 12.

Et conſilia.

Cōſilium caſtitatis.

Quia cuſtodia virginitatis non eſt de præcepto, ſed de conſilio: Apoſtolus dicit: l *De virginibus domini præceptum non habeo: conſilium autem do.* De cōſilio etiam eſt vita clauſtralium, nihil in hoc mundo poſſidentium. De hoc exemplum in Euangelio habemus ſatis manifeſtum: m cùm adoleſcens quidā à Saluatore conſilium quæreret, & diceret: *Magiſter bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* & Dominus ei præcepta legis proponeret, quorum obſeruatio ei ſufficere poſſet ad ſalutem: reſpondit adoleſcens: *Omnia hæc cuſtodiui à iuuentute mea: quid adhuc mihi deeſt? Ieſus autem intuens eum, dilexit eum*, quaſi vera dicentem: cui & dixit, *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me.* Non dixit ſi vis habere vitam, quam bonis operibus poterat promereri: ſed, *ſi vis perfectus eſſe*, quod eſt Apoſtolorum, & eorum qui Chriſti vitam imitantur; quaſi diceret: Si vis in iudicio non iudicari, ſed iudicare: meam paupertatem, qui iudex futurus ſum, imitare. Mira hæc poteſtas his, qui nihil in hoc mundo propter Chriſtum poſſident, neque in proprietate, neque in propria voluntate, promiſſa eſt.

l. 1. Cor. 7. 25.

m. Marc. 10. 17.

Sed dicit clauſtralis: videtur mihi in conſilio profeſſionis monaſticæ non tam periculum, quàm diſpendium eſſe. Dicit enim actoritas: quantò indebita, tantò gratiora: Ergo homo ſæcularis amplius meretur in eo opere, cui ego voto aſtrictus ſum, quàm ego: poteſt ille continere, orare, ieiunare, vigilare, laborare, quomodo ego: poteſt perigrinari, eleemoſynam dare, quod non ego. Ecce hic diſpendium conſidero.

Obiectio. An ob votum ſit opus minus meritorium.

Bene: qui hæc cogitas vel dicis, virtutem ſubiectionis & obedientiæ, voti, & paupertatis voluntariæ non attendis. Cùm eſſes eiuſdem libertatis, cuius ille, neceſſitatem tibi induxiſti: inijciendo pedes tuos in compedes Domini. Si meritorium eſt de neceſſitate facere virtutem, multò melius multoque dignius eſt, libertatem propter Chriſtum conuertere in neceſſitatem, hoc tu feciſti, ad alienum ambulans imperium, eadem libertate, immò multo liberiori voluntate, qua & ille, facis opera meritoria. Quòd ſi ex permiſſione Abbatis tui poſſes abeſſe vigilijs, carnibus veſci, alijſque quæ ad commodum carnis pertinent, frequenter vti, puto quòd non de facili, niſi ſalua obedientia acquieſceres; ſi tamen bonus Monachus eſſes.

Reſpōſio. Non: ſed magis.

Petro dictum eſt à Domino, n *cùm eſſes iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cum autem ſenueris extendes manum tuam, & alius te cinget & ducet quo non vis.* Ergo Petrus plus meruit in ſua liber-

n. Ioann. 21. 18. Exēplum.

tate iuuenis, quoniam poſtea ſenex in cruce, martyrij neceſsitate? abſit. Habebis igitur ô Monache, quiſquis talis es, ſingulare præmium ex voto, quo te Chriſto obligaſti: ſpeciale donum ex cõſilio, quo ſecutus es Chriſtum, te & tua omnia pro illius amore relinquendo. Hæc ſine præiudicio melioris ſententiæ dicta ſint.

Deus nos prior dilexit.

o. 1. Ioan. 4.10.

Fructus dilectionis dilectio Patris eſt, de qua ſubiungitur. *Et Pater meus diliget eum.* Cum *diligit* ſit præſentis temporis, & *diliget* futuri: videtur dilectio noſtra cauſa eſſe diuinæ dilectionis: quod Apoſtolus Ioannes negat dicens: *o non quaſi nos dilexerimus eum, ſed quia ipſe prior dilexit nos.* Ex hac auctoritate probatur dilectionem Dei cauſam eſſe noſtræ dilectionis: quod verum eſt.

Deus tripliciter nos diligit.

p. Ro. 8.30

q. Eph. 1.3.

Vt autem quæſtio hæc ſoluatur, in dilectione Dei diſtinctio habenda eſt. Diligit electos ſuos Deus Pater ab æterno, prædeſtinando; diligit in tempore, iuſtificãdo: diligit vitam æternam largiendo. Prima dilectio cauſa eſt ſecundæ: quia quos *p prædeſtinauit, hos & iuſtificauit.* Vnde & Apoſtolus in laudem erumpens ait: *q Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cæleſtibus in Chriſto Ieſu: ſicut elegit nos in Chriſto ante mundi cõſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate: qui prædeſtinauit nos in adoptione filiorum, in qua gratificauit nos in dilecto Filio ſuo.* Hęc dilectio, id eſt, appoſitio gratiæ efficit, vt diligamus Patrem: per quam meremur, vt nos diligat Pater, bona æterna conferendo. Quando erit hoc fratres? cum ad eum mole corporis depoſita, veniemus.

Dilectio iũgit Deo.

Chariſſimi notate etiam, quòd cum premiſiſſet ſingulariter, *qui diligit me, Pater meus diliget eum*: ſtatim pluraliter ſubiunxit, *& ad eum veniemus.* Nouerat diſcipulis nõ ſufficere, quicquid gratiæ vel gloriæ perciperent ſine ipſo, in quorum etiã perſona Dauid dicit in Pſalmo: *Quid enim mihi eſt in cælo: ſubaudi ſine te: & a te quid volui ſuper terram?* Puto, vehementer illos cum Chriſto maluiſſe peregrinari in mundo, quam ſine illo regnare in cœlo. Ita ardenter illum amabant, ſicut ex diuerſis Euãgelij locis colligitur, vt non poſſent æquanimiter audire, quotiens de reditu ad Patrem illis proponebat.

Et hæc eſt ipſa beatitudo.

ſ. Luc. 10. 18.

t. Mat. 17. 4.

Et quia non ſufficit ad Patrẽ venire, niſi detur cohabitare: adiecit, *& manſionem apud eum faciemus.* Audierant à Domino; *ſ vidi Sathanam quaſi fulgur de cælo cadentem.* Lucifer quidẽ in cœlo fuit, ſed quia Dominum diligere noluit, apud eum manſionem facere non potuit. Quãtæ ſit iucunditatis, quantæ verò beatitudinis, cohabitare filio & hoc apud Patrem, teſtes ſunt Petrus, Iacobus, & Ioannes: qui cum modicum quod gloriæ corporis eius vidiſſent, & vocem Patris audiuiſſent, viſionis pondus portare non valentes, in terram ceciderunt, Petro exclamante; *t Domine bonum eſt nos hic eſſe*, & cætera. Si bonum iudicabant ibi eſſe, vbi audiendo ceciderunt, vbi videndo defecerunt: quantum erit ibi bonum vbi ipſa deitas indefectiuè videbitur, vbi Perſonarũ Trinitas cognoſcetur, audietur, & in æternum laudabitur? Sequitur.

Qui

Signũ non amati Dei.

Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat, ſicut ſignum eſt dilectionis cuſtodia ſermonũ Chriſti: ita ſignum eſt quòd minimè diligatur, ſi ſermones eius paruipendantur. Homo clauſtralis ſi facilis fuerit ad inobedientiam, pronus ad diſciplinæ tranſgreſſionem, ad murmurationẽ, ad verba ſcurrilia atque otioſa, & ad ea quæ ſalutis ſunt & gratiæ, minus ſollicitus; ipſe ſibi teſtis eſt, alijſque ſignum, quòd Chriſtũ ſalutis auctorem non diligat.

Tribus modis ſermones illius ſeruandi ſunt, in corde per memoriam, in ore per prædicationẽ: in manibus per operationem.

Sermo Prædicatorum eſt Dei.

Et ſermonem quem audiſtis, non eſt meus, ſed eius qui miſit me Patris. Caſus hic ponitur pro caſu, per figurã, quæ dicitur antitheſis. Ne diſcipuli ſermonem magiſtri, vtpote hominis, quem videbant eſurire, dormire, commedere, laſſari, atque lacrimari, deſpicerẽt: illum Patris eſſe dicebat, non ſuum. Verba legati non ſunt legati, cum tamẽ illa proferat, ſed mittentis. *u Deus Pater*, ſicut dicit Apoſt. *locutus eſt nobis in Filio quem conſtituit hæredem vniuerſorum:* Vnde & ipſe Filius dicit: *x Omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.*

Simile.

u. *Hebr.* 1. 12.

x. *Ioan.* 15. 15.

Sic & Superiorum verba ſunt Dei.

Quòd vero Filius verba ſua non dicit eſſe ſua, ſed Patris, quorum opera ſunt indiuiſa, propter eos factũ arbitror, qui alieno parent imperio: Quãdo prælati ſubiectis, quibus fortè inferiores ſunt, conditione, vita, & ſcientia loquuntur præcipiendo, vel prohibendo; exhortãdo vel comminando; non illorum verba reputanda ſunt; ſed Chriſti, qui per illorum ora loquitur nobis: vnde ipſis dicitur; *y Qui vos audit me audit.* Item diſcipulis; *z Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.*

y. *Luc.* 10. 16.

z. *Mat.* 10. 20.

Docente & ſuggerente S. Spiritu.

De quo Spiritu mox ſubditur: *Spiritus autem paracletus quẽ mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcũque dixero vobis.* Suprà dixerat: *hæc locutus ſum vobis apud vos manens.* Multo efficacius docet & ſuggerit vox Spiritualis intrinſecus; quã vox corporalis exterius: vnde & alibi dicebat Dominus: *a Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Cum autẽ venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Duo diſcipulis in hoc loco promittuntur in aduẽtu eiuſdem ſpiritus ſancti: doctrina videlicet & ſuggeſtio. Dictum eſt ſuperius, ſermones Domini conſiſtere in duobus, id eſt, in præceptis & conſilijs.

a. *Ioan.* 16. 12.

Doctrina S. Spiritus in præceptis eſt.

Doctrina Spiritus Sancti neceſſaria eſt nobis in præceptis, ad quæ tenemur, per quã cognoſcere poſſimus, quid nobis faciẽdum, quidue ſit omittendũ: Vnde Dauid orat in Pſalmo: *b Bonitatem & diſciplinam, & ſcientiam doce me, quia mãdatis tuis credidi.* Itẽ: *c Iuſtificationes tuas doce me.*

b. *Pſal.* 118

c. *Pſa.* 118.

Suggeſtio in conſilijs.

Similiter & ſuggeſtio Spiritus ſancti plurimum neceſſaria eſt in cõſilijs, quia niſi ipſe ſua virtute intus ſuggerat, in vanum lingua foris laborat. Matthæo Publicano ad lucra Thelonei ſedenti, cum Dominus diceret, *ſequere me, d mox ille relictis omnibus ſurgens ſecutus eſt eum.* E contra cum adoleſcenti, cuius ſupra memini, de perfectione ſciſcitanti re-

d. *Matt.* 2. 14.

e. *Mat.* 10. 31.

Hæc executio eſt d. ſi cilior

reſponderet, *e ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus & veni ſequere me*, ille triſtis abijt, & nec ſecutus eſt eũ: difficilius mens renunciat licitis, quam illicitis, quia ibi operatur amor iuſtitiæ; hic etiam accedit timor pœnæ.

Conſilia ſiunt præcepta, vouentibus. Hoc tamen ſcire debetis, fratres, quia ipſa conſilia, poſt obligationem voti, loco præceptorum nobis ſunt ſeruãda: ſemel proprietati, propriæque voluntati renunciauimus, ſemel diſciplinam regularem profeſſi ſumus; reſilire non poſſumus. Attamẽ in ipſa vita Monaſtica plurima ſunt conſilia, vti eſt diſciplina laboris, lectionis, ſilentij, quæ ad ordinis decorem ſunt inſtituta.

Scrupulus. Sed dicit quis: quando in capitulo pro horum tranſgreſſione veniam peto, illaque ſi manifeſta fuerint, cõfiteor, & dicit mihi pręſidens: ite ſeſſum, & de cętero cauete, nunquid inobedientiæ culpam incurro, ſi rurſum eadem commiſero? non: niſi, quod abſit, contemptus accedat: vnde ſic intelligẽdum arbitror verbum præſidentis. Cõſulo, vt de his exceſſibus caueas, ne recidiuando maiori pœnæ ſubiaceas. Ad diuinum officiũ tardius occurrere, ſignare horis incertis, ſine licentia terminos egredi, & cætera huiuſmodi, nemo prudentum mortale indicat, niſi, vt dixi, cõtemptus accedatur. In eodem enim genere operis quãdoque vnus venialiter, & alter mortaliter peccat; verbi cauſa: ſi aliquod peccatum, vt eſt ſermo otioſus, quod per ſe veniale eſt, mihi viſum fuerit mortale, illudque commiſero; mortale mihi efficitur, & hoc propter conſcientiam & contemptum. Quòd ſi peccatum in ſuo genere veniale fecero, & poſt perpetrationem primum mihi viſum fuerit mortale, non ideo mihi mortale eſt, quia *piarum mentium eſt timere culpam, vbi non eſt.* Quòd ſi de eodem confeſſionem facere mihi cura non eſt, pro mortali mihi reputatur propter conſcientiam.

Reſolutio.

Veniale vni poteſt eſſe mortale alteri.

Pro cauſitate peccantis. Omne peccatum committitur vel ex ignorantia, vel infirmitate, vel ex malitia. Duo præcedentia valde peccatum attenuant: ſicut exempla habemus de filiabus Loth, & Apoſtolo, tertium aggrauatur.

Huc opus S. Spiritu. In huiuſmodi perplexionibus plurimum neceſſaria eſt doctrina & ſuggeſtio Spiritus Sancti vt: per illã ſcire quid ſit faciendum, & per iſtam facienda adimplere poſſimus.

Pax ſequitur dilectionem. Sequitur: *Pacem relinquo vobis: pacem meam do vobis.* Dilectioni pax continuatur, quia per illam meretur. Quamdiu homo homini inuidet, magnam contra illum guerram in corde tenet: ſed mox vt illum diligere cœperit, omnis controuerſia conquieſcit. Hæc eſt pax pectoris, per quam meretur homo pacem æternitatis: illam reliquit, hanc dabit: hæc eſt pax de qua dicit: *pacem meam do*, id eſt, dabo vobis. Eſt enim triplex pax, temporis, pectoris, æternitatis. Primę pacis etiam meminit cùm ſubiungit.

Eaque triplex eſt.

Pax mundi periculoſa eſt. *Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Pax temporis aliquando periculoſa eſt, nutrix vitiorum; vnde de illa & alibi dicit diſcipulus *f Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram. Non veni pacem mittere, ſed gladium*: & cætera. Aſcendens Chriſtus in cœlum, pacem

f. Mat. 10. 34.

pacem pectoris ſuis reliquit, pacem æternitatis promiſit, pacem temporis turbauit: *Veni*, inquit, *ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam: & nurũ aduerſus ſocrum ſuam, & inimici hominis domeſtici eius.*

g. Ibidem

Quia nouerat Dominus diſcipulos nondum contra mala imminentia virtute Spiritus Sancti armatos, verba conſolationis ſubiunxit, dicens: *Non turbetur cor veſtrum, neque formidet. Audiſtis, quia ego dixi vobis: vado, & venio ad vos*, duo promittit contra duo: quia ſciebat illos de ſuo receſſu corporali non modicum poſſe turbari, dixit: 1. *Non turbetur cor veſtrum* propter meam abſentiam, *quia vado ad Patrem præparare vobis locum: expedit enim vobis vt ego vadam.* 2. Neque formidetis terrorem hominum vobis imminentium, quia *venio*, id eſt, veniam ad vos in multa conſolatione Spiritus Sancti, per quem tribulationes vobis vertentur in delitias.

Chriſti promiſſio & conſolatio in aduerſis.

Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem; quaſi diceret: non me diligitis, ſi beatitudini meæ non congaudetis. Quid beatitudinis, quidue gloriæ aſſumptus homo conſecutus ſit à Patre; mox latenter oſtendit, cùm ſubiunxit, *quia Pater maior me eſt*: ac ſi diceret; Si mihi ſecundùm quòd homo æqualis Pater eſſet, in quo amplius me bearet? nuncque maior me eſt, vtpote Deus homine, creator creatura, ad dexteram ſuam ſedere me faciet, omnia ſub pedibus meis ſubijciẽs: vnde Apoſt. *Chriſtus factus eſt obediens Patri, vſque ad mortem, mortem autẽ crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen; vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus eſt in dextera Dei ſedens.*

Spe beatitudinis.

Liquet exemplo Chriſti.

h. Philip. 2 9.

Reuerſus eſt, vt dixi, in die Pentecoſtes ad Apoſtolos, reuertetur etiã in fine mũdi ad Eccleſiam ſuam glorificandam: ipſe eſt i *homo* ille *nobilis*, de ſtirpe regia deſcendens, *qui abijt* in die aſcenſionis *in regionem longinquam*, id eſt, de mundo in cœlum, *accipere regnum & reuerti.*

Glorificaturi ſuos ſimiliter ſui.

i. Luc. 15. 13.

Et nunc dixi vobis, priuſquam fiat: vt, cum factum fuerit, credatis. Quæ prædicuntur, vt noſtis, magis placẽt, magiſque promiſſorum fidem confirmant, cùm fuerint impleta.

Sequitur: *Iam non multa loquar vobiſcum*, ſcilicet propter imminens tẽpus paſſionis. *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.*

Cum ante aliquot annos in Lombardia hereſiarcha quidam Ioannis Euangelium ſolemniter legeret, i[n]traſſetque ſcholas eius Ioannes Epiſcopus Cameracenſis cum Henrico Scholaſtico S. Gereonis in Colonia, & Hermanno nunc Decano Bõnenſi, legeretque illũ locũ: *nunc princeps huius mũdi ejcietur foras*; ſic expoſuit. Ecce Chriſtus diabolũ vocat principẽ huius mũdi: quia creauit hũc mũdum, erat .n. Manichæus duo credẽs principia: Deum bonũ, & deũ malũ.

Exẽplum explicãtis hunc locũ hæretici.

Reuera diabolus principatur huic mundo, quantum in maligno poſitus eſt, nihil in eo creando, ſed mala ſuggerendo. Hic ad Chriſtum venit, quotiens per ſe ſiue per malos homines illum tentauit, ſed nihil ſui iuris in eo reperit: quia ſicut

Dæmon principatur ſuggerendo, nõ creando.

ſicut ſine peccato cõceptus eſt & natus: ita ſine omni culpa in hoc mundo eſt conuerſatus.

Christus redimendo.

Vnde non immeritò dicere potuit; *Et vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.* Mandatum Patris fuit, vt Filius pro mundi ſalute pateretur: Et quia ipſe nihil cõtraxerat de culpa Adæ, idcircò eius ſolius paſſio ad redimendum nos ſufficere potuit.

Et obediendo.

Quam paratiſſimus fuit ad mandatum hoc implendum, declarauit, cùm protinus ſubiunxit: *Surgite, eamus.* Cum locutus fuiſſet ſermonẽ Ieſus ſedendo, ſurgens ad locum paſſionis properauit, quoniam perfectè

Hoc eſt, diligendô ſecũdum mandatũ.

Patrem diligeret ex ipſo motu corporis oſtendens. Sicut dicit Philoſophus, nihil eſt quod non toleret, qui perfectè diligit: k *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Ipſa eſt mandatum nouum, de qua ipſe dicebat diſcipulis ſuis: l *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* Qui cum trãſiret torrentem Cedron, vbi erat cõprehendendus, vt in eis dilectio hæc perſeueraret, poſt verba orationis in fine orationis ſic ait ad Patrem. *Vt dilectio, qua dilexiſti me in ipſis ſit, & ego in ipſis.* Ipſa ſancta dilectio eſt illud *latum mandatum Dei nimis*, cuius feruore per totum mundum pro Chriſti fide, & fratrum ſalute innumerabiles martyres animas ſuas poſuere. Quam nos cuſtodire, & in nobis cõſeruare dignetur Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui cum Patre & Spiritu S. viuit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

k. Ioan. 15. 13.

l. Ioan. 13. 34.

m. Pſ. 118

DOMINICA PRIMA POST FESTVM PENTECOSTES DE SANCTA Trinitate ſecundùm Ioannem.

CAP. XV.

IN illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: *Cùm venerit Paracletus quẽ ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit; ille teſtimonium perhibebit de me.* Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo II.

Sanctiſſimæ Trinitatis myſteriũ docetur primum ex Euãgelio.

SOlennitas hodierna requirit, vt *de myſterio Trinitatis atque Vnitatis aliquid dicere debeamus.* Quod in perſonis ſit proprietas, & in eſſentia vnitas, ipſe Patris Vnicus manifeſtat, cum dicit: *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre.* Perſonam Spiritus S. nobis declarat cũ dicit: *Cùm venerit Spiritus Paracletus*: ſua verò perſonã cum ſubiungit, *quem ego mittam vobis.* Genitoris perſonam, cùm concludit: *a Patre.* Si non eſſet in his tribus perſonis Vnitas eſſentiæ; non diceret Filius de Patre: a *Ego & Pater vnum ſumus:* Item diſcipulis dicit: b *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt:* dicit & de ſpiritu Sancto: *Spiritus Sanctus, qui a Patre procedit.*

Item Vnitas.

a. Ioann. 10. 30.

b. Ioan. 14. 10.

Et Proceſſio s ſpiritus à Patre.

Quòd autem procedat à Filio certiſsimum habemus teſtimonium, vbi diſcipulos inſufflauit & dixit: d *accipite Spiritũ Sanctũ:* qua auctoritate diceret Filius ſe mittere Paracletum; ſi non ab ipſo procederet? Item

A Filio.

c. Ioan. 15. 26.

d. Ioan. 20 22.

ſi Pater

Ab vtroque iunctim non diuiſim. ſi Pater non eſſet in Filio, eiuſdē cum ipſo ſubſtantię, voluntatis, atque potentiæ, non illum mitteret à Patre.

Secūdo ex vetere te ſtamento. Sanctæ & indiuiduæ huius Trinitatis vnitatem, non ſolum Noui, ſed & veteris Teſtamenti nobis teſtimonia declarant: ait enim S. Moyſes in principio Geneſeos: e *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Pater & Filius. e. Gene. 1. Principium appellat Filium, qui dicit: f *Ego ſum α & ω: principium & finis.* f. Apoc. 1. 8: item in alio loco Iudæis quærentibus, quis eſſet, reſpondit: *Principiū, qui & loquor vobis.* g. Ioā. 8. 25 In hoc principio Deus Pater creauit cœlum & terram, id eſt, omnem creaturam viſibilem & inuiſibilem, corporalem & ſpiritualem: De Spiritu Sancto Spiritus S. ſtatim ſubiungit: *Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* h. Geneſ. 1. 2. Huic ſententiæ concordat Pſalmiſta vbi dicit, i *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* i. Pſa. 32. 6 Cumque Dominus Deus, omnibus creatis, diſpoſitis, & ornatis, ad hominis creationem veniret, ait: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram:* k. Gene. 1. 26. Tertiò ex imagine Dei in manoſtra. in verbo plurali, *faciamus* ſcilicet, perſonarum exprimens Trinitatem, & in nomine *imaginis* ſiue ſimilitudinis eſſentiæ vnitatem. Factus eſt homo ſimilis Patri per memoriam; Filio per rationem; Spiritui ſancto per amorem. Tres etenim ſunt vires animæ, ſcilicet rationalitas, iraſcibilitas, concupiſcibilitas: habebit etiam tres dotes anima in futuro, videlicet cognitionem, dilectionem, fruitionem. Ecce quemodo Trinitas in anima reſultat humana.

4. Ex cœlorum indicio. In figura ſummæ Trinitatis tres cœlos materiales Deus creauit: empyreum, ſydereum, aerium. Per cœlum empyreum, quod nobis inuiſibile eſt, perſona Patris exprimitur, de quo ſcriptum eſt: *Deum nemo vidit vnquam.* l. Ioā. 1. 18. Per cœlum ſydereum, quod & firmamentum Scriptura vocat, perſona Filij: de quo Pſalmiſta dicit m *Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meū, & refugium meū, & liberator meus.* m. Pſal. 17. Per cœlum aerium Perſona Spiritus Sancti, de quo Chriſtus dicit: n *Spiritus vbi vult ſpirat.* n. Ioan 3. 8 Sicut ſpiraculum ab aere, vt viuere poſſit, trahit corpus: ita à Spiritu Sancto habet, vt viuat anima.

5. Ex ornatu cœlorū. Quodlibet trium horum cœlorum habet ornatum ſuum. Ornatus primi cœli multitudo ſanctorū Angelorum, ornatus ſecūdi gloria ſtellarum, ornatus tertij diuerſitas volatilium. 1. De Patre dicit Filius o *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt:* o. Mat. 18. 10. ſcil. empyreo. Qui licet vbique ſit per eſſentiā? ibi tamen Sanctis viſibilem ſe exhibet. 2. De Filio typice quidam dicebat: *Species cœli, gloria ſtellarum, mundum illuminans in altiſſimis Dominus.* Quid dixerim Solem & Lunam, niſi Chriſti vitam atque doctrinam? Cæteræ ſtellæ virtutes animi eius deſignant, ſcilicet humilitatem, patientiam, miſericordiam, obedientiam, hiſque ſimilia, quibus mundi tenebras temperauit & illuminauit multis miraculis coruſcans. 3. Spiritus Sanctus in ſpecie colūbæ, (quæ auis ſicut & cæteræ, ornatus eſt aeris,) ſuper Chriſtum in Iordane viſus eſt.

Non hanc poſui ſimilitudinem, vt per eam aliqua, quod abſit in San-

ſta Trinitate notetur inæqualitas: ſed quodammodo perſonarum per illam ſignetur proprietas.

6. Ex Figuris. Prima. Vt nobis imprimeret Deus memoriam ſummæ & indiuiduæ Trinitatis, tres Patriarchas principales ex omnibus elegit, id eſt, Abrahā, Iſaac, & Iacob: ex quibus primo, id eſt, Abrahæ in tribus Angelis apparens, mysterium Trinitatis illi reuelauit: quod ipſe benè intelligens; nunc quaſi tribus, nunc quaſi vni loquebatur: ſacramentum Trinitatis & vnitatis per hoc ſe noſſe nobis innotuit. Triduo q iam idem Abraham venit ad locum, vbi filium Deo immolare diſpoſuerat. Ipſa verò Sanctæ Trinitatis cognitio vi i eſt trium dierum, de qua Moyſes dicit in Exodo: *r Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum ſacrificare Domino in deſerto.* Nullum ſacrificiū Deo dignius offertur in deſerto cordis fide ſanctæ Trinitatis.

p. Gen.18. 3.& 19.2.

Secunda figura. q. Gen.22.

Tertia figura. r. Exo.5.3.

Quarta figura. ſ.1. Eſdr.6 19. t. Actor.2. u. Mat.1.9. Quid enim dicam de tribus præcipuis ſolennitatibus, Paſcha ſcilicet, Pentecoſte, *u* Scenopegia, quæ Deus in figura ſummæ Trinitatis obſeruari voluit? nam & in vno tabernaculo tres diſtinctiones fieri præcepit, videlicet Sancta ſanctorū, Sanctuarium, Atrium, vt Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum vnum Deum intelligamus. De ſingulis dicere ſermonis compendium non ſinit.

Quinta figura. x. Exo.38.

6 Docetur S. Trinitas ex Nouo Teſtamētoſymboliсè. Primo. Tranſeamus nunc ad nouum Teſtamētum. In figura Trinitatis Chriſtus tribus diſcipulis, Petro ſcilicet & Iacobo, & Ioanne ſecum aſſumptis, gloriam ſuam illis oſtendit, qui in eadem glorificatione tres perſonas viderunt: ipſum Ieſum in medio, Moyſen, & Eliam hinc inde: omne etiam tempus præſens per ternarium diſtinguitur: ſcilicet tempus ante legem, tempus ſub lege, & tempus gratiæ: ſic & liber Pſalterij in tres quinquagenas quibus eadem tempora diſtinguuntur, diuiditur. Hęc pauca ex multis pro exemplo de Trinitatis vnitatiſque myſterio dicta ſufficiant. Secundò. Tertiò.

Quàm ineffabilis, quàm inexplicabilis, & quàm ſalubris ſit ſecretum atque memoria ſummæ & indiuiduæ Trinitatis, *ternis* pandam *exemplis.*

Exēplum primum paſſæ raptum in Trinitate. Sāctimonialis quædam ante paucos annos, cùm die Dominica ſtaret in choro, & Fides Athanaſij decantaretur, ad primam, illaque myſterium Trinitatis & vnitatis attenderet; mente excedens tantum ſuauitatis atque intelligentiæ de eodem ſacramento concepit; vt Abbati noſtro, qui Pater eſt eiuſdem domus, verbis exprimere non poſſet. Durauit autem in eodem exceſſu vſque ad inceptionem Miſſæ matutinalis: tunc demum à ſororibus tacta, ad ſe reuerſa eſt: erat autem fœmina Sancta & religioſa valde, plurimas percipiens diuinitus conſolationes.

Secundum exemplū Quòd S. Trinitas ſit inexplicabilis. Pene ſimile de Simonide Philoſopho. Tullius libro 1. de Natura Deorum. Vide Lycoſth. Apophtheg. Deus. Quod verò ratione explicari, ſeu ſapientia humana comprehendi non poſſit hoc diuinum myſterium ſubſequens declarat exemplum. Quod dicturus ſum veridica didici relatione.

Die quadam, cum Pariſijs in ſcholis cuiuſdam eximij magiſtri diſputatio haberetur de ſacramento Trinitatis, cœperunt ab eo ſcholares requirere aliquam manifeſtam ſimilitudinem, per quam intelligere valerent, quomodo in vna Deitate tres eſſent

eſſent perſonæ, Pater ſcilicet, Filius, & Spiritus Sanctus, ita, vt quælibet earundem perſonarum Deus ſit: nec tamen tres Dij, ſed vnus credendus ſit: quibus ille de ſcientia ſua præſumens reſpondit: cras dicam vobis bonam ſimilitudinem; cui tota nocte per cogitationem laboranti cum nihil relatione dignum occurreret, & mane ſcholas intranti, diſcipuli dum promiſſam ſimilitudinem importunius exigerent, tacuit ille: qui cum inſtarent, Magiſter capucio caput operiens cum ſilétio exiuit. y & ſupra ripam ſequani reſidés, amplius de interrogatis meditari cœpit: Et ecce infantulum ſpecioſiſſimum cōtra ſe ſedere conſpexit; qui foſſam modicam quam fecerat digito, flumē crebrius intincto eandem foſſulam diligenter intus circumliniuit. In cuius aſpectu delectatus, cum eum interrogaret, & diceret: quid operaris bone puer, reſpondit: ego omnes aquas fluminis huius inducere volo in hanc foſſam: cui cum diceret ſcholaſticus, hoc omninò impoſſibile eſt: ſubiunxit infans: poſſibilius mihi eſt hoc facere, quàm te per ſimilitudinem ſacramentum Trinitatis poſſe explicare: ad quod verbum mox diſparens, quid de ſacramento credere, quidue alios docere deberet, ſatis inſtruxit. Qui Deo gratias agens ad diſcipulos rediit: & ſuam inſufficientiam confeſſus, quòd ſacramentum Trinitatis & vnitatis non ratione, ſed fide diſcutiendum eſſet, edocuit.

y Simile de S. Auguſtino Tho. Cant. lib. 2 Apium.

Quid verò boni honor & memoria Sanctæ & viuificæ Trinitatis, non ſolùm viuis, ſed & mortuis conferat: exemplum ſubſequens manifeſtat.

Retulit mihi domina Mechtildis Magiſtra in Fuſenich, quod dicturus ſum. Cum quædam ex ſororibus defuncta eſſet, quædam alia ſoror defunctæ, vt puto Matertera plurima ei Pſalteria legit, ſingulis Pſalmis adijciens, gloria Patri cum inclinatione. Poſt paucos dies mortua viuenti apparens, & pro beneficijs gratias agens, cum illa de ſtatu eius requireret, reſpondit: valde orationibus tuis adiuta ſum; vnum enim feciſti, quod tu minus attendebas, quod maximè mihi profuit: dicente illa, quid fuit illud? reſpondit, honor, quem inclinando exhibuiſti Sanctæ Trinitati, quando verſiculum eius decantaſti. Reuertamur nunc ad verba Domini.

Exēplum tertium, quod cultus S. Trinitatis proſit defunctis

Cum præmiſiſſet *cum venerit Spiritus paraclytus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*, ſubiunxit, *ille teſtimonium perhibebit de me.* Venit ergo Spiritus Sanctus, ſicut ſcribit Lucas, x in die Pentecoſtes ſuper Apoſtolos in linguis igneis, præmiſſo ſono valido: qui cùm cœpiſſent loqui varijs linguis, conuenit multitudo, & mente confuſa eſt, quam audiebat vnuſquiſque lingua ſua illos loquentes: quos cum quidam dicerent muſto ebrios, Spiritus Sanctus per os Petri teſtimonium perhibens Chriſto, affirmauit, quia ipſe conſtitutus eſſet Iudex viuorum & mortuorum; teſtimonia Prophetarum inducens.

x. Actor. 2.

Quo loquente cecidit Spiritus Sanctus ſuper omnes, qui audiebant verbum, ita, vt non ſolum ex circumciſione credentes, ſed & gentes linguis loquerentur, & Deum magnificarent.

Præmiſſo teſtimonio Spiritus S. conuerſus ad diſcipulos ait: *Et vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.* Sic legimus non ſolum in Apoſtolorum actis, ſed etiã in eorum paſſionibus: coram regibus, & principibus, & filijs Iſrael teſtimoniũ prædicando perhibuerunt de Chriſto omnium horum, quæ audierant, & viderant de Chriſto ab initio vocationis ſuæ vſque ad diem Aſcenſionis eius in cœlum.

Quid pro tali teſtimonio paſſuri eſſent, prædixit, cum ait: *Abſque ſynagogis facient vos*, id eſt, extra ſynagogas facient vos, quod tantũ tunc valuit apud Iudæos, quantum nunc excommunicatio.

Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo. Iudæi falsò zelantes legem, diſcipulos flagellauerũt, Stephanum & Iacobum vtrumque occiderunt, multos credentium de Iudæa expellentes: cæteri diſcipuli cùm gentibus prædicarent, ille quaſi Deorum ſuorum inimicos inſequentes interfecerunt: & hi omnes obſequiũ ſe præſtare Deo arbitrati ſunt. *Et hæc*, inquit, *facient vobis: quia non nouerunt Patrem, neque me.* y *Si enim*
y.1.Cor.2.8. *Deum cognouiſſent, nunquam Dominũ gloriæ* Iudæi *crucifixiſſent*: neq; illius membra Pagani occidiſſent.

Sed hæc locutus ſum vobis, vt, cùm venerit hora, eorum reminiſcamini; quia hæc dixi vobis. Iacula præuiſa minus feriunt: benè recordati ſunt diſcipuli verborum Chriſti, cum paterentur, ſed quia Spiritus paracletus eorum paſſionibus non deficit,
z.Mat.10.28. tormentis animus cedere non nouit. Meminerunt ſibi dictum: z *Nolite timere eos, qui occidũt corpus, animam autem occidere non poſſunt.* Non timuit Petrus Neronẽ: non timuit Andreas Aegeam: neque alij diſcipuli ſuos tortores; quia *vbi Spiritus Domini, ibi libertas, ibi pax, & ſecuritas.* a.2.Cor.3.17. Ipſe Spiritus Sanctus Paracletus beatis martyribus quod loquerẽtur, inſpirauit, contra tyrannos animauit, cum paterentur, velut teſtam, roborauit. Cui cum Patre & Filio, à quibus procedit æternaliter, honor ſit & imperium, per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

DOMINICA SECVNDA POST PENTECOSTEN ſecundum Lucam.

CAP. XVI.

IN illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Homo quidã erat diues, & induebatur purpura, & byſſo: & epulabatur quotidiè ſplẽdidè. Et reliqua. Sermo III.

HOMILIA DE EADEM lectione.

DIuitem iſtum quatuor præcipuis vitijs ſubiaciſſe, ſacræ huius lectionis initia manifeſtãt; In precioſitate veſtimentorum notatur ſuperbia: in ſplendore epularum gula: in retentione micarum auaritia: in eo quòd Lazaro pauperi ad oſtium ſuũ clamanti non eſt compaſſus, in miſericordia. Partitio.

Contra has quatuor peſtes, quæ in Ioele a deſignantur per erucam, a.Ioel.2.25. locuſtam, bruchum, & rubiginem; S. Pater noſter Benedictus quadrupli-

cem

tem adhibuit medicinā, ſpecies ſingulas ſcripto commendans. Sciens veſtitum præcioſo, vt eſt purpura & byſſus, culpam non deeſſe, neque habitum eſſe pœnitentiæ, ſed humanæ gloriæ: ſic ait. *b Nos in mediocribus locis ſufficere credimus Monachis, per ſingulos cucullam & tunicā: Cucullam in hyeme villoſam, in æſtate purā aut vetuſtam.*

Veſtitus precioſus religioſus dedecet.

b. S. Benedictus in Regula.

Animaduertens etiā Ioannem propter aſperitatem veſtitus ſui à Domino commēdatum, & eos, qui mollibus veſtiuntur, magis eſſe debere in palatio, quàm in monaſterio: ſubiunxit: *De quarum rerum omniū colore aut groſſitudine non cauſentur Monachi: ſed quales inueniri poſſunt in prouincia, qua habitant, vel quod vilius comparari poteſt.*

Decet aſper & incultus.

Attendāt hoc qui in peccato regulari ſubtilitatem, mollitiē, vel colorem appetunt, aut requirunt: tales non conſiderant patres noſtros antiquos, in quorum laude dicit Apoſt. *c circuierunt in melotis in pellibus caprinis: quibus dignus non erat mundus.* Paulus primus Eremita, qui vſus eſt tunica palmicea, moriens in cœlum delatus eſt, cum concentu Angelico.

Qualis primorum Chriſtianorum.

c. Hebr. 11. 37.

Econtra diues iſte; qui induebatur purpura & byſſo, ſepultus eſt in inferno. Byſſus eſt quoddam genus lini candidiſſimum, conſiderans S. Pater, lini mollitiem magis eſſe mulierum quàm virorum, Monachis in via dirigendis ſolummodo fœmoralia concedit. *Fœmoralia*, inquit, *hi qui in via diriguntur, de veſtiario accipiant: qui reuertentes lota ibi reſtituant.* Superbus, vt magnificus videatur, ſatagit veſtiri duplicibus; indui mollibus, præcioſis ornari, propter quod dicit Apoſtolus: *d non in veſte pretioſa.*

d. 1. Timo. 2. 9.

Cum quidam Philoſophus in veſte contemptibili principis aulam adiſſet, & diu pulſans non fuiſſet admiſſus, ſed quoties tentaſſet ingredi, toties contigiſſet eum repelli: mutauit habitum, & aſſumpſit ornatum: tunc ad primam vocem aditus patuit venienti, qui procedens ad Principē palliū quod geſtabat cœpit venerabiliter oſculari: ſuper quo Princeps admiratus, quare hoc ageret, inquiſiuit: Et Philoſophus: honorantem honoro, quia quod virtus non potuit, veſtis obtinuit. O vanitas vanitatum! plus honoris deferri veſtibus quàm virtutibus, plus venuſtati quàm honeſtati.

Exemplū cultus Aulici.

Ex his quæ dicta ſunt ſatis probatur veſtes precioſas indicium eſſe ſuperbiæ, non neceſſitatis, vnde quidam Sapiens ait: *e in veſtitu ne glorieris vnquam.* Hæc dicta ſint contra purpurā & byſſum diuitis. Sequitur de ſplendore epularum.

e. Eccl. 11. 4.

Hic conſiſtit in ferculorum multitudine, in ciborum præcioſitate, in accurata præparatione. Tria hæc magis à diuitibus requiruntur ad prouocandum appetitum gulæ, & ad oſtentationem inanis gloriæ; quàm ad neceſſitatem naturæ.

II. In epulis tria vitioſa.

Vnde contra hæc tria ſuperflua, S. Benedictus remedium adhibuit dicens: *Sufficere credimus ad refectionem quotidianā tam ſextæ quàm nonæ, omnibus menſibus cocta duo pulmentaria, per diuerſorum infirmitate: vt, qui ex vno non potuerit edere, ex altero reficiat.* Quā dietā mox confirmans, ait: *Ergo duo pulmentaria cocta*

Ea religioſis adempta.

 omni-

omnibus fratribus ſufficiant. Notate ſingula verba Cum *duo* dicit, excludit fercalorum multitudinem: cum dicit *pulmentaria*, excludit in cibis ſubſtantiæ præcioſitatem: cum dicit *cocta*, excludit ſuperfluam præparationem.

Menſæ ſecularium copioſæ. Diuites denis quandoque, vel nouenis ferculis vtuntur, *cum initiũ vitæ hominis*, vt ſapiens dicit, *ſit aqua, & panis, & veſtimentum, & domus protegens turpitudinem.* Bene ergo nobis duo fercula ſufficere debent.

f. Eccl. 29. 38.

Pretioſæ. Diuites etiam requirunt non ſolũ multa fercula, ſed & delicata: Non eis ſufficiunt fructus arborum, non grana leguminũ, non holera ex quibus conficiuntur monachorum pulmentaria, ſed volucres cœli, & piſces maris. Feras ſyluæ & animalia capiunt, cõparant, & nutriunt, vt voluptati gulæ ſatisfaciant. Carnes vero nobis prohibentur, piſces in regula non commemorantur: ſed tantum duo pulmentaria, & eadem cocta.

Delicioſæ. Cum dicit, *cocta*, accuratam excludit præparationem, quam cocorũ induſtria, & gulæ adinuenerunt incitamenta: nunc carnes, nunc piſces coquuntur, nunc aſſantur, nunc friguntur, illa cum piparamentis, iſta cum diuerſi generis ſalſamentis apponuntur: ſicque cocorum induſtriã ſubſtantia vertitur in accidens, natura in artem: vt ſaturitas tranſeat in eſuriem, vt faſtidium reuocet appetitum, ad irritandum gulam, non ſuſtentãdum naturam. Vt enim taceam de curioſa adinuentione cocorũ, qua Deus, ſecundùm teſtimonium Pſalmiſtæ multum prouocatur; non ſolũ in ſecularibus, ſed & in quibuſdam clauſtralibus qui Sancti Benedicti regulam profitentur, hoc vitium quaſi pro lege habetur.

Digreſſio inuectiua in menſas religioſorum lautas.

Nam *Beatus Bernardus* Abbas Clareuallis, fratribus Cluniacenſibus exhortatoriam mittens epiſtolam, & in ea eorum ordinem plurimum commendans, tria prædicta, id eſt, ferculorum contra ordinem diuerſitatem, ſubſtantiæ nobilitatem, & præparationis ſuperfluitatem, his verbis reprehendit dicens: *Inter prandendum, quantum fauces dapibus: tãtum aures paſcuntur rumoribus: interim autẽ fercula ferculis apponuntur, & pro ſolis carnibus à quibus abſtinetur, grandium piſcium copia duplicatur. Tanta quippe accuratione & arte cocorum cuncta apparantur: quatenus quatuor aut quinque ferculis deuoratis prima non impediant nouiſſima, nec ſacietas minuat appetitum:* Et poſt pauca: *quis enim dicere ſufficit, quòd modis, vt cætera taceam, ſola oua verſantur, & vexantur: quanto ſtudio euertuntur, ſubuertuntur, liquantur, durantur, diminuuntur, & nunc frixa, nunc aſſa, nunc farſa, nunc mixtim, nunc ſigillatim apponuntur? Vt quid autem hæc omnia, niſi vt ſoli faſtidio conſulatur.*

Ad ſplendorem epularum etiam pertinent vina diuerſa, vina præcioſa, vina condita: potus verò ſuperfluitatem his etiam verbis idem Pater repræhendit: *Iam de aquæ potu quid dicam? quando nec vllo quidem pacto vinum aquatum admittitur? Quale autem eſt illud quòd nonnulla monaſteria ex more obſeruare dicuntur, in magnis videlicet feſtis*

ſtis vina delibuta melle, pigmentorum reſperſa pulueribus in cõuentu bibere? Et hęc de his dicta ſufficiát. Sequitur:

Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus, cupiens ſaturari de micis quæ cadebant de menſa diuitis, & nemo illi dabat. Videte fratres, quanta inhumanitas, quanta immiſericordia. Reuera vbi auaritia, ibi immiſericordia, & vbi immiſericordia, ibi nullũ bonum eſſe poteſt. *Viro cupido & tenaci,* vt ait Eccleſiaſticus, *g ſine ratione eſt ſubſtãtia, & homini liuido ad quod aurum?* Auarus ad petendum promptus, ad dandum tardus, ad negandum frontoſus.

III. Auaritia diuitis.

g. Eccl. 14. 3.

Lazari miſeria quadruplex.

Non tetigerunt aures, non mouerunt cor diuitis huius immiſericordis clamores & gemitus Lazari pauperis & infirmi, vlceroſi & nudi. Quatuor his incommodis illum laboraſſe certum eſt: mendicitatem & vlceroſitatem eius Euangelium commemorat: infirmitatem atque nuditatem ſitus & habitus probant. Conſtat infirmum & debilem fuiſſe, qui non ad oſtium ſtare vel ſedere, ſed iacere potuit. Si non tegmine veſtis caruiſſet; non tam liberè vlcera eius canes linxiſſent: eadem linctio immiſericordiæ & malitiæ, quantum ad diuitem, ſignum eſſe videtur. Fortè Lazari importunis clamoribus exaſperatus, canes incitari iuſſerat, vt de foribus miſerum propellerent.

Ianitor monaſteriorũ qualis.

Contra hoc vitium iubet Sanctus Benedictus ad portam monaſterij poni fratrem ſapientem, qui ſciat accipere reſponſum, & reddere, cuius maturitas eum non ſinat vagari. *Qui portarius* inquit, *cellam debet habere iuxta portam: & mox vt aliquis pauper clamauerit, aut pulſauerit Deo gratias referat, aut benedicat; & cum omni manſuetudine timoris Dei reſponſum reddat cũ feruore charitatis.*

De liberalitate hoſpitalitatis & eleemoſynis etiam dicit: *Omnes hoſpites tanquam Chriſtianos, ſuſcipiãtur.* Et in ſequentibus: *Pauperum,* inquit, *& peregrinorum maximè ſuſceptio, omni ſollicitudine exhibeatur: quia in ipſis maximè Chriſtus ſuſcipitur.*

Hoſpitalitas in ijs qualis.

Lazarus non quærebat hoſpitium, non diuitis menſam: ſed tantũ cupiebat *ſaturari de micis quæ cadebant de menſa.* Quia diues iſte iniquus erat, omnes miniſtros iniquos habebat: malebat de micis canes ſuos ſaturare; quàm pauperes. Non hic alloquor, fratres, Iudæum, non Ethnicum, quibus hęc verba Domini ignota ſunt, ſed Chriſtianum: qui quotidie vel audit, vel legit in Euãgelio, quid cum Lazaro vel diuite actum ſit.

Hodie multi ſunt in Eccleſia non ſolum ex laicis, ſed quod miſerabilius eſt, ex Clericis, qui plurimos canes, veltres ſcilicet, & leporarios, atque catellos nutriunt, & paſcunt, qui vnum propter Chriſtum pauperem nutrire vel paſcere non poſſunt. Incidunt panes integros canibus; nec vnam eleemoſynam pauperi eſurienti mittunt ad portam.

Nutritores canum magis quã pauperũ.

Quòd ſi aliqui talium ſe excuſauerint verbis Chananeæ dicentes: *h nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum:* reſpondet eis Dominus, *Non eſt bonũ ſumere panem filiorum, & mittere canibus.*

Excuſantur.

h. Mat. 15. 27.

Arguũtur.

Fortaſ-

Fortaſſis diues iſte reliquias mēſæ ſuæ iumentis & ſubus domeſticis quas nutriebat reſeruauit; de pauperibus non curans. Hoc pœna dignum eſſe ſequenti declarabitur exemplo.

Exemplū puniti in purgatorio. Erat in domo noſtra conuerſus quidam, Lupertus nomine, homo tā ætate quàm moribus maturus, &, ſicut plures veſtrum nouerunt, valde religioſus, conuerſorum refectorarius. Hic poſt mortem cuidam conuerſo in ſomnis apparēs, viſione ſatis manifeſta, dum de ſtatu ſuo requireretur, reſpondit ſe eſſe in pœnis, duas cauſas aſſignans: vna eſt, ait, quòd de reliquijs aliquādo vnde poterant pauperes ſuſtentari, miſi in vas porcorum, expenſis in hoc parcere volens. Alia cauſa eſt, quòd forficem ad vſus meos ſine licentia ſeruaui. Eſt enim in foramine talis parietis; locum ei oſtendens. Mane cōuerſus ad locum accedens, dum forficem quæreret, & inueniret, reliqua eſſe vera deprehendit.

Lazari felicitas. Sequitur: *Factum eſt vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Mira diſpenſatio Dei. Lazarus pauper & infirmus in ſinum diuitis & ſani deportatur. i. Gen. 13. 2 Legitur i Abraham diues fuiſſe valde in poſſeſſione auri & argenti: habebat & pecora multa, famulos & famulas: non eum cōmemorat Scriptura aliquando infirmatum, & hoc fortè propter ſacramentum. Quid enim per diuitias & valitudinem Abrahæ, niſi cœleſtes diuitiæ, quæ poſſidentur cum ſumma tranquillitate, & æterna ſanitate, deſignantur? Hāc habituri ſunt pauperes ſpiritu & infirmi, ſi tamen in illis habuerint patientiam.

Quod enim lima ferro, quod fornax auro, hoc mendicitas, paupertaſque electo. Simile.

Epulonis infelicitas. *Mortuus eſt autem diues, & ſepultus in inferno.* Diues iſte, qui a delitioſè viuendo mortuus erat cœ'o, quaſi nunquam ad gloriam ſurrecturus, ſepultus dicitur in inferno. Crapula verò & ebrietas, vt taceam de ſæcularibus, ſic etiā in religioſis memoriam obruunt, & quodammodo ſepeliunt, vt eis non libeat legere non orare, non ad vigilias ſurgere, non pſallere, non vigilare.

Exemplū cōtra crapuloſum. Cum ad pronunciandam Euangelicam lectionem a quodam Patre Benedicto pateretur, heſternam crapulam & nocturnam ebrietatem eructuans, fertur alta voce dixiſſe: Potum ſeruorum ſuorum, benedicat Rex Angelorum.

Quid iſtum tunc temporis dixerim, niſi crapula & ebrietate grauatum atque ſepultum? Eleuans autem oculos ſuos cum eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius, & ipſe clamabat dicens: *Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intinguat extremum digiti ſui in aqua, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Lazarus, vt dixi, leuatus eſt in ſinum ditiſſimi Patriarchæ, diues depoſitus eſt in pauperrimo elemento: pauperrimo dixerim ab effectu, eo quòd nullum ſit elementum, quòd tam ſubito materiam in ſe receptam conſumat, deuoret, & incineret, quomodo ignis. Vnde ſcriptum eſt de inimicis Dei, k *& ignis hoſtes tuos deuoret.* Locique inopia. k. Iſai. 26. 11.

Videte iuſtū Dei iudicium ab eo in flammis poſitus guttā aquæ petit, cui in Guttæ petitæ paruitas.

cui in delicijs exaltatus micam panis negauit: & ideò fortè guttam; quia modicum ſibi prodeſſe ſciuit hocipſum, quod petiuit.

Summæ malis ſuffragia Eccleſiæ nihil proſunt. Gutta aquæ clibanum ignis, cui pœna malorum comparatur, extinguere non ſufficit. *l Pones* inquit, *eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui. Dominus in ira ſua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.* Quibus verò orationes Eccleſiæ prodeſſe poſſunt, quibus non, quidā verſibus ſatis eleganter deſcripſit, dicens:

Quibus ſunctis proſint ſuffragia.

l. Pſ. 20. 10

Cœlū, terra, chaos, diſtinctio trina locorum,
Suſcipiunt animas pro iudicijs meritorum.
Valde namque bonis cœlo datur eſſe perenne,
Egregieque malis citò traditur ira gehenna.
Hi qui ſunt neutrum, ſed ſunt tamen inter vtrumque:
Traditur in terris, qualis purgatio cumque.

Super hunc locum: *eleuans autē diues oculos ſuos*, & cætera, dicit Beatus Gregorius, quòd nonnullos monet: ait enim. *Mali fideles quoſque ante diem extremi iudicij ſuper ſe in requie attendunt; quos poſt gaudia contemplari non licet.* Cum reprobi oculos habeant immundos, & omninò ſint indigni gaudia cœleſtia cōtemplari: cum etiam propter interpoſitionem firmamenti, quo cœli empyrei, quod ab inferno remotiſſimum eſt, aſpectus prohibeatur, videtur prorſus impoſſibile, & contra rationem, vt reprobi electos hoc tēpore ſupra ſe attendant, niſi *attendere* pro intelligere ponatur: tunc temporis magnum non fuit, ſi diues Lazarum vidit, quia ille in inferno, iſte in limbo inferni fuit.

Damnati iam beatos attendūt.

Modo reprobi electos attendunt, id eſt, intelligunt in gloria eſſe: quod poſt iudicium non licebit, quia tunc tanta erit in eis mētis obliuio, & rationis cōfuſio, propter pœnam corporis & animæ, vt nihil de gloria Sanctorum cogitare poſſint, ſemper penas habentes in animo, quibus inceſſabiliter torquentur: Ex tunc, vt dicitur ſinderesis omninò in eis extinguetur: Intellectus verò & ratio vſque ad diem iudicij eis relinquitur, alioquin diues iſte in ſequētibus non diceret: *habeo enim quinque fratres.*

Poſt iudicium vero non poſſunt.

Quòd plus punitus eſt in lingua, quàm in cæteris membris, plures poſſunt rationes aſſignari. *Prima* eſt loquacitas, quæ in conuiuijs præcipua eſt: vnde ſcriptum eſt, *m* quòd ranæ intrauerunt reliquias ciborum Pharaonis. Epulones loquaces ſunt: in conuiuijs frequenter rotantur, poſt potationem, verba vaniloquij, & impudicitiæ, mendacij, & iactantiæ, detractionis & inuidiæ, furoris & iræ: vnde Eccleſiaſticus, *n Ignis probat ferrum durum, ſic vinum corda ſuperborum arguet in ebrietate potatum*: Item: *o Vinū multum potatum, irritationem, & iram, & ruinas multas facit.*

Cur in lingua punitus epulo.

m. Exod. 8

n. Eccl. 31. 31.

o. Eccl. 31. 38.

Secunda cauſa eſſe videtur, quòd punitus eſt in lingua, verba furoris, quibus ſæpius ſicut cōijci poteſt pauperes ad oſtium ſuum clamantes exaſperabat.

Tertia verò, quòd linguam forte

vendidit, cum in cauſis pauperum in iudicijs loqueretur.

Omnibus his quibus à nobis culpatus eſt diues tacitus; reſpondit Abraham: *Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala.* Non ei improperat rapacitatem, non tenacitatem, nõ loquacitatem, ſed delitias tantùm, quæ ex diuitijs habentur: non ſine cauſa dicit Dominus: *Quam difficile eſt eos, qui diuitias habent in regnum Dei intrare. Amen dico vobis,* inquit, *quia diues difficile intrat in regnum cælorum.* Nemo, vt dici ſolet, poteſt duos habere paradiſos, neque Deus punit bis in idipſum.

Cur diuitiæ ei exprobratæ

p. Mat. 19. 23. Marc. 10. Luc. 18. 25.

Attendant hoc diuites, & terrenarum audiant hoc pauperes & cõſolentur. Clerici, dummodo caſte viuant, delicias quæ ſunt in veſtitu, vel victu, ſiue alijs, quibus ſenſus delectantur, peccatum non reputãt: Laici verò, ſi ſe cuſtodierint à vitijs immunditiæ, alijſque peccatis criminalibus, vt ſunt rapinæ & vſuræ, falſaque teſtimonia; diuitias atque delitias ſibi licere putant.

Digreſſio inuectiua.

Vnde vobis, fratres, quorum habitus vilis, & dieta tenuis eſt, gaudendum eſt, quia ſi Deus tam copioſe remuneratus fuit in Lazaro paupertatem neceſſitatis, multo abundantius in vobis remunerabitur paupertatem liberæ voluntatis. *Beati,* inquit, *pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.*

At religioſis cõſolatoria.

De cruciatu vero gehennæ quid dicam? eſt enim apud inferos ſumma tenebrarum obſcuritas, immenſa pœnarum acerbitas, & quod his maius eſt, infinita dolorum æternitas. Ignis ille gehennalis ſemper ardebit, & nunquam lucebit: ſemper vret, & nunquam conſumet: ſemper afficiet, & nunquam deficiet. Ibi tyranni, reges & principes, comites, & Aduocati; qui modo ſua pauperibus non diuidunt, ſed pauperibus ſua diripiunt, in ordine ſuo ponentur; ſeruabitur in eis ordo in qualitate pœnarum, non in qualitate rerum: quia *q de aquis niuium tranſibunt ad calorem nimium.*

Pœnæ inferni magnæ.

q. Iob. 24. 19.

Non ibi ſuccurrere poterunt boni malis, ſecundum quod ſequitur: *& in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt; vt hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde tranſmeare.* De reprobis qui in pœnis ſunt, nulla quæſtio eſt, quin tranſire vellent ad requiem electorum, ſi eis concederetur. Quomodo autem boni, qui in gloria ſunt, tranſire velint ad malos, non video, niſi de compaſſione intelligatur. Cui contradicit quod ſcriptum eſt: *r Lætabitur iuſtus, cum viderit vindictam: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* Sanctorum etenim voluntas, qui in Dei fruitione ſunt, ſic Deo vnita eſt; vt nihil velint, niſi quod illum velle ſciunt: quos ſi malorum pœnæ contriſtarent, perfectum gaudium non haberent.

Et in[illegible] [illegible]abiles

Beati nil compatiuntur damnatis.

r. Pſ. 57. 11.

Dicuntur autem Sancti tranſire velle, & non poſſe, id eſt, ſi vellent eos adiuuare non poſſent: vel ideo dicuntur tranſire velle, & non poſſe, quia ſi Dei iuſtitia admitteret, non eſſet eis moleſta eorũ liberatio. Nos, qui Dei voluntatem ignoramus, indifferenter pro bonis maliſque oramus.

S[illegible] a[illegible] ſunt pro viuis.

Et ait diues ſcilicet: *Rogo te Pater, vt mittas eum in domum Patris mei:*

mei: habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis, ne & ipſi veniant in locum hunc tormentorum. Si reprobus iſte ſollicitus fuit de fratribus ſuis, quos adhuc putabat viuere, eo quod illos non vidiſſet ſecum in inferno; neque in requie cum Lazaro: quantò magis Sancti, qui ſunt in Dei fruitione, qui feruent in Dei & proximi dilectione, pro ſuis proximis & amicis ſolliciti ſunt, pro illis orando ſine tædio & intermiſſione.

Se inuicē agnoſcūt

Quæri etiam ſolet, ſi ſe Sancti inuicem cognoſcant in patria? de quo nullus ambigere debet. Diues, de quo loquimur Abraham in hac vita non vidit quem tamen in pœnis poſitus, nemine demonſtrante, a longè vidit, & agnouit. Multo maior atque perfectior cognitio eſt in electis, qui ſpeculum totius creaturæ Deum contemplantur, quam in reprobis. *Animæ videnti creatorem*, vt dicit Gregorius, *anguſta eſt omnis creatura.*

Improborum ſimiles plures

Per quinque fratres diuitis, mali omnes ei in vitijs ſimiles, deſignātur. Quinarius ob quaſdam proprietates à Philoſopho apoſtaticus nominatur. In hoc etiam malorum vitia deſignat, quia quaternarium firmitatis numerum primus tranſcendit, & infra ſenarium ſummæ perfectionis numerum deficit.

Diues virtutum inops.

Quatuor ſunt virtutes cardinales, in quibus vita humana verſari debet: iuſtitia, prudentia, fortitudo, temperantia. Sex etiam ſunt opera miſericordiæ, quæ Dominus in Euāgelio numerat, nullum horum fuerat in hoc diuite: non virtus iuſtitiæ, quia quod ſibi fieri nollet, hoc proximo faciebat: non prudentia, per quam pœnas futuras præcaueret: non fortitudo, per quam aliquid incommoditatis pro Deo ſuſtineret; non temperantia, per quam gulæ illecebras refrenaret, quàm fuerit ab operib. miſericordiæ alienus, teſtis eſt nobis, de quo loquimur, pauper Lazarus: non enim cibauit cum eſuriret, non potauit cum ſitiret, ante oſtium ſuum iacentem non in domū collegit, nudum non veſtiuit, infirmum non viſitauit, vlceribus ligatū nullo medicamine fouit.

Propter quod ait illi Abraham, *habent Moyſen & Prophetas, audiant illos.* Quicquid eſt virtutis & iuſtitiæ; quicquid pietatis & miſericordiæ, in doctrina legis & Prophetarum continetur. Vox Moyſis eſt, ſ *Omninò mendicus & indigens non erit inter vos.* Iſaias quid dicit? t *Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuā: cum videris nudum, operi eum.* Multaque in hunc modum docent lex & Prophetæ.

ſ Deut. 15. 4.
t. Iſai. 58. 7.

Quod quia diues, cùm viueret, attendere noluit, reſpondit: *Non, Pater Abraham: ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.* Reuera plus terrere ſolent viſibilia tormētorum exempla, quàm verba, corda reproborum, & plus nonnunquā proficiunt ex viſione, quàm ex lectione.

Ait autem illi: *Si Moyſen & Prophetas non audiunt; neque, ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.* Intelleximus aliquando quoſdam poſt mortem in formis benè

notis ſuis apparuiſſe, pœnas & cauſas pœnarum ſuarum illis ſignificaſſe, ſed modicum eis profuit, quia propter hoc vitia paterna non deſeruerunt, licèt ad tempus terrerentur.

HOMILIA MORALIS DE eadem lectione.

HOmo quidam erat diues, & induebatur purpura, & byſſo: & epulabatur quotidie ſplendidè.

Sermo IIII. In donis naturæ nō gloriandum.

PEr purpurã, byſſum, & epularum ſplendorem myſticè notãtur tria dona naturæ, quæ mentes inſipientiũ ſæpius extollere ſolent. In purpura, quæ regum eſt, exprimitur carnis nobilitas: per byſſum, qua virgines vtuntur, carnis integritas: in ſplendore epularum, ſcientia & vſus diuinarũ Scripturarum: qui tria hæc habet, diues eſt: ſed diuitias ſalutis non habet, niſi aurum adſit charitatis.

Niſi charitate condiãs.

Diuitiæ ſalutis ſapientia & ſciẽtia; timor Domini ipſe eſt theſaurus eius: periculoſa eſt ſine humilitate nobilitas, ſine timore virginitas; ſine charitate ſcientia: *a Scientia inflat, charitas ædificat.*

a. 1. Cor. 8. 1.

Nobilitas inter religioſos nõ attẽditur.

Attendite, fratres, quomodo purpuram nobilitatis innoniter conuerſis deprimat in regula ſua S. Benedictus. *Non*, inquit, *præponatur ingenuus ex ſeruitio conuertenti, niſi alia rationabilis cauſa exiſtat.*

Virginitati ſemper timendum eſt, quia vas, in quo ſeruatur fragile eſt: vnde & Apoſtolus: *b Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.* In laude Eccleſiæ dicitur: *c purpura & byſſus indumentum eius.* Eccleſia nobilis eſt, & virgo; nobilẽ habens ſponſum Chriſtum: vnde Salomon in Prouerbijs: *d Nobilis in portis vir eius.* Nobilitatem Eccleſiæ magis de interiori, quàm de exteriori nobilitate intelligere debemus. Hinc quidam ait.

b. 2. Cor. 4. 7.
c. Prou. 31. 22.
d. Prou. Ibid.

Nobilitas ſola eſt, animum quæ moribus ornat.

Idem ſentiamus de virginitate mentis: nam carnis integritas, niſi adſit mentis caſtitas, meritoria non eſt.

Et erat quidam mendicus, Lazarus nomine, &c. Lazarus ignobilis, vlceroſus & pàuper; ſignificat poſt pœnitentiam peccatorem: ſeruilis conditio ſignificat actum criminis: vlceroſitas, lapſum carnis, indigentia panis, defectum ſcientiæ literalis *e Omnis, qui facit peccatum ſeruus eſt peccati.* Omne peccatum extra corpus eſt, *f* qui autem *fornicatur, in corpus ſuum peccat*, & animam ſuam exulcerat.

Typus pœnitẽtis.

e. 1. Ioan. 3. 4.
f. 1. Cor. 10. 8.

Notate nunc, fratres, quid Lazarus mendicus & vlceroſus concupierit: non concupiuit purpuram nobilitatis, non byſſum virginitatis: ſciẽs illam non eſſe de ſubſtantia ſalutis. iſtamque poſt lapſum irrecuperabilem, ſed tantum de micis, quæ cadebant de menſa diuitis. *Menſa* de qua micę iſtæ cadunt ſacra Scriptura eſt, de qua Propheta dicit in Pſalmo, *g Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos qui tribulant me. Epulæ* ſunt, intellectus ſpirituales, quæ ſunt in ſcripturis ſcilicet allegoria, tropologia, anagogia: quæ ipſam hiſtoriam tamquam menſæ ſuperficiem locupletant. *Coci harum epularum* fuere Moyſes, & Prophetæ, nec non

Scripturæ deſiderand.

g. Pſ. 22. 5.

Intellectus.

Scriptores.

& hi,

& hi, qui hagiographa conſcripſere Apoſtoli & Euangeliſtæ. *Epularum ſplendor*, vt ſuperius dictum eſt, conſiſtit in ferculorum multitudine, ac diuerſitate, in ciborum prætioſitate, in accurata præparatione.

Interpretes. Quot in ſacræ Scripturæ ſunt volumina, tot ibi intelligamus fercula: quàm ſint ipſa fercula præcioſa, & cum quanto magiſterio per diuerſas expoſitiones Patrum condita, teſtantur ſcripta Origenis, Hieronymi, Auguſtini, Ambroſij, Gregorij, & aliorum plurimorum, quos enumerare neceſſe non eſt. Alij interpretando, alij commentando, alij gloſſando vel concordando, epulas ſibi diuinitus commiſſas condiuerunt: & quaſi per quædam miri ſaporis ſalſamenta legendi nobis appetitum prouocauerunt: Epulari legere eſt.

Sententiæ. *Mica* exuberantes ſunt bonæ ſententiæ, ſiue moralitates legentibus occurrētes: de quibus alibi dicitur: *b Colligite fragmenta ne pereant.* Huiuſmodi fragmenta ſcripto maximè ſunt colligenda, vt famelicis apponātur. (b. *Mat.* 14.)

Inuectiua in ſciolos tumidos aut inuidos. Sed ſunt nonnulli tantæ ſuperbiæ, vel, vt verius dicam, inuidiæ; vt ſi aliquid laude dignum legerint, vel excogitauerint, vnde alios ædificare poſſent, non illud proferant, vel ad legendum accommodent, niſi ſub quadam oſtentatione ſcientiæ, & delectatione inanis gloriæ.

Exēplum. Noui quendam prælatum, ſatis quidem litteratum, ſed non tantum quantum videri voluit: hic habebat librum mirę moralitatis floribus depictum, de quo plura excerpere ſolebat cum verbum Dei palàm proponeret: Quē cum moriens cuidam cognato ſuo legaſſet, adiurauit eum, nē vnquam alicui hominum eundem librum oſtenderet: timens etiā poſt mortem cōfundi, ſi à ſe dicta ibidem legerentur.

Aliud. Alius quidam, quod maioris erat veſaniæ, plurimos ſermones, quos per multos annos fratribus in capitulo recitauerat, fertur igne cōſumpſiſſe, timens ne non prædicaretur inuentor nouorum, ſed rotator verborum antiquorum, ſi in manus fratrum idem ſermones deuenirent. Satis de talibus timendum eſt, ne pro tam ſuperba prædicatione flammas gehennæ cum diuite ſuſtinere habeant, niſi condignè pœniteant.

Alia interpretatio de Iuriſperitis. Diues iſte vitioſus eos ſignificat, qui ad hoc tantum ſcientias lucratiuas, vt ſunt leges & decreta, diſcunt, vt gratia illarum ditentur, & tam in veſtitu præcioſo, quam in ſplendore epularum luxurientur. Habent enim libri Iuris, multos & illuſtres auctores, varioſque expoſitores: quot ibi ſunt volumina, tot fercula, quot expoſitionum genera, tot ſalſamenta: multi in eis voluptuosè epulātur hodie cibis ſpiritualibus, id eſt, libris theologicis neglectis ac poſtpoſitis: quorum limina pauperes, ſcilicet cauſas habentes, frequentant: quorū eleemoſynas, id eſt, conſilia multi quaſi mendicando quæritant.

De Clientibus. Lazarus mendicus, vlceroſus, & famelicus, eos deſignat, qui in ſuis ſtipendijs, poſſeſſionibus, vel alijs quibuslibet cauſis indebitè vexātur, & per Aduocatorum linguas exulcerantur, tales ad oſtium diuitis iacēt, cum eius, quem in Iure peritum nouerunt, opem implorant. Qui benè *iacere* dicuntur, quia pauper, id eſt, op-

oppreſſus vbique iacet, diues vbique placet.

Cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis, & nemo illi dabat. Micæ ſunt bona conſilia, cadentes de ſcientia, quibus indigentibus aduocati ſubuenire poſſent, ſed gratis illa dare nolunt: non eſt neceſſe de his longe quærere exempla.

De micis conſiliorum.

Exēplum.

Cum Theodericus Colonienſis Archiepiſcopus, culpis ſuis exigentibus, indigne ſatis & indebitè depoſitus, multiſque vexationibus eſſet exulceratus; curiam adijt Innocentij Papæ qui diues erat valde, tam in ſubſtantia, quàm in ſcientia, micis, id eſt, iuſtitia & miſericordia ſibi ſubueniri concupiuit: ſed neutrum accepit: venerunt enim canes, id eſt, ex Cardinalibus quidam, vexationibus eius compatientes, qui cauſam eius fouebant, ſed modicum illi profuit. Cumque cuidam Iuriſperito quinque marcæ offerrerétur, quatenus pro eo in curia loqueretur; reſpondit iniquus ille: ego pedem meum non verterem pro quinque marcis: tales reuera in futuro quia peccant in lingua; amplius punientur in lingua: *mors etenim & vita in manibus linguæ.*

Reliqua verò, quæ Sancti huius Euangelij lectio commemorat, ſatis in ſuperiori ſermone ſunt expoſita, nec eſt neceſſe his diutius immorari.

Epilogus.

Audiuimus fratres gloriam Lazari pauperis, audiuimus pœnam auari diuitis: ſatagamus modis omnibus, vt perueniamus ad illam, caueamus iſtam: compatiamur pauperibus, & ſi defuerit ſubſtantia corporalis, quæ illis tribuatur, deeſſe non debet eleemoſyna ſpiritualis, quæ eiſdem impendatur. Eleemoſyna ſpiritualis eſt, ad Deum pro illis oratio, apud diuites pro ipſis interceſſio: & ne per impatientiam regno cœlorum, quod paupertati debetur, priuentur iugis adhortatio. Quo nos perducere dignetur ipſe ſanctæ paupertatis amator & prædicator Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui cum Patre & Spiritu Sancto regnat in ſæcula ſæculorum Amen.

DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEN SECVNdum Lucam.

CAP. XIV.

IN *illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis ſimilitudinem hanc: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos,* Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo V

ALiter nobis, atque aliter perſonis ſæcularibus aliquando verbum Dei, fratres, proponendum eſt: Sermo qui clauſtralibus congruit, eoſque informat, illos nonnũquam minus ædificat. Qualiter parabola hæc ordini, quem profitemur, conueniat; Ipſe, de quo locuturi ſumus, ſua inſpiratione nobis oſtẽdat. Ait enim:

Homo eſt Chriſtus.

Homo quidam. Quis eſt iſte homo, niſi ille, cui quotidie dicimus in ſymbolo, *qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis*

cælis, & incarnatus eſt de Spiritu S. natus ex Maria Virgine: & homo factus eſt. Hic eſt Chriſtus Ieſus Deus & homo: qui bene dicitur *homo quidam* quia licet, quantum ad aſſumptam naturam cæteris hominibus, ſecluſo peccato atque ignorantia, ſit communis, in multis tamen priuilegijs gloriæ creditur eſſe ſingularis. In eo quod conceptus eſt de Spiritu Sancto, quod conceptus & natus de Virgine, quod in ipſa conceptione verus Deus & homo fuit, nulla trahens de carne labem, perfectus in ſcientia, & vſu ſcientiæ *quidam homo fuit*, id eſt, ſingularis.

Cœna & Ordo Ciſterc.

Homo iſte *fecit cœnam magnã.* Cœnam intelligere poſſumus Ordinem Ciſtercienſem, in quo multiplex eſt refectio. Quare autem cœna, poſtea dicetur. Dies in quo celebratur hæc cœna, tempus eſt gratiæ, initium habens a natiuitate Chriſti, & perdurans vſque ad finem mundi. De hac die ſcriptum eſt, a *In illa die ſtillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lac & mel.* *Montes* ſunt in Eccleſia viri fide fortes vita atque doctrina ſublimes quales fuerunt Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius. Hi ſtillauerunt dulcedinem, cùm amaritudinem litteræ dulcorauerunt ſenſu ſpiritualis intelligentiæ. Cæteri fideles ſunt *colles*, tam ordine, quàm ſcientia minores. Qui lac & mel fluunt, cum per exemplũ bonæ vitæ in fide & moribus alios imbuunt.

a Amos 9. 13.

Cœna fieri ſolet in fine diei: quod tempus nobis congruit, in quos fines ſæculorum deuenerunt. Dies vſualis, teſte Chriſto, b duodecim horas habet: b *Nonne*, inquit, *duodecim horæ ſunt diei?* numeremus ergo tempus omne ab Incarnatione Domini, vſque ad illud tẽpus, quo Ordo cœpit Ciſtercienſis; diuidamuſque in partes duodecim, cuilibet parti, velut horæ, centum annos aſſignando: & inueniemus, quod circa initiũ horæ duodecimæ Ordo noſter ſumpſit initium. Anno ſiquidem gratiæ milleſimo centeſimo penè incipiente Beatus Rubertus Abbas Moliſmenſis, Chriſti inſpiratione admonitus, aſſumptis ſecum viginti & vno fratribus in Ciſtertium deuenit, vbi cœnã peccatoribus neceſſariam præparauit; tunc quidem temporis paruam, ſed maximam futuram.

b Ioã. 11. 9

Cœpit anno 1100. hora duodecima.

Cœnæ ordo comparatur, propter dietæ tenuitatem: Orientales, apud quos parabola hæc edita eſt, multò parcius reficiũtur quàm Galli, multò lautius, vt noſtis, miniſtratur Cluniacenſibus, quàm Ciſtercienſibus: habentque hoc ex quadam priuata diſpenſatione, cum tamen idem Ordo ſit. 2. Eſt adhuc alia ratio quare cœnæ comparetur. Cœnaturi ſic inuitantur, vt non exeant, ſed maneant in triclinio. Ad quodcunque officium, vt eſt prædicatio, ad quantamcunque dignitatem ſiue ſit Epiſcopatus, vel Patriarchatus, vel Papatus, Ordinis noſtri perſonæ eligantur; de Ordine eis exire non licet: nõ eis licet habitum deponere, ſed regulariter viuere, regulariter pſallere, & manducare tenentur.

Ordinis in victu tenuitas.

Ciſterc. & Cluniacenſium diſcrimen.

Aditus ad honores non dat exitũ à Ciſtercienſibus.

Cùm anno præterito Monachus quidam Ordinis noſtri ſe tranſtuliſſet ad nouum Ordinẽ Prædicatorum, ne ab Abbate ſuo poſſet repeti, factum ſuum authoritate Domini Honorij Papæ, petiuit roborari. Cui cum Apoſtolicus diceret:

Exemplũ mutanti Ordinẽ, & remiſſi ad eundem.

vbi eſt

vbi eſt cucullà tua? reſponderet, ſe habitum ſuſcepiſſe Prædicatorum: cum indignatióne ſubiunxit, vade citò; reſume habitum tuum.

Aliud cõtrarium.

Simile egit cum Chriſtiano quodam monacho noſtro: hic cum multo tempore apoſtataſſet, tacita apoſtaſia Ordinem intrauit Prædicatorum, veniensque cum paucis fratribus Coloniam, factus eſt ibidẽ Prior eorum: eratque eloquẽs valde, multam habens gratiam in prædicatione. Quem ante hoc quadrienniũ Abbas Clareuallis, vt apoſtatam excommunicauit: de ciuitate eum eliminãs. Dominus Honorius Papa Ordinem nouum promouere volens, eo quòd vtilis eſſet in prędicatione, perſonam exemit, & vt habitum profeſſionis ſuæ reſumeret, præcepit.

Quòd ſi de cæteris Ordinibus, ſcilicet Cluniacenſium Carthuſienſium, Præmonſtratenſium, Clericorum regularium, ſiue Canonicorum, aliorumque Ordinum ſanctæ Eccleſiæ Religionem Ciſtercienſium quis debito modo ſuſceperit habitum; ſine timore, & ſine ſcandalo mutabit. Ecce iam oſtenſum eſt, vt arbitror, qua ſimilitudine ordo cœnæ comparetur.

Ordo omnium eſt capax, pœnitere volentium.

Eſt autem *cœna magna*; eò quòd ſufficiat tam multitudini áduenientium, quàm ſaluti. Non eſt aliquis peccator adeò magnus, quin Ordinis ei obſeruantia pro pœnitentia ſufficiat, & ſufficere debeat, ſecundùm quòd priuilegia à ſede Apoſtolica nobis indulta continent.

c Mat. 22. b.

In expoſitione illius Euangelij, c ſimile factum eſt regnum cœlorũ homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo: Beatus Gregorius propter quoſdam mouet quæſtionem, ſi videlicet eadem ſit lectio, quæ & iſta? eo quòd ibi prãdium, hic cœna vocetur. Nec negat eandem eſſe, licet non aſſerat: quæ diſſonare videntur, ſoluens. Sic & multi quærere ſolẽt: ſi Ordo Monachorum Nigrorum idem ſit qui & Ciſtercienſium? eò quod multa in eis ſit diſſimilitudo. Quibus reſpondetur: 1. eandem eſſe regulam, ſed nõ eandem vtriſque eſſe obſeruationẽ. 2 Ordo monaſticus prandium eſt, ſi reſpiciatur ad tempus S. Benedicti, qui regulam conſcripſit: cœna verò, ſi tempus attendatur in quo Beatus Robertus Ordinem renouauit: Ad ſextam prandere, & in ſero cœnare ſolemus. *A ſancto*, inquit, *Paſcha vſq; in Pentecoſten monachi ad ſextam ſemper prandeant, & in ſero cœnent.*

Monachorum Nigrorum & Ciſtercienſium differentia.

Vtrorumque origo.

Conſiderato igitur die gratię, occurret, ſecundùm computationem ſexta hora eiuſdem diei, regulam à venerabili Patre Benedicto fuiſſe conſcriptam: Nam anno Dominicæ incarnationis ſexcenteſimo, quaſi in meridie diei gratiæ, eius magiſteriũ floruiſſe Chronica commemorant. Hora verò duodecima, in qua nos ſumus, iam annis viginti quinque centenarium ſuum trãſcendit, quã quãtum adhuc Deus protrahere voluerit, ipſe ſolus nouit, qui tempus condidit: quantum tamen colligitur ex quadam viſione ante annos paucos facta, propter meritum Ordinis, & maximè Dei Genitricis, cui Ordo dedicatus eſt, aliorumque religioſorum Deus horam cœnæ protendit.

Exemplũ

Dominus VVilhelmus ſacerdos & Monachus Clareuallis, cum in oratione ſtaret, factus eſt in exceſſu mẽtis, raptus eſt ad tribunal Chriſti: ad cuius dexteram Angelũ cum tuba

ba ſtare conſpexit. Quem cùm buccinare præciperet, & ad ſonitũ tubæ totus mundus, quaſi folium de arbore tremeret, vt ſecundò buccinaret, clamauit: Beata Dei Genitrix intelligens mundum conſummari, ſi denuò buccinaret, cæteris ſanctis tacentibus ipſa ſola ſurrexit, & ad pedes Filij procidit, & vt adhuc ſententiam ſuſpenderet, ſupplicauit: cui Dominus: Sic me mundus ſuis peccatis irritat, non ſolùm laici, ſed & clerici, ac Monachi; vt ſententiam ſuſpendere vel eis parcere meritò non debeã. Tunc illa: Parce, dilecte Fili mi, parce, & ſi non propter illos, ſaltẽ propter amicos meos, perſonas Ordinis Ciſtercienſis, vt ſe præparent: Quæ exaudita eſt, ſed quàm diu, ignoramus. Ex quo colligitur mundum ſtare orationibus iuſtorum. Sequitur.

Parcitur ob aliquos paucos.

Et miſit ſeruum ſuum hora cœnæ, dicere inuitatis, vt venirent: quia parata ſunt omnia. Seruum hunc, ſecũdùm expoſitionem præcedentem, B. Bernardum, primum Abbatem Claruallis intelligo: qui (ſicut in eius vita legitur) cognita bona fama nouellæ plantationis domus Ciſtercij, tamquam bonus ſeruus & fidelis nõdum Ordini incorporatus exemplo, oratione, & verbis omnes quos potuit, patrem videlicet, fratres, cõſanguineos, notos, & amicos, ad cœnam præparatam vocauit: ex quibus plures ei contradixerunt, quidam eum ſecuti ſunt, ita vt cum triginta & vno ſocijs Ciſtertium intraret gratia cõuerſionis. Seruus iſte bonus typum tenet omnium illorum, qui alios verbo vel exemplo ad Ordinem inuitant vſque hodie. Quibus multi eorum reſpondent; & ſi non ore, opere tamen; quòd tres illi, de quibus ſubditur reſponderunt.

Exemplũ S. Bernardus ſecum plures ad religionẽ trahit.

Primus dixit illi: Villam emi, & neceſſe habeo exire & videre illam: rogo te habe me excuſatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te habe me excuſatum. Et alius dixit: vxorem duxi, & ideò non poſſum venire. Per villam, cuius negotia multa ſunt, deſignatur cupiditas. Per quinque iuga boum quæ in ſenſibus eſt, curioſitas. Per vxorem, carnis voluptas. Tria hæc vitia plurimos retrahunt in præſenti à cœna Religionis, & in futuro excludent à cœna patriæ cœleſtis, & æternæ refectionis. Per villam, cuius negociatio multiplex eſt, vt dixi, intelligitur inſatiabile vitium cupiditatis, quòd non ſolùm in ſæcularibus, ſed & in Clero damnatur.

Mala tria orbis & ſalutis impedimẽta.

Quando Clericus inuitatur ad Ordinem, ſi reſpondet, cum multo ſtudio & labore conquiſiui præbendas, eccleſias, ſeu alias quaslibet dignitates: non poſſum tam citò dimittere illas, quid aliud dicitur; niſi villam emi? cùm verò ſubiſigit vt quid mihi iſtæ diuitiæ & gloria congregatæ; niſi vt vtar illis: quid aliud tibi dicere videtur, niſi hoc ſcilicet, neceſſe habeo exire, & videre illa? ſi verò dixerit, ora pro me, vt Deus det mihi voluntatem; quid aliud reſpondet, niſi, habe me excuſatum.

Declaratur exẽpli gratia.

Similem excuſationem prætendunt laici diuitias, ſiue ſint in poſſeſſionibus, ſiue in mobilibus, cum magnis laboribus & periculis, tam corporis quàm animæ nonnunquam cõquiſitis; tam citò pro Chriſto ſe non poſſe dimittere dicunt.

Et benè præmiſſum eſt, *emi*, quia ſæpè

ſæpè clerici pro ſtipendijs ſiue dignitatibus animas ſuas vendunt, ambitiosè vel ſimoniacè illas conquirendo. Sic & milites, Mercatores & ruſtici diuitias cum multo peccato frequenter congregant. Non ergo ſine cauſa Dominus diuitias vocat *d* mammona iniquitatis.

d. Luc. 16. 9.

Sensus quinque.

Alius dixit, iuga boum emi quinque: Per quinque iuga boum quinque ſenſus corporis exprimuntur, viſus videlicet, auditus, olfactus, guſtus, & tactus. Qui quinarius mihi geminari videtur: quia cuiuslibet ſenſus officium duplici inſtrumento expletur. Viſus duobus oculis, auditus duabus auribus: olfactus duabus naribus, guſtus duplici palato & duplici ordine dentium, tactus verò duabus manibus.

Singulorũ gemina organa.

Eorum abuſus in ſæculo.

Sunt multi qui vocantibus ſe ad ordinem in hũc modum ſe excuſant: vt quid contulit mihi Deus quinque ſenſus; niſi vt probem illos, id eſt, vtar illis? delectat me videre homines, ciuitates, caſtra, prouincias, pulchra ædificia, variam ſuppellectilē, ſculpturas, aliaque delectabilia, in quibus viſus recreetur. Si eſſem in monaſterio non mihi liceret oculos leuare, ſed in terrā illos defigere, atque in hunc modũ de cæteris ſenſib.

Viſus verus in religione.

Senſus corporei non ſunt probādi ſub iugo peccati, id eſt delectationis, quia mors ſecus introitum delectationum poſita eſt, ſed per libertatem virtutis: non ſunt oculi probādi in mulierum contemplatione, ſed in pauperum viſitatione: non aures in excipiendis rumoribus, ſed in audiendis ſacris lectionibus: non nares in odore aromatum, ſed in fœtore infirmantium. Sic guſtus probandus non eſt in cibarijs delicatis, & potibus exquiſitis, ſed in ieiunijs: tactus verò probari non debet in mollibus, ſed in aſperitate veſtimētorum ſtramentorumque duritia.

Tertius dixit, vxorem duxi, & ideò non poſſum venire. Iſte ſe non excuſat, quia tāta eſt in vxoritatis conuerſionis difficultas, vt, ſi etiam adeſſet voluntas, deeſſet facultas. Sine licentia vxoris maritus conuerti non poteſt: de hoc habemus exemplum in vita S. Bernardi de Guidone fratre eius primogenito.

Conuerti difficile in ſæculo.

Et reuerſus ſeruus nunciauit hæc Domino ſuo. Quando prædicator nihil proficit peccatores ad conuerſionem mouendo, intimare debet Domino ſuo repulſam, pro illorum duritia Domino ſupplicando.

Quod autem ſequitur: *Tunc iratus Paterfamilias, ait ſeruo: exi citò in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & claudos introduc huc.* Ad hoc pertinet quod Apoſtolus dicit: *e cui vult miſeretur, & quem vult, indurat:* gratiam non apponendo. Hæc clauſula etiam ad litteram congruit S. Bernardo, qui ſæpius, cum extraheretur ad diuerſa negotia, in vicis & plateis ciuitatum pauperes collegit, debiles ſanauit, claudos erexit: ex quibus plures ad Ordinis cœnam vocauit, ad Claramuallem conuerſionis gratia illos deducens. De his multa reſtant exempla in libris vitæ eius: nam de Francia, Alemania, Burgundia, Hiſpania, Lōbardia, Italia, Apulia, alijſque regionibus, ad quas illum traxit neceſſitas Eccleſiæ vniuerſalis, tantam adduxit multitudinem, vt meritò dicere poſſet: *Domine factũ eſt vt imperaſti: & adhuc*

S. Bernardus traxit multos ad religionē.

Multa monaſteria condit.

hac locus ſupereſt. Cum tanta importunitate ac deuotione præſules eccleſiarum & principes requirebant ab eo Conuentus fratrum ad nouas Abbatias conſtruendas; vt non ſufficeret tot recipere, quot illum oportebat emittere. Et cum aliquando haberet centum Nouitios ſimul in probatione, ſemper tamen ad recipiendum alios ſupererat locus.

f. Iob. 11. 12.

Et ait Dominus ſeruo: Exi in vias, & ſepes, & cõpelle intrare, vt impleatur domus mea. In vijs ſunt, qui liberi ſunt ſicut onagri: f ſemper inſtabiles & diuerſarum prouinciarum caſtra vel ciuitates percurrentes: in ſæpibus ſunt, quorum greſſus ne conuertantur, diuitiæ, honores, & dignitates impediunt. Plurimos ex his venerabilis pater vi orationis ſæpius etiam gratiæ reluctantes conuertit. Ecce exempla pauca de multis.

Exemplũ Luſu teſſenariũ lucratur clericũ vt fieret religioſus.

Cùm die quadam per viam equitaret, eique vagi clerici, quos Euerardinos vocant, occurreret, ad conuerſionem illos monuit: ad quem vnus: ego ludam vobiſcum teſſeribus, ſi ſors pro me reſponderit; detis mihi equum veſtrum: ſi vobis, ſequar vos in monaſterium: reſpondente Sancto, fiat voluntas domini: mox ille tax illos falſatos extrahens, decem & octo puncta iactauit. Monachis turbatis, & Dei conſilium ignorantibus, vir beatus ſpem habens in Chriſto pro hominis ſalute teſſeras leuauit & depoſuit: & ecce in duobus apparuerunt oculi duodecim: tertius verò in duas partes diuiſus, in vno latere ſex, in altero quinque puncta declarauit. Quo viſo territus Clericus, ſecutus eſt hominem Dei ad Claramuallem, factuſque eſt Monachus probatus. Hoc factum vſque hodie valde celebre eſt in ſcholis Magiſtrorum Pariſienſium.

Cibi ac potus benedicti ſalutaris vſus.

Alio itidem tempore ſcholaſticum quendam Colonienſem per eſum benedicti piſcis conuertit. Necnon & milites plures per potum ceruiſiæ ab eo benedictæ ſimili conuertit virtute. Sequitur.

Dulcedo ſpiritualis religioſorum.

Dico autem vobis quòd nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabunt cœnam meam. In ordine, quem cœnam Chriſti diximus, multiplex eſt dulcedo quàm tempore orationis, contemplationis, lectionis, & nonnunquam in menſa Monachi & monachæ ſæpè guſtant.

Exẽplum.

Nam circa hoc biennium in domo quadam nobis commiſſa, cùm in cœna ſanctimonialibus pitantia diuideretur, & vna negligeretur, illaque patienter ſuſtineret: talem ei ſummus Abbas inuiſibiliter pitantiã miſit, vt eius dulcedine Abbati noſtro exprimere non poſſet, diceretque ſe omnibus diebus vitæ ſuæ omni pitantia carere velle, dummodo tantum adhuc vna vice ſimili gratia viſitari mereretur, à Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui cum Patre & Spiritu S. honor ſit & imperiũ per infinita ſæcula ſæculorum Amẽ.

DOMINICA QVARTA POST PENTECOSTEN, SECVNdùm Lucam.

CAP. XV.

IN illo tempore acceſſerunt ad Ieſum Publicani & peccatores, vt audirent eum: & murmurabāt Scribæ & Phariſæi, dicentes: quia hic peccatores recipit, & mãducat cum illis: Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo VI.

MAgnæ prudentiæ ſignum, & recuperandæ ſanitatis ſatis euidens eſt indicium, cùm infirmus properat ad medicum, cùm morbum recognoſcens appetit antidotum, medici conſilio ſe ſummittens. Scriptum eſt enim, *a Altiſſimus de terra creauit medicinam, vir prudens nõ abhorrebit eam.*

a. *Eccl.*38. 4.

Chriſtus eſt medicus & medicina.

Medicina iſta ſalutaris, *homo Chriſtus eſt Ieſus factus ex muliere*, b *ſecũdùm carnem.* De hac medicina dicitur etiam in libro Sapientiæ: *c Neque herba, neq; malagma ſanauit eos, ſed tuus ſermo Domine, qui ſanat omnia.* Hic eſt ſermo de quo ſcriptũ eſt: *d miſit verbum ſuum, & ſanauit eos.* Quis, quo, vel quos? quis? Deus Pater: quo? In terram vteri virginalis: quos? Peccatores humiles & prudẽtes: qui acceſſerunt ad Ieſum, vt adirent eum.

b. *Gal.* 4. 4
c. *Sap.* 16. 12.
d. *Pſ.* 106. 20.

Quia Ieſus eſt.

Ieſus, vt notum eſt, interpretatur Saluator, vel ſalutare. Saluator, quia medicus: ſalutare, quia medicina. Qui enim conuerſus eſt, id eſt, ſanatus à ſua malitia, non per hoc, quod videbat, ſanabatur, ſed per omnium Saluatorem: verba ſunt ſapientiæ. *e Non eſt efficacior medicina, quàm in verbis.* Verbum verbo ſanauit, quia, ſicut dicunt Euangelia, homo Chriſtus Ieſus, qui eſt verbum Dei & hominum medicina, plurimos prædicatione ſua conuertit.

e. *Sap.* 18. 22.

Ideò exoſus malis.

Hanc efficaciſſimam medicinã, ipſumque medicum Scribæ & Phariſæi abhorrentes, & ſaluti ægrotantium inuidentes, dicebant: *Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Non enim intelligebant febricitãtes iam chriſtum feciſſe eos, cum quibus manducauit Ieſus.

Quos tamẽ ſanare ſtudebat.

Quos pius medicus ad compaſſionem, propriæque infirmitatis cõſideratione reuocans, parabolã hanc proponebat eis dicens: *Quis ex vobis homo qui habet centum oues?* Homo iſte, ipſe eſt, qui crebro ſe vocare filium hominis conſueuit. Ipſe eſt ex nobis homo: *f quia nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Natus eſt ex Maria Virgine, quæ de ſemine Abrahæ deſcendit, cuius ſæpè filius nominatur.

Chriſtus eſt homo.

f. *Hebr.* 2. 16.

Et Homo eſt ouis.

Homo iſte centum oues habuit, quamdiu in eius laude homo cum angelis perſeuerauit: nouem ſunt ordines angelorum: decimus conſiſtit in hominibus. Idem in Scripturis ſignificat numerus compoſitus quod ſimplex. Multiplicetur ergo denarius per ſemetipſum, & ſurgit in cẽtenarium. Quod verò centenarius idem ſignificet, quod denarius, plenius patet ex ſequenti parabola, ſcilicet decem drachmarũ, quæ eſt cõfirmatio parabolæ præcedẽtis: quod hic per hominem, ibi exprimitur per mulierem, & quod hic per centum oues, ibi per decem drachmas.

Siue drachma.

Quia in ipſo eſt imago Dei: & eſt in paſcuis Dei.

Ouis centeſima, ſiue drachma decima, homo eſt habens ad inſtar drachmæ imaginem & ſimilitudinē Dei in creatione, quem, vt ouem, inter paſcua virentia poſuit in paradiſi commiſſione. g *Tulit igitur Dominus Deus hominem, quem formauerat ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, & poſuit eum in paradiſum voluptatis, vt operaretur & cuſtodiret illum.*

g. Gen. 2. 8.

In quo ſi obediens fuiſſet ſuo Paſtori tempore beneplacito cum omni poſteritate ſua tranſtuliſſet illum inter cœleſtes theſauros ſuos, inter lapides ignitos ordinum angelicorum, vt inter illos & cum illis conditoris ſui viſione perpetuò frueretur.

Perditur peccato originali. h. Pſal. 118.

Drachma in theſauris reponitur, quando homo, ſtantibus Angelis peccauit, quaſi vnam ouem Deus perdidit: in cuius perſona dicit Dauid: h *erraui ſicut ouis quæ perijt.*

Requiritur a Chriſto.

Cuius errori in tantum Dei Filius compaſſus eſt, vt nonaginta nouem in deſerto, id eſt, in ſecreto ſupernæ manſionis relinqueret, & ad quærendam illam per carnis ſuſceptionem ad terram ſe deponeret.

Multipliciter. i. Luc. 1. k. Luc. 2. 14. l. Matt. 3. m. Mat. 4. n. Ioan. 2. o. Luc. 6. 13. ſ

Quæſiuit illam in ſtabulo & in præſepio, i quando natus eſt in templo, k quando oblatus eſt ad fluenta Iordanis, l quando baptizatus eſt in deſerto cum ieiunio quadraginta dierum inter feras & beſtias, m quando à diabolo tētatus eſt: quæſiuit illā in nuptijs, quando aquam in vinum conuertit, & ad mare Galileæ, o cum Apoſtolos vocauit: deinde prædicādo & miraculis coruſcando, quæſiuit eam in mōtibus, & in campeſtribus, in caſtellis & ciuitatibus: ſecus mœnia Tyri & Sidonis, & in ciuitatibus Samariæ quæſiuit illam.

Et cum in omnibus his locis illā quæreret, nec inueniret, inter ſpinas & in arundineto illam quærere dignatus eſt: quando ſcilicet flagellatus, arūdine cæſus, & ſpinis coronatus eſt. Ibi & ſaccus carnis eius conſciſſus eſt, ſecundùm illud Pſalmiſtæ, q *conſcidiſti ſaccum meum,* &c. q. Pſ. 29. 12

Elegans apoſtrophe & proſopopœia. r. Geneſ. 3. ſ. Iſai. 53. 7

Tandem arborem crucis aſcendens circumſpexit, orauit, fleuit, clamauit, dixitque r *Adam vbi es?* Agnoſce ſpeciem tibi conſimilem: attendat ouis ouem: propter te vt te inuenirem: ſ *ſicut ouis ductus ſum ad occiſionem.* Non te confundat nuditas tua: ecce ego propter te nudatus ſum cœlo & terra.

Parabola fit hiſtoria

Cuius balatum cum audiſſet, in tenebris & vmbra mortis paſtor pius; veſte carnis in arbore crucis relicta, ſecundùm animas in maximo lumine claritatis cucurrit ad illam, eamque humeris imponens reportauit ad gregem, rediensque in domum ſuam cœleſtem, vnde deſcenderat, *conuocans amicos & vicinos,* id eſt, ſanctos Angelos, omneſque virtutes cœleſtes, in vocem congratulationis erupit, dicens: *Congratulamini mihi, quia inueni ouem,* id eſt, hominem in inferno, *quem perdideram* in paradiſo.

Parabolæ finis.

Ad quid autem hanc parabolam propoſuerit, mox oſtendit, cùm ſubiungit: *Dico vobis, quòd ita gaudiū erit in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente; quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia.* Nouit vnuſquiſque noſtrum experimento cor eius maiori gaudio affici de re modica, perdita & inuen-

ta, quàm in conſeruatione rei magnæ atque pretioſæ. Sequitur.

Altera parabola. *Aut quæ mulier habens drachmas decem, ſi perdiderit vnam, nonne accendit lucernam, & quærit diligenter, donec inueniat?* Idem vult dicere per hanc parabolam, quod per ſuperiorem: Dominus Chriſtus ipſe eſt homo, ipſe mulier: homo propter ſuſceptionem naturæ noſtræ, mulier propter eam, quæ ab ipſo eſt, fœcunditatem ſpiritualis gratiæ.

Chriſtus quomodo dicatur mulier.

1. ob fœcunditatem. Vnde ſcriptum eſt: t *In illa die apprehendent ſeptem mulieres*, id eſt, ſeptem dona Spiritus Sancti, *virum vnum*, id eſt, hominem Chriſtum, qui vnus eſt, & ſecundum non habet: de quo & Iſaias dicit: u *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilij & fortitudinis. Spiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.*

t. Iſaiæ 4.1

u. Iſai. 11.2

x. Ro. 1. 20. Chriſtus mulier eſt, quia x *ipſe eſt Dei virtus, & Dei ſapientia, attingens à fine vſque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuauiter.*

2. ob ſocietatem cũ Deo.

3. ob amorem paſſiuum. Mulier eſt Dei ſapiẽtia, quia vult ab hominibus amari, vox illius eſt: y *deliciæ ſunt mihi eſſe cum filijs hominum.*

y. Pro. 8 31

Quam paratiſſima ſit amori illorũ in libro ipſius Sapientiæ oſtenditur, cùm dicitur: z *Quã dignos ſe ipſa circuit quærens, in vijs ſuis oſtẽdet ſe hilariter, & in omni prouidentia occurret illis.* De qua & Salomon dicit: a *Arripe illam, & exaltabit te, glorificaberis ab ea, cùm eam fueris amplexatus.* Concupiſcentia itaque ſapiẽtiæ deducet ad regnum perpetuum.

4. ob obſequia & officioſitatẽ.

z. Sap. 6. 12.

a. Pro. 4. 8.

Meritò talis mulier amanda eſt, tum propter diuitias & gloriã, quas poſſidet, tum propter pulchritudinis formam: b *Eſt enim ſpecioſior Sole, & ſuper diſpoſitionem ſtellarum luci cõparata prior inuenitur.* Quare amãdus eſt

b. Sap. 7. 29.

Mulier eſt, quia virum ſuum demulcet, & mollit, auferens cor lapideum, & dans cor carneum. 5. ob blanditias molleſque.

Mulier hæc in theſauris ſuis decẽ drachmas habuit, cum Angelicã humanamque naturam Dei Filius in ſua laude concordes ſeruauit. Drachma denarij ſpecies eſt, regis habens ſimilitudinem. De primo Angelo dicit Ezechiel: c *Tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia, perfectus decore: in delitijs paradiſi fuiſti.* Angelorum multitudinem in nouem ordines ab initio creationis ſuæ fuiſſe diſtinctã, oſtendit, cum protinus ſubiungit: *Omnis lapis pretioſus opertimẽtum tuum. ſardius, topazius, & iaſpis, chryſolitus, & onix, & berillus, ſaphirus & carbunculus, & ſmaragdus.* Ex hoc autem quod ſequitur: *foramina tua in die qua conditus es, præparata ſunt.* Probat B. Gregorius, angelos ante confirmationem non habuiſſe charitatem.

c. Ezech. 28. 12.

Drachma decima, ſicut ſupradictum eſt, homo fuit, quem Dei ſapientia Chriſtus ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creauit: ſic enim monetarius regis imaginẽ, vt drachma fiat, imprimit æri: ita Deus ſuam imaginem atque ſimilitudinem impreſſit Angelo atque homini. Erat & homo. Simile.

Sed mulier decimam drachmam perdidit, cùm homo Dei ſimilitudinem in ſe deleuit. Et quia drachma eadem lapſa eſt in tenebras ignoran- Sed hanc perdidit & quæſiuit.

tiæ

tiæ prius per culpam, deinde inferni per pœnam: neceſſaria fuit lucerna, cuius miniſterio perditam quæreret.

Per S. Ioãnem Baptiſtam vt lucernam. De Ioanne Baptiſta legimus, *d quòd ipſe lucerna erat ardens & lucens*: de quo & Dauid dicit in Pſalmo ex perſona Patris *e paraui lucernam Christo meo*: Lucerna pedibus antefertur, & hoc in tenebris: De Ioanne ſcriptũ eſt, *f Fuit homo miſſus à Deo cui nomen erat Ioannes: hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine*; id eſt Chriſto: Et Zacharias pater eius: *g Et tu*, inquit, *puer, Propheta Altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius*. Ergo lucerna Ioannes erat.

e. Pſa.131.17.
f. Ioan.1.
g. Luc.1.76.

In vtero illuminatũ. Hanc lucernam Chriſtus accendit, etiam in vtero per Spiritum Sanctum *h* igne charitatis: & licet ipſe poſtea in mundo luceret tam verbo, quàm exemplo: non tamen drachma per ipſum inuenta eſt: eò, quòd lumen eius eſſet inſufficiens: vnde neceſſe erat, vt alia accenderetur lumine Deitatis, quæ ad tenebras tam pœnæ, quàm culpæ propellendas ſufficeret.

h. Luc.1.

Per q; vnionem hypoſtaticam naturarũ. In lucerna duo ſunt, teſta atque oleum. Per teſtam exprimitur humanum corpus, per oleum Spiritus. Mulier verò lucernam accendit, cùm hominis naturam, id eſt; corpus & animam ſimul ſuſcipiendo lumine ſuæ diuinitatis Chriſtus irradiauit: vnde Propheta dicit: *i Quam illuminas lucernam meã Domine, Deus meus illumina tenebras meas*: ac ſi diceret: Qui illuminare dignatus es naturam meam deitatis tuæ vnione: oro vt etiam illumines tenebras peccatorum meorum ſacri eloquij prædicatione.

i. Pſ.17.29

Lucerna eſt Dei verbum. Verbum Dei lucernam eſſe idem Dauid oſtendit, cum dicit: *k Lucerna pedibus meis verbum tuum: & lumen ſemitis meis*. Per hanc lucernam luminoſam Dei lucerna Chriſtus, tempore prædicationis ſuæ in plurimis domum tenebroſæ conſcientię euertit, ſuppellectilem peccatorum male congeſtam eiecit: cùm diligentia ſcrutans & quærens, donec imaginẽ ſua in eis repararet.

k. Pſa.118.104.

Quærit euertendo peccata.

Peccatores eijciẽdo. Ingreſſus etiam domum Dei corporaliter, cum *l feciſſet quaſi flagellum de funiculis, eiecit omnes ementes & vendentes de tẽplo. Oues quoque & boues, & menſas nummulariorum effudit, as & cathedras vendentium columbas euertit*, quærens illic drachmam ſuam. Quidam radij luminoſi ad inſtar lampadis dicuntur exiſſe à gloria vultus eius, quibus territi inimici eius non ei audebant reſiſtere.

l. Ioã.2.15.

Ad inſtar Iob corpus Eccleſię radendo. Limbumque exhauriẽdo. Ipſe eſt verus Iob, qui ſedens in ſterquilinio teſta ſuæ carnis confractæ ſaniem ſui corporis, i. eccleſię peccata radebat, immò eradebat. Cuius Spiritus oleo comparatus per mortem de teſta corporis effuſus cũ magno ſplendore ad inferos deſcendens, vulnus pœnæ, quod peccatum originale inflixerat, totaliter ſanauit. Ibi portas æreas *m* confregit: *n* atriũ fortis armati intrauit, vaſa eius ſubuertens & auferens cum multo gaudio ſecum victor exportauit.

m. Pſ.106.16.
n. Luc.11.28.

Ne autẽ diabolo, qui ſibi drachmã Domini ſui iniuſtè vſurpauerat, vim inferre videretur, pro ſe drachmam ſoluere dignatus eſt, vt hominem ad imaginem & ſimilitudinem Dei

factum

factum redimeret, hominem ſuſceptum obtulit. Qui tam acceptus erat Deo Patri, vt innumerabiles drachmas, quas ab initio mundi computãdo reprobauerat, ad inferos transmittẽdo, illius amore reciperet. Propter vnum Bizantium etiam multi denarij minus datiui recipiuntur.

Nunc fratres, quia gaudium eſt coram Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, gratias illi, cuius miſericordia hoc factũ eſt, agere debemus Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu S. viuit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

HOMILIA MORALIS DE eadem lectione.

Quis ex vobis homo, qui habet centum oues?

Sermo VII.

Quæ in ſuperiori ſermone diximus de Chriſto & Eccleſia, etiã exponi poſsũt de Prælato quolibet, & congregatione ſibi commiſſa: omnis enim Prælatus, cuiuſcũque ſit nominis eius dignitas, id eſt, ſi fuerit Abbas, Prior, vel præpoſitus, vices Chriſti agere creditur in monaſterio. Qui ſi fuerit virtuoſus, hoc eſt, humilis, affabilis, miſericors, tractabilis, quæ hominis exigit natura, homo dicendus eſt. Si verò fuerit ſuperbus, aſper, immiſericors, iracũdus: non homo, ſed belua iudicandus eſt. Sicut enim animi virtus hominẽ ſupra hominem prouehit: ita mentis improbitas infra hominem quemque detrudit.

Prælatus ſit humanus.

Et notate quòd Dominus non dicit, quis eſt homo, qui habet centum oues, ſed *quis ex vobis homo*, ne videlicet Prælatus de dignitate ſuperbiat, ſi quis fuerit, non quid ſit, ſemper attendat: Vnde Sapiens dicit: *a Principem te conſtituerunt, noli extolli: ſed eſto in eis quaſi vnus ex eis.* Item, *b Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Non ſic Deus fecit hominem, vt homini præeſſet, ſed *c vt præeſſet piſcibus maris, volatilibus cœli, & beſtijs terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra.* Vnde in Pſal. *d Omnia ſubiecisti ſub pedib. eius, oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi, volucres cœli, & piſces maris.* Non dicit homines, ſed oues.

Humilis.

a. Eccl. 32. 1. b. Eccl. 3. 20. c. Geneſ. 2. d. Pſa. 8. 7.

Significat autem hoc in loco, ſicut & ſuperius, homo quemlibet bonum prælatum; oues ſubiectos, tùm propter virtutem ſimplicitatis, quæ in eis eſſe debet, tum propter multiplicem vtilitatem, quæ in oue eſt.

Subditus ſit ſimplex & fructuoſus.

Quis vellere ſuo veſtit, carne reficit, lacte potat, extis muſicam inſtaurat, agros & hortos ſtercoribus ſuis impinguat. Iſta omnia ſpiritualiter peccatoribus exhibent viri religioſi: nudis virtutibus ſuffragio orationis nonnunquam veſtem obtinent charitatis *e* Charitas veſtis nuptialis eſt; iuſtitiam, cùm eſurientes paſcunt, exemplo bonæ conuerſationis: lactant paruulos verbo prædicationis, deſides ad muſicam prouocãtes diuinę laudationis: plurimum, vt noſtis, ſæculares ædificantur in pſalmis, canticis, & hymnis: quibus Deus nocturnis diuturniſque horis in ordine laudatur. Nam ſupra vires humanas eſſe videtur.

e. Mat. 22.

Religioſorum etiam fimus, id eſt, peccata quæ ante cõuerſionem commiſerant, ad bonam vitam nonnul-

Cõuerſio peccatoris ædificat.

los animant; quia dum conſiderant, quales in ſæculo aliquando fuerint, & quales in monaſterio facti ſint, ſimilia de ſe ſperant. Amplius me ædificat exemplum Mariæ Magdalenæ, quæ ſtercora peccatorum ſuorum ad pedes ſaluatoris lacrymando depoſuit; quam innocentia Nathanaelis / qui nunquam aliquid graue cõmiſit. Plus aridi cordis agrum inpinguare conſueuit Zachæi, Petri, Pauli, latronis, quia poſt lapſum pœnitentia, quàm in plurimis ſanctorum cõſeruata iuſtitia.

E. Ioann. 1.

Dicit ergo: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues*: Homo centum oues habet, quiſquis Abbas conuentũ manſuetum, & in diſciplina perfectum, ſuæ cuſtodiæ commiſſum, tenet. Centenarius perfectus eſt numerus: perfectionem religionis in fratribus exprimens.

Conuẽtus fratrum ſit vt grex omnium.

Si grex congregationis inquietus, inobediens, & diſſolutus fuerit, paſtor eius non habet centum oues: quia licèt aliquando fratres plures ſine numero, tamen infra centenariũ detrunduntur meritò.

Sit perfectus vt cẽtenarius.

Ex centum ouibus vna perit, cum fratrum quis pro graui aliquo vitio ſiue contumacia eiectus monaſteriũ deſerit, vel in apoſtaſia lapſus, quaſi ouis érronea ad ſæculum redit.

Apoſtata & perditus

Quocunque modo fratris perditio fiat, Abbas exemplo pij paſtoris dimittere debet nonaginta nouem, id eſt, conuentum numero diminutum, in deſerto, videlicet in monaſterio: ob loci ſolitudinem ſiue contemplationis quietem ſic dicto; vel ſicut alius Euangeliſta dicit, *in mõtibus*, hoc eſt, in celſitudine perfectionis, & ire ad fratrem, qui perierat, de cuius anima Chriſto ſummo paſtori rationem redditurus eſt: donec inueniat illum. Inueſtigare debet diligenter in quonam loco ſit, & per litteras, ſiue per fratres ad hoc idoneos, ſiue per ſemetipſum, quod maioris bonitatis eſt indicium, ouem errantem reducere.

Requirendus Abbati.

Sanctus Bernardus die quadam pro quodam errante fratre ſub dio litteras ſcribens reuocatorias in medio imbre illas ſcripſit ſine imbre.

Exemplũ & miraculum quærentis.

Quam ſollicitus eſſe debeat Abbas circa ſuæ cuſtodiæ commiſſas, ipſa virga paſtoralis, quam ei Epiſcopus porrigit, ſignificantius oſtendit: eſt enim recta, & in parte ſuperiori recuruata, inferius in cuſpidem deſinens: ac ſi ei dicatur.

Symbolũ curæ paſtoralis pedum eſt.

Attrahe per ſummum: medio rege: punge per imum.

Vt verum paſtorem ſe Abbas oſtendat & ſecundùm virgæ ſuæ myſterium incedat; oues gregis ſui erroneas apoſtatanes ſiue eiectas, ne à beſtijs deuorentur, debet misericorditer reuocare: quietas & humiles, vt in bono proficiant cum multa modeſtia gubernare: indiſciplinatas, ne cæteræ earum inquietudine turbentur, acrius caſtigare.

Quòd ſi in contrarium fecerit ſuperbos, detractores, adulatores ſibi attrahendo per familiaritatem, bonos & quietos indebitè pungendo per nimiam auſteritatem erroneos non reuocando, immo quod deterius eſt, ſtabiles & diſciplinatos nacta occaſione de monaſterio eliminando: virgam paſtoralem gerat, & paſtoris merito ſe priuat.

Superior peruerſus.

Talis omni mercenario deterior eſt: eo quòd ille timore mortis oues reliquendo lupum fugiat: iſte lupis

Peior mercenario eſt.

deuorandas oues exponat: non ſunt inquit, nobis tales neceſſarij, qui quotidie fratres ſuis ſuſpitionibus turbent, & apud viſitatores illos accuſent: Tali occaſione bonis & diſciplinatis viam præcludunt reuerſionis.

Deſcriptio boni. g. Ezech. 34.15.

Iſti non imitantur exemplum pij paſtoris, qui dicit per Prophetam: *Ego paſcam oues meas; & accubare faciam, quod perierat requiram, & quod abiectum uerat reducam. & quod confractum fuerat, alligabo: & quod infirmum fuerat, conſolidabo: & quod pingue & forte, cuſtodiam: Et paſcam illas in iudicio & iuſtitia.* Verba hæc Domini ad memoriam mihi reuocant verba cuiuſdam boni diſcretique paſtoris.

Exemplum boni Paſtoris.

Vt Venerabilis præpoſitus Steinueldenſis Dominus Vlricus, cùm haberet quendam conuerſum in exteriori adminiſtratione valde prouidum; Reinaldus Colonienſis Archiepiſcopus, hoc comperto miſit ei nuncios, rogans eundem conuerſum ſibi accommodari, quatenus eius induſtria ac prouidentia cortes diœceſis, quas factus epiſcopus inuenerat deſolatas, in ſtatum priſtinum deberent reparari: quibus ille verbum memoria dignum reſpondit:

NB heroicũ reſponſum.

habeo in diuerſis grangijs diuerſos greges ouium, tollat ex eis dominus meus quantum voluerit: de ouibus verò rationabilibus animæ meæ cõmiſſis, de quibus ſummo Paſtori Christo in die iudicij rationem redditurus ſum, nullam accommodabo.

Officium boni.

Debet ergo bonus Paſtor exemplo Saluatoris erroneos, vt dictum eſt, requirere, abiectos reducere, varijs tribulationibus confractos vinculo charitatis alligare, mente vel corpore infirmos medicina ſpirituali ſiue corporali conſolidare, ſicque in humeris compaſſionis ad gregem cum gaudio reportare: Sequitur.

Altera parabola.

Aut quæ mulier habens drachmas decem, & ſi perdiderit vnam, nonne accendit lucernam, & euertit domum, & quærit diligenter donec inueniat? Quod dictum eſt de Abbate, hoc & de Abbatiſſa dictum intelligatur. Sicut Abbati conuentus fratrum, ita & illi grex ſanctimonialium committitur; nam quædam etiam cum baculo eandem curã ſuſcipiunt.

Sed quid eſt, quòd Dominus eam potius vocare voluit mulierem, quàm Virginem; cùm ex Canonum inſtitutione nullã in Abbatiſſam benedici debeat, niſi corpore ſit virgo?

Abbatiſſa debet eſſe virgo mater.

Ad quod reſpondetur: mulierem nomen eſſe fœcunditatis, virginem verò ſterilitatis: vnde & Abbatiſſa etiam mater vocatur, eò quòd filias ſpirituales verbo & exemplo, quaſi duobus vberibus lactare teneatur: de eiuſmodi muliere ait Salomon in Prouerbijs: *Mulierem fortem quis inueniet?* de cuius caſtitate in ſequentibus dicit; *accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum.* h. Pro. 31. 5.

Virgo corpore, fœcunda opere.

Laudabilis omnis erit Abbatiſſa, magiſtra, ſiue Priorиſſa; ſi corpore fuerit caſta, & in opere fœcunda. *O quam pulchra eſt caſta generatio cum charitate.* Huiuſmodi mulier i. Sap. 4. 1.

decem

decem habet drachmas, ſi ſorores, ſibi commiſſas in diſciplina fecerit perfectas.

Simile ſcitum.

Denarius eandem ſignificat perfectionem, quam centenarius: quid enim eſt imago Regis in argento, niſi anima rationalis in corpore virgineo?

Perdita ſoror requirenda.

Quòd ſi aliqua ex virginibus in monaſterio corrupta, vel ad ſæculum inobedienter deducta fuerit: ex decem drachmis vnam mulier, id eſt, Abbatiſſa perdit: quam diligens eſſe debeat tunc Abbatiſſa donec perditam inueniat, eamque per pœnitentiam theſauro ſuo reſtituat: ſatis notatur per lucernæ accenſionem, domuſque euerſionem. Dicamus ſub exemplo.

Exemplũ requirentis & inuenientis.

Beata Hildingardis in monaſterio Sancti Roberti in Binguiâ, magiſtra ſanctimonialium fuit: Cumque aliquis Clericorum vnam ex virginibus procatus fuiſſet, eique illa aſſenſum præbuiſſet: eadem nocte qua eum erat ſecutura, mater ſpiritualis in Spiritum præſciens drachmæ ſuæ perditionem, ſurrexit, lucernam accendit, ſignoque ſorores ad capitulum conuocans, cunctis per ordinem reſidentibus verbis ad hoc idonæis præmiſſis in huiuſmodi vocem prorupit: En vnam ex vobis ſorores perdidi, tacitis nominibus rem omnibus pandens, & adiecit: Præcipio ei, quæcunque eſt illa, vt ſurgat, & culpam ſuam confiteatur: quę cum vetâte verecundia ſederet, poſt ſecundam admonitionem beata Hildegardis ſurgens, & manu virginem tenens, cum diceret: en tu es miſera illa, quid taces? Illa adhuc negante manum in ſinum eius miſit, peplum, quod ei clericus dederat, extraxit: omnibus illud oſtendens: tunc illa confuſa, peccatum ſuum confeſſa eſt. Quo audito, mulier illa fortis, & ſi non voce, opere tamen exclamauit: *Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram.*

Ita dico vobis, inquit *Dominus*, *gaudium erit Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Magna eſt charitas ſanctorum Angelorum circa nos: conſilio, ſuffragio, & auxilio nobis ſuccurrunt. Conſilio, ſalubria nobis ſuggerẽdo: ſuffragio pro nobis iugiter orando: auxilio, ab inimicis nos defenſando: Quapropter vicẽ illis in quantum poſſumus rependere debemus: eis deuotè famulando, laudando, & inuocando, vt per eos eorum conſortio iungi mereamur: Quod nobis præſtare dignetur communis Dominus Paſtor bonus, Ieſus Chriſtus Saluator noſter, qui cum Patre & Spiritu S. viuit & gloriatur per æterna ſæcula ſæculorũ: Amen.

Angeli opitulantur nobis.

DOMINICA QVINTA POST PENTECOSTEN, SECVNdùm Lucam.

CAP. VI.

IN illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis. Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt: Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo VIII.

SI linguis loquar Angelorum & hominum: de miſericordia Dei Patris digna loqui non potero. Superat enim omnem cogitationem, omnem ſermonem, omnem lectionẽ. Cordi meditantis incomprehenſibilis: linguæ loquentis ineffabilis, calamo ſcribentis inexplicabilis. (Miſericordia Dei inexplicabilis.)

Eſt autem Dei miſericordia circa nos multiplex, & immenſa, temporalis & æterna. Quatuor hæc quidam in ſe expertus, quod beneficio ſenſit, plurimis teſtimoniis expreſſit: quia nouerat illam multiplicem, poſt lapſum ſpe erectus orauit dicẽs: *a Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam, & ſecundùm multitudinem miſerationũ tuarum dele iniquitatem meam*: Et in alio loco: *b Miſericordiæ tuæ multæ Domine*: Item; *Reminiſcere miſerationum tuarum, & miſericordiarum tuarum, quæ à ſæculo ſunt*: Dicit etiã Ieremias: *d Miſericordiæ Domini multæ; quia non ſumus cõſumpti, quia non defecerunt miſerationes eius.* Vnde eum Apoſtolus benedicẽs, vocat eum *e Patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolationis.* Et quid dicam fratres de multiplicitate diuinæ miſericordiæ, cùm Pſalmiſta in eius conſideratione deficiens dicat: *f & miſericordia eius non eſt numerus.* (Et quadruplex. 1. Multiplex. 2. immẽſa. a. Pſal. 50. b. Pſa. 118. 156. c. Pſ. 24. 6. d. Ier 3. 2. e. 2. Cor. 1. 3. f. Pſa. 118.)

Quòd verò temporalis ſit miſericordia Dei, audi Apoſtolum: *cui vult*, inquit, *miſeretur*, gratiam ſcilicet apponendo: *& quem vult indurat non apponendo.* Tali miſericordia etiam reprobis miſeretur, nonnunquã temporaliter illis apponendo gratiam, ſed non perſeuerat cũ eis: *Miſericordia autem Domini ab æterno & vſque in æternum ſuper timentes eum.* Hoc de electis intelligẽdum eſt. (3. Tẽporalis.)

Quòd æterna ſit miſericordia Dei, idem plenius oſtendit in Pſalmo cẽteſimo triceſimo quinto dicens: *g Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius.* In quo Pſalmo dum opera diuina commemoraſſet, ſingulis annectere ſtuduit, *quoniam in æternum miſericordia eius.* Ait enim in cantico ſuo ipſa mater miſericordiæ *h Et miſericordia eius à progenie in progenies, timentibus eum.* (4. Aeterna. h. Luc. 1.)

Ipſa Dei miſericordia non ſolùm in cœlo eſt, ſed potius in terra nobiſcum: quòd in cœlo ſit habes in Pſalmo, *h Domine*, inquit, *in cœlo miſericordia tua*: quòd in terra ſit, idẽ teſtatur, cũm dicit *i miſericordia Domini plena eſt terra*: ipſa nos præuenit, ipſa ſubſequitur, ſicut teſtis eſt idem Propheta. (Eſt in cœlo & terra. h. Pſ. 35. 6. i. Pſa. 118.)

Miſericordia via eſt ad Deum, Dei ad hominem: quid incarnauit Chriſtum, niſi miſericordia? quid ſubiecit eum noſtræ miſeriæ, niſi ſua clementia? (Eſt via Dei reciproca.)

Similis oleo ſuper omnia. Oleum cæteris liquoribus infuſum ſuperenatat: cum ſcriptum ſit, k *miſericordia eius ſuper omnia opera eius.*

Illuminat, vngit, ſanat. Maximum miſericordiæ Dei Patris ſignum fuit, quòd Filium ſuum vnigenitum mittere voluit in mundum, vt per eum naturam humanam illuminaret, vngeret, & ſanaret: hæc tria ſunt in natura olei.

Apoſtrophe. O beata miſericordia, quæ ſola commercium noſtrę ſalutis agnouit, quæ ſola Deum ad nos direxit: Tu ſola mediatrix auerſos concilians, diſiunctos ſocians: Deum humilians, & nos ſublimans: illum ad ima trahens, & nos ad ſumma erigens. Pro hac miſericordia ſanante, & illuminante in perſona generis humani per originale peccatum grauiter ſauciati, Dauid iugiter orauit, dicens: l *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam; & ſalutare tuum da nobis.* l. *Pſ.* 84. 8.

Et ſpecioſa, expetitur. *Ieſus* interpræcatur ſalutare, ipſe eſt ſpecioſa illa miſericordia, de qua per quandam eiuſdem nominis ſapientem dicit: m *Specioſa miſericordia Dei in tempore tribulationis, quaſi nubes pluuiæ in tempore ſiccitatis:* Pro qua & orando ſubiunxit: *Miſerere noſtri Deus omnium: & oſtende nobis lucem miſerationum tuarum.* m. *Eccl.* 35. 26.

Et luminoſa. Et ſpecioſa eſt & luminoſa, quia n *ipſa eſt candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis.* Vox ipſius miſericordiæ eſt incarnatæ. o *Ego quaſi oliua ſpecioſa in campis:* Item in Pſalmo p *Ego quaſi oliua fructifera in domo Dei.* n. *Sap.* 7. 16. o. *Eccl.* 24. 19. p. *Pſ.* 51. 10

Et incarnata. Oliua hæc ſpecioſa atque fructifera ab æterno exiſtés in ſinu Patris, per myſterium incarnationis tranſplantata eſt in vterum Virginis matris. Non tamen ſic venit ad matrem vt desereret Patrem.

Per orbē dilata. Deinde naſcendo veniens in hunc mundum, plantatus eſt ſecus decurſus aquarum: fructum ſuum dans in tempore ſuo: Extendit enim ramos ſuos ad orientem, & occidentem, ad meridiem, & Aquilonem: quatuor partibus mundi quatuor Euangelia prædicata ſunt: Si ramos ſuos non oſtendiſſet ad orientem, & occidentē, non diceret: q *venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abrahā & Iſaac in regno cælorum.* De reliquis duabus plagis dicit per Iſaiam: r *Aquiloni dicam, da, & Auſtro, noli prohibere*: Memini me quandam poſuiſſe viſionem in ſeptima diſtinctione Dialogorum: quę hic locum habet. q. *Matt.* 8. 11. r. *Iſai.* 43. 6.

Exēplum & typus miſericordiæ. Nobilis virgo de Quido, cùm tempore quodam cogitaret de abyſſo æternæ prædeſtinationis, & de ineffabili ſacramento atque remedio diuinæ incarnationis, facta in exceſſu virginem coram ſe vidit cryſtallinam, id eſt, ad inſtar cryſtalli perlucidam: in cuius vtero contemplata eſt infantem pulcherrimum, regio diademate coronatum: habebat autem idem diadema quatuor flores eminentes, qui ea intuente ſurſum aſcendentes, & virginis cerebrum excreſcentes in ramos arbores perfecerunt, & modico ſpatio temporis immenſo, quatuor partes mundi impleuerunt: quorum fructus erant pulcherrimi, odoris eximij, mirique ſaporis: & ecce ſub ramis eiſdem apparuit omne genus humanum à protoplaſto Adam vſque ad vltimum, qui in fine mundi naſciturus eſt: ſoli verò electi fructus arboris carpebāt,

eiſque veſcebantur: reprobi autem nihil ex eis contingere vel veſci potuerunt.

Gratia mira & rara.

In qua viſione tantam accepit diuinitus ſcientiam, vt poſtea loquens cum aliquo mox intelligeret, vtrum eſſet prædeſtinatus, vel præſcitus. Si verò prædeſtinatus, ſatis cum illo quaſi cum conciue loqui delectabatur: ſi autem præſcitus mox ſe ab eius colloquio liberauit.

Imitandus Deus.

Hæc dicta ſint occaſione diuinæ miſericordiæ, quam nos imitari docet, cùm dicit: Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. Si homo diligenter conſideraret Dei miſericordiam, in ſe poſſet habere miſerendi formam: qui ſi deuiauerit à tramite clementiæ, quantum in ſe eſt, turbat fontem miſericordiæ: Miſericordia fons eſt in medio paradiſi, qui diuiditur in quatuor flumina: de qua quidam ait: O homo tu qui in Deo expertus es fontem miſericordię, ſaltem in proximos ſinas miſericordiæ riuulos emanare. Ipſa eſt & oliua fructifera, cui rami quatuor ſunt: de quibus & Dominus ſubiungit.

Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare & non cōdemnabimini: Dimittite & dimittemini: date, & dabitur vobis. Duo præcedentia prohibet, reliqua præcipit. Prohibuit, neminem iudicare, vel condemnare: præcepit dimittere culpam, & dare eleemoſynā: quod docuit, hoc fecit.

Neminem iudicans.
ſ. Ioā. 8. 15.
t. Ioā. 3. 17.

Tantæ erat miſericordiæ Saluator, vt neminem iudicaret, cum à multis iudicaretur: Vnde & Iudæis dicebat: *ſ ego neminem iudico:* Item, *t non venit Filius hominis, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Neminem condemnauit, cum a multis condemnaretur: Mulieri in adulterio deprehenſæ quid dicit? *u Nec ego te condemnabo, vade, iam amplius noli peccare.* Cum ipſe peccatum non fecerit, multis tamen legitur peccata dimiſiſſe, & quod maioris miſericordiæ ſignum fuit, pro *x* crucifixoribus exoraſſe. 4. Qui cum non haberet ſubſtantiam corporalem, quam daret, dedit dona ſpiritualia: dedit & ſeipſum in cœna diſcipulis: dedit ſe hoſtiam Deo placentem in ara crucis.

Aut condemnans.
u. Ioā. 8. 10
Omnia dimittens.
x. *Luc.* 24. 34.
Et largiēs.

Nos ipſum in his omnibus pro poſſibilitate imitantes proximum non iudicemus, maximè iudicio ſuſpicionis: ne ipſe, qui omne iudicium accepit à Patre, in fine nos iudicet, iudicio æternæ damnationis. Audi quid Apoſtolus dicat: *y Tu autem quid iudicas fratrem tuum, aut quare ſpernis fratrem tuum? omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti:* ita quòd vnuſquiſque noſtrum reddet pro ſe rationem Domino.

y. Rom. 14. 10.

Exemplū malè iudicantis alium.

In Eccleſia Bonnenſi Canonicus quidam erat religioſus, ſatiſque litteratus: hic cùm die quadam in camera ſua ſederet, & Apoſtolum in manibus haberet, quidam eius Concanonicus ei vicinus, curiam ſuam, cum canibus & accipitribus intrans; aerem clamoribus, & ſtrepitu terram commouit, quòd vbi ille religioſus per feneſtram vidit, cœpit eum in corde ſuo iudicare, & dicere: Domine Deus quamdiu ſuſtinebis ſtultitias & leuitates huius hominis? cui mox librum ad legendum aperienti, in fronte occurrit, immò Spiritus Sanctus per vas electionis ei re-

ei reſpondit: *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtabit, aut cadet. Stabit autem: Potens eſt enim Deus ſtabilire illum.* Non multò pòſt idem iuuenis, non ſine multorum admiratione, relictis omnibus in Sigenbergenſi cœnobio, in quo tunc temporis monaſticus ordo plurimum viguit, religionis habitũ ſuſcepit.

Iudicare licet mala. Quædam ſunt manifeſtè bona, & quædam ſunt manifeſtè mala: de quibus, ſicut dicit expoſitor, iudicare licêt, & ſi neſciamus quo animo fiant: attamen qui alium de manifeſto vitio iudicat, & eidem ipſe ſubiacet, ſicut in prouerbio dici ſolet, ſeipſum per naſum apprehendit.

Adiaphora non item. Sunt autem & media, quæ bona & mala eſſe poſſunt: de quibus iudicare periculoſum eſt, & à Domino prohibitum.

Nec condemnare licet. Prohibemur etiam proximos condemnare: hoc grauius ſonat, quia iudicare pertinet ad culpam, condemnare ad pœnam: ſi proximum iudico, peccatorem illum conſtituo: ſi condemno, & veniam peccanti nego, & pœnis æternis illum, quantum in me eſt, ſubijcio: Hæc intelligenda ſunt de his, quæ pertinent ad forum Dei. Porrò in foro humano, & homini iudicare licet, & per pœnam damnare: iuſtè tamen & miſericorditer quia *iudicium ſine miſericordia ei, qui non fecerit miſericordiam.* Referam vobis exemplum, quàm terribile ſit condemnare enim, qui ad iudicium pertinet diuinum.

Niſi in foro fori. 2. Iacob. 2. 13.

Exemplũ condemnantis aliũ puniti. Duobus verbis inuicem contendentibus, vnus ex animi ſui furore alteri peccata ſua omnia, quæ ſcire potuit, cœpit improperare, & quia ipſe eſſet filius gehennæ, & cum diabolo damnandus, æternaliter conſtãter affirmare: quod cum iniurijs affectus patienter ſatis ſuſtineret, peccata ſibi improperata recognoſcens, poſtea condemnator per nemus trãſiens cum quodam ſuo collega, cùm ipſe per ſemitã incederet, à diabolo ſuffocatus eſt. Cõdemnatus verò bono fine deceſſit, ſicque condemnatio, quæ vni fuit cauſa mortis, alteri facta eſt occaſio conuerſionis. Hæc in ſcripto repperi.

Dimittite & dimittemini: hoc eſt præceptum. Si nos dimiſerimus eis qui in nos peccant, & Deus dimittit nobis peccata noſtra: vnde nos ſic orare docuit: *Pater noſter qui es in cælis*, vſque illuc, *& dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Satis hac oratione ligati ſumus, ne quis dicere poſſit, ego dimiſi hominem fallere volens: alibi cum loqueretur de debito decẽ milliũ talentorũ, & quinquaginta denariorũ, omne ſophiſma excluſit dicẽs: *Sic & Pater veſter cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Perfecti, vt ſunt monachi, totum debitum tenentur ſimul dimittere, id eſt, rancorem de corde, & ſigna rancoris de facie. Imperfecti verò poſſunt retinere ſigna rancoris, vt ſatisfaciat eis & eccleſiæ. Puto vehementer ſi homo in hominem grauiter peccaſſet, vt puta patrem illius occidendo, & alter purè propter Deum, & in charitate pœnam, quam ex illo poſſet extorquere, totaliter dimitteret, quòd omnium peccatorum eius pœnam etiã

2. Mat. 18. 35.

etiam ſi grauiſſimè peccaſſet; Deus illi dimitteret.

Exẽplum dimittẽtis.

Quidam alterius patrem occiderat, qui incidens in manus eius, cùm eſſet reoccidendus, procidit ad pedes illius cum lacrymis & eiulatu ſupplicans, quatenus intuitu Dominicæ mortis ſui misereri dignaretur: quid plura? Motus ille ſuper eo, ſperans etiam remiſſionem peccatorum ſuorum propter hoc conſequi, totum ei dimiſit: qui non multò poſt peregrè profectus Hieroſolymam, in Eccleſia Dominici ſepulchri crucifixus multis videntibus, & hoc crebrius ei inclinauit, quotiens ante illum trãſiret, gratias illi agens.

Date & dabitur vobis. His verbis hortatur nos ed eleemoſynã, vt propter bona temporalia, ſi ipſius amore fuerint erogata ab ipſo in præſenti bona recipere mereamur ſpiritualia, & in futuro æterna.

Eleemoſyna eſt duplex de ſuo.

Eſt enim duplex eleemoſyna; ſpiritualis, & corporalis: *Spiritualis* eſt, cum dimittimus, diligimus, docemus, vel pro alijs rogamus, vel cũ diſcordantes pacificamus, vel delinquentes corrigimus: *Corporalis* eleemoſyna conſiſtit in ſex operibus miſericordiæ. Sed dicit Monachus: Talem eleemoſynam dare non valeo, quia nihil poſſideo: cui reſpondeo: digniſſima eleemoſyna eſt, qua ſe homo in primis totum offert Deo, deinde ſua. De hac eleemoſyna, quã tu ò Monache, ſic obtuliſti, Dominus dicit: *date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.*

Alia de ſe ipſo.

Eleem. de ſuo iuſto, vel iuſtè parto.

Eleemoſyna quæ Deo offertur, fieri debet de iuſto, & de iuſtè acquiſitis: de iuſto, vt patrimonio Ieſu Chriſti, vel de iuſto patrimonio hæreditatis à parentibus dimiſſo: de iuſtè acquiſitis, vt de proprio labore manuum.

Hæc iſta vtilior.

Eleemoſyna, quæ rationaliter & modo debito fit de primo vtilis eſt, de ſecundo vtilior, quæ de tertio vtiliſſima. Vnde ſcriptum eſt: *b Arbores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit.* b. Pſ. 127. 2

Eleem. de iniuſto, iniuſta.

De his verò, quæ acquiruntur ex vſuris & rapinis, ex calumnia, ex furto, & ſymonia, eleemoſyna fieri non poteſt: non enim tranſeunt in dominium accipientis. De tali eleemoſyna per Salomonem dicitur: *c Qui offert ſacrificium de ſubſtantia pauperis, quare quaſi qui victimet Filium in conſpectu patris*: Vnde Beatus Gegorius dicit: *eleemoſyna oculis redemptoris noſtri illa placet, quæ non ex illicitis, & iniquitate conquiritur, ſed quæ de rebus conceſſis, & benè acquiſitis impenditur.* c. Eccl. 34. 24. S. Gregor.

Meritoria tamen eſt iuſta.

Negotiatores verò, hiſtriones & meretrices eleemoſynam facere poſſunt, quia in dominium eorum tranſit, quod accipiunt.

In eleem dãda quatuor cõſiderantur.

In eleemoſynæ largitione quatuor ſunt conſideranda, ſcilicet cauſa, quantitas, vtilitas, qualitas, *Cauſa*, quare petat, & ſub quo nomine petat: Si enim petat quis, quia hiſtrio eſt, vel venator, non eſt ei dandum: ſi verò pro nomine Chriſti, non ei eſt negandum. *Quantitas*, id eſt, vtrum multum vel modicum petat. *Vtilitas*, quia potius debeo ſubuenire parẽti, quàm alieno. In ſpiritualibus verò carnem reſpicere non debemus: Reſpicienda eſt *qualitas* perſonæ petẽtis, vtrum ſcilicet diues ſit vel pauper: non enim diuitibus qui poſſint retribuere, ſed pauperibus danda eſt elee-

eleemoſyna De his plurima extát exempla, quæ ſtudio breuitatis omittimus. Date, & dabitur, duo ſunt fratres: ſine quibus cœnobia religioſorum ſubſiſtere vel perficere non poſſunt.

Exemplũ facti, ſeu potius ficti, non tamen inutili.

Abbas quidam magnę fuerat circa hoſpites liberalitatis, magnæ circa pauperes miſericordiæ & charitatis, ſemper dans, & ſemper abundans. Defuncto eo alius quidam tenaciſſimæ naturæ ſuccedens, vitium auaritiæ ſub pallio prouidentiæ tegens, cum officia charitatis omnibus ſubtraheret, ipſa domus, cui præerat, in breui ad tantam paupertatem deuenit, vt non haberet, vnde cum fratribus viueret, ſiue quod alius dare poſſet: etiam ſi dandi voluntas adeſſet. Miſertus illorum Dominus propter antiquam charitatem, miſit nuntium ſuum ad portarium, cuius conſilio ſanarentur: qui cum per interrogationem didiciſſet cauſam, tantæ paupertatis, reſpondit; duo fratres de hac domo ſunt eiecti; ex quibus vnus vocatur, *date*, alter *dabitur*: niſi illi reuocentur, domus hæc nunquam proficiet: quorum nomina, cum laicus retinuiſſet, & quid audierit, Abbati recitaſſet, ille de omiſſis pœnitens, hoſpitalitatem & eleemoſynam cœpit reſumere, & benedicente Domino, ad priores copias domus eadem reuerſa eſt: vnde bene ſequitur,

Eleemoſynæ remuneratio.

Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. Qui? de quibus alibi dicitur: d *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Hoſpites ſiue pauperes non nobis dabunt hanc menſuram, neque nos recipient intra cœleſtia tabernacula, ſed Chriſtus illorũ occaſione.

d. Luc. 16. 9.

Quadruplex per dotes quatuor glorificationis.

Menſura hæc quadrifaria, quatuor deſignat dotes corporum, quibus electi pro miſericordiæ operum exhibitione remunerabuntur in generali reſurrectione. 1. Illa die dabit eis Chriſtus menſuram bonam, per dotem agilitatis. A bono dicitur bellum, propter ſplendorem armorum. 2. Menſuram confertam, per dotem impaſſibilitatis ſiue immortalitatis. Nam confertum, indiſſolubile eſt. 3. Coagitatam, per dotem agilitatis: quod agile eſt, citius agitatur. 4. Supereffluentem, per dotem ſubtilitatis: ſubtile enim facilius effluit.

Quæ reſpondent ſuperioribus mandatis quatuor.

Quatuor hæc referri videntur ad quatuor ſuperius enumerata, videlicet, nolite iudicare, nolite condemnare; dimittite, & date: quaſi dicat, ſi cupis, ô Chriſtiane, per meritum recipere dotem claritatis, noli iudicando proximi famam denigrare: ſi dotem impaſſibilitatis: noli eũ condemnando, quantũ in te eſt, mortificare. Si dotem agilitatis, noli proximum de iniurijs expetendo vindictam arctare. Si dotem ſubtilitatis, exonera te, tua pauperibus tribuendo, per quos anguſtam portam poſſis intrare: hinc bene ſubditur.

Peroratio quaſi proteptica.

Eadem quippe menſura qua menſi fueritis, remetietur vobis. Hac ſententia totum quod ſupradictum eſt, concluditur. Audiant hoc hi, apud quos eſt e *pondus & pondus, menſura & menſura*: qui in emptione per maiorem recipiunt, & in venditione per minorem effundunt. Audiant iſtud & tabernarij atque cau-

e Prou. 20. 10.

pones, qui proximis dant vini menſuram : non bonā, quia falſam : non vino confertam, & ſuperagitatam, & ſupereffluentem : ſed ſpuma, quod talibus menſurabitur in futuro? Vinum quo exhilarētur? non; ſed ſpuma ignea, qua excæcentur. Huiuſmodi pœnas cauponum memini me legiſſe.

Dicebat & illis ſimilitudinem: Nunquid poteſt cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foueam cadunt? Qui malè docet & malè viuit, vtroque oculo cęcus eſt: quem qui ſequitur per imitationem, niſi illuminetur per gratiam, & ſubſiſtat per pœnitentiā, ambo cadent in foueam æternæ damnationis.

Qualis doctor, talis & ductor.

Ante paucos annos ſacerdos quidam tam doctrina, quàm vita cæcus, defunctus eſt: de quo talis viſio cuidam religioſæ fœminę oſtenſa eſt. Quidam ex parrochianis eius mortuis lapidibus illum agitabant, clamantes; oculus noſter eſſe debueras, & tui cauſa damnati ſumus: quem cum lapidibus vrgerent, ille in puteum cecidit, & cæteri poſt eum omnes. Sequitur.

Exemplū mali Parochi damnati.

Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrū: perfectus autem omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter eius. Sicut ſunt magiſtri in bono, ita & in malo: tales erant Phariſæi, quos Dominus vocauit duces cæcorū; quibus & in alio loco dicit: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proſelitum, & cum fuerit factus facitis eum filium gehennæ duplo, quam vos.* Talis diſcipuli perfectio, per quam magiſter vincitur in malitia, & vincetur in pœna, diſcipulo placere non debet.

Tales & diſcipuli.

Mat. 23. 15.

Locum hunc Beda exponit de Domino, qui multas iniurias patienter tolerando, cùm ſe, vt Deus vindicare poſſet, diſcipulis forma fuit ſummæ perfectionis. Sequitur.

Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras? Per feſtucam, quæ lenis eſt, & breuis, intelliguntur peccata minima, per trabem verò, quæ grauis eſt & longa, peccata grauia. Quidam in conſideratione exceſſuum fratrum ſuorū oculos habent limpidiſſimos, & in propriorum cæcutientes. Iram volatilem, verbum otioſum, tepidam inclinationem, & his ſimilia, quæ per feſtucam ſunt deſignata; in alijs diligenter obſeruant; repræhendunt & proclamant: rancorem verò, & rancoris ſigna, ſuperbiā, impatientiā, euagationes, & extortas libertates, quibus fratres grauiter ſcandalizāt; in ſeipſis nō conſiderāt. De minutijs ordinis, quē magis habēt in ore, quā in opere, ſubtiliter loquuntur, & diſputant, ordinis virtutē, obedientiam videlicet, humilitatem, compaſſionem, pacem & concordiam paruipēdentes, culicem liquantes, & camelum glutientes.

Critici ca- nes [illegible] & S[illegible] bæi ſordidi.

Talibus rectè congruit, quod ſubditur: *quomodo potes dicere fratri tuo, frater, ſine eijciam feſtucam de oculo tuo; ipſe trabem in oculo tuo non videns?* Huius verbi memor Abbas Moyſes, cum quodam tempore vocaretur à fratribus propter culpam cuiuſdam fratris dijudicandam, ſportam vetuſtam impleuit arena, & venit: cumque de hoc requireret, reſpondit; peccata mea ſunt poſt me currentia, & non video

Exemplū iudicis ſui & nō aliorum.

ea: &

ea: & veni ego hodie aliena iudicare peccata. Si vir ſanctus non præſumpſit fratrem iudicare culpabilē, multò magis iudicio vel condemnatione dignus, iuſtum & innocentem iudicare nō debet, ne ei dicatur quod Dominus dixit.

Hypocrita: eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc perſpicies vt educas feſtucam de oculo fratris tui. Magnæ tamen miſericordiæ ſignum eſt, vt frater de ſalute fratris ſollicitus ſit, illum monendo in charitate, illum proclamando: & ne illum in hoc ſcandalizet, primum ſe ab eis vitijs, quæ ſibi in proximo diſplicent, purgare debet. Quod nobis omnibus concedere dignetur, qui eſt forma totius perfectionis, fons miſericordiæ & pietatis Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui cum Patre & Spiritu S. viuit & regnat in ſæcula ſæculorū: Amen.

DOMINICA SEXTA POST PENTECOSTEN, SECVNdùm Lucam.

CAP. V.

IN illo tempore, *Cum turba irruerent ad Ieſum vt audirent verbū Dei, & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Genezaret.* Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo IX. Chriſtus impeccabilis.

SAlus generis humani homo Chriſtus Ieſus vt verba ſalutis auditoribus ſuis arctius imprimeret, quod ore docuit, opere figuraliter oſtendit: ſecus ſtagnū Genezareth ſtetit, quia quam diu in mundo fuit, nullū eum peccatum a ſtatu rectitudinis mouit.

Per ſtagnum Genezareth, quod interpretatur auram ſibi generans, exprimitur humanæ vitæ ſtatus, qui nūquam ſtabilis permanet, quem per multas tentationes, caro, mundus, & diabolus ſuis flatibus impellunt, nec vnquam quieſcere ſinunt. Quanta aura tentationum, tribulationum, & miſeriarum in corde vel carne hominis generetur, vnuſquiſque noſtrum in ſeipſo melius experitur. Vnde neceſſe habemus, vt irruamus ad Ieſū ſalutis noſtræ auctorē, qui imperat ventis & mari, & obediunt ei. (Et nos ſumus tentabiles.)

Cauſa, quare turbæ irruerent, fuit, vt audirent ab eo verbum Dei: vſque hodie loquitur nobis Ieſus, ſiue per prædicationem, ſiue per lectionem, ſiue per inſpirationem. Quando fideles ad ſtationē alicuius prædicatoris confluunt, vt audiant ab eo verbū Dei, irruunt ad Ieſum, qui per os eius loquitur. (Trifariè loquitur Chriſtus.)

Et vidit duas naues ſtantes ſecus ſtagnum. Duæ iſtæ naues ſignificant duo genera hominum, quibus verbū Dei prædicatur. In vna ſtat one quidam libenter quidem audiunt, ſed verbum Dei non cuſtodiunt: per vnam aurem recipiunt, & per alteram effundunt. Alij libenter audiunt verbum Dei, & cuſtodiūt illud. Iſtos deſignat nauis quæ erat Simonis, de qua ſubditur. (Auditores vero ſunt duplices.)

Aſcendens autem in vnam nauē, quæ erat ſimonis, rogauit eum à terra reducere puſillum. Simon interpretatur obediens, ſignificans eos, qui verbo prædicationis obediūnt, & cuſtodiunt illud. De iſtis in quodā loco (Audiētes & ſimul obedientes.)

loco dicit Dominus, *Beati qui audiũt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*: Item: b *Qui audit verba mea hæc, & cuſtodit ea, aſſimilabitur viro ſapiẽti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram.*

a. Luc. 11. 28.
b. Matt. 7. 24.

Obedientiæ iungenda fortitudo.

Simon, propter virtutem animi & conſtantiam fidei, dictus eſt Petrus: Simon nomen eſt obedientiæ; Petrus, fortitudinis & conſtantiæ. Obedientiæ fortitudo neceſſaria eſt, vt per eam illa ad effectum perducatur.

Ad illos intrat Chriſtus

Qui verò verbum Dei audiunt, & cuſtodiunt, in illorũ nauim, id eſt, animam aſcendit Ieſus per gratiam, ſi in peccatis fuerint illuminantem, ſi in charitate fuerint per gratiam iuſtificantem ſiue perficientem. Eſt gratia incipiens, proficiens, perfecta.

Non ad alios.

c. Luc. 6. 47.

Illorum nauem Ieſus non intrat, qui non faciunt ea, quæ facere docẽtur: his melius eſſet non audire, quia c *ſeruus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, vapulabit multis.*

Chriſti & noſtra ſtatio differunt.

Notate fratres Chariſſimi verba Euangeliſtæ: vtrumque ſtare dicit ſecus ſtagnum, Ieſum ſcilicet & naues. Naues diximus eſſe auditores verbi: turbæ ſtare ſolent, cum eis proponitur verbum Dei.

Erat tamen differentia inter ſtationem Ieſu, & inter ſtationem nauium.

Ieſus ſine peccato, at non ſine pœna fuit.

Ieſus ſtabat in littore iuxta ſtagnũ, naues verò in ſtagno iuxta littus: hoc magni aliquid ſignificat: Incarnatus Dominus in ſicco ſtetit: quia peccatum non fecit: Stetit tamen ſecus ſtagnum, pœnalitatum noſtrarũ ſuſceptione: vnde ſcriptum eſt de illo. d *Et erit ſicut lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.*

d. Pſa. 1. 3.

Noſtra ſtatio eſt vitiorum cohibitio.

Aſcendens in nauem, quid egit? *Rogauit Simonem à terra reducere puſillum.* Nauem à terra reducere, eſt mentem à terrenis actibus, ſiue à cogitationibus poſt cœleſtem viſitationem elongare: Et benè additum eſt: *puſillum*, quia nemo repente fit ſummus.

Paulatim profice.

Quod autem Ieſus Simonem rogare dicitur, ad liberum pertinet arbitrium; ſine cuius aſſenſu nullus iuſtificatur homo: penes ipſum conſiſtit meritum occaſionaliter: penes gratiam verò efficaciter.

Lib. arbitrium.

Et ſedens docebat de nauicula turbas. Quando peccator per verbum prædicationis conuertitur, ita vt de ſuperbo fiat humilis, de iracũdo manſuetus, de inuido charitatiuus, de accedioſo feruens & deuotus, de auaro liberalis, de luxurioſo caſtus, Ieſus in eius anima per gratiam ſedens, id eſt, quieſcens, de eo tam mirabiliter mutato docet turbas, ſicut eſt doctrina verbi, ita & doctrinæ exempli.

Conuerſionis ſignum.

Vt autem ceſſauit loqui, dixit ad Simonem: duc in altum; & laxate retia veſtra ad capturam. Videte fratres, quomodo Dominus gradatim per opus myſticum peccatorem inuitet ad celſitudinem meritorum. Primò intrat nauem, deinde rogat eã puſillum à terra reducere, poſtea de eadem nauicula docet turbas: deinde monet vt ducatur in altum: nouiſſimè relaxari iubet retia ad capturã. Ordinem iſtum per gratiã ſuam Dominus in quibuſdam obſeruat: prius aſcendit in animam peccatoris, per gratiam ſe ei infundendo: quam mox à ter-

Climax ſiue gradatio conuerſionis.

à terra reducit, omnia terrena in quibus prius delectabatur ei amaricando: de qua turbas docet bonum exemplum, de illius pœnitentia alijs oſtendendo. Sicque illam ducit in altum, ad vitam religioſam eam promouendo, & vt de multorum profectu gaudere poſſit cum Apoſtolo, officium prædicationis ſuo occulto iudicio eidem iniungendo.

Exẽplum. Notate ordinem conuerſionis & vitæ Beati Auguſtini Epiſcopi, & ab eo tempore, quo primum adire cœpit Sanctum Ambroſium, vſque ad illud tempus, quo factus Epiſcopus alijs verbum Dei prædicauit, & cognoſcetis ordinem prædictum in eo diligenter obſeruatum.

Altum eſt multiplex. *Duc*, inquit, *in altum*. Multis modis dicitur aliquid altum: videlicet ſublimitate, profunditate, virtute, cognitione, dignitate, elatione, perfectione vitæ. 1. Altum ſublimitate eſt cœlum, vnde *e viſitauit nos oriens ex alto*: Item; *f aſcendiſti in altum*. 2. Altum profunditate eſt mare, vt ibi: *g Veni in altitudinem maris* 3. De altitudine virtutis idem Propheta dicit: *h vt qui in altis habitas*. 4. De altitudine verò cognitionis, *i accedat homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*. Simone exaltante naui, etiam exaltatus eſt Ieſus: non tamen in ſe, ſed in nobis Deus exaltatur. 5. Altitudinem dignitatis intellexit, qui ait: *Perſtant altiſſima venti*. 6. De altitudine elationis ſcriptum eſt: *k & alta à longe cognoſcit*. 7. De alto perfectionis audi Apoſtolũ *l: conuerſatio veſtra in cœlis eſt*.

e. Luc. 1. 48.
f. Pſ. 67. 19
g. Pſ. 68. 3.
h. Pſ. 112. 5
i. Pſ. 63. 7.
k. Pſa. 137.
l. Phi. 3. 20

Prædicator in alto ſit. Vita prædicatoris ſemper eſſe debet in alto: vnde ei per Iſaiam dicitur: *m Super montem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion*.

m. Iſai. 40 9.

Cumque Dominus præmiſiſſet ſingulariter, *duc in altum*, ſtatim pluraliter ſubiunxit: *& laxate retia veſtra in capturam*. Neque hoc ſine cauſa: homo duce gratia ſolus aſcendere poteſt in altum monaſticæ conuerſationis, ſiue perfectionis, ſiue contemplationis: ſed ei tutum non eſt, ſi ſolus perfectus fuerit ad officium prædicationis. Perfectionis ſolus.

Paulus ſolus, cum tamen haberet comites, ductus eſt vſque ad tertium cœlum: ſed ſolus miſſus non eſt ad prædicandũ, nam Barnabas ordinatus eſt ei ſocius cum ad gentes deſtinaretur: qui poſtea plures ſibi aſſumpſit adiutores, Lucam videlicet, Titum, Timotheum, Sylam, aliosque multos, quos in epiſtolis ſuis commemorat. Prædicationis cum ſocio. Exemplo Pauli.

Nam & ipſe Saluator, miſit binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem & locum quo ipſe venturus erat. Chriſti.

Hinc eſt quod in nouo Ordine, & Prædicatorum, & Minorum fratrum, non minus quàm duo ſimul ad prædicandum mittuntur. [illegible] in via poterunt de prædicatione ſimul conferre, & alternis vicibus prædicare, & ſi vnus forte in verbo offendit, ab altero monitus & corrigitur. *Væ ſoli, quia ſi ceciderit, non habet ſubleuantem*. Et ſi quis [illegible] *præualuerit contra vnum, duo reſiſtunt ei*. Verba ſunt Salomonis. Cur bini. n. Eccl. 4. 10.

Rete [illegible] prædicationis ex [illegible] ſententijs [illegible] ad extrahendum animas [illegible]. Rete [illegible] ex lino retorto atque ſa[illegible]. Linum propter ſui munditiam ſignificat, ipſam ſacræ Scripturæ textum, qui ceteras [illegible] longe præcellit. Linum verò filatur, cum Habeat in promptu S. Scripturam & Patres.

ipſa verba prophetica, ſiue Apoſtolica per expoſitiones extenduntur: ex quibus quaſi rete nectitur, cum eadem expoſitio in homeliam, ſiue in ſermonem redigitur. Prædicator diuerſa debet habere retia, quia quibuſdam planiora quibuſdam ſubtiliora proponere debet.

Prædicatores inutiles.

Et reſpondens Simon dixit illi: Præceptor tota nocte laborantes nihil cepimus: Antequam Ieſus ad eos prædicatoris veniat, quaſi in nocte prædicando laborat: nihil interim capit, quod ei poſſit eſſe meritorium vitæ æternæ. Hoc illi audiant, qui non curant qualiter viuant; dummodo gloriosè & commendabiliter prædicare ſciant. Similiter & hi qui non attendunt, quid prædicét, quid proponant: dummodo multos capiant.

Digreſſio in cruciatos prædicatores indulgentiarios ineptos, & numero gaudentes auditorũ.

Tales ſunt hodie quidam prædicatores crucis, qui ſignari volẽtibus, quotquot vel quas animas requirut de purgatorio, vel, quod maioris veſaniæ eſt, de inferno repromittunt, ac ſi illas in ſuo reti concluſas teneant: Cum non ſint de foro viuentium animæ corporibus ſolutæ, qua fronte viuentes illas præſumunt vẽdere? Vſuras & rapinas vt retineãt, licentiant, dum tantum ad laqueum crucis multos trahant. Quis vnquam Sanctorum legitur talia prædicaſſe? de tali prædicatione dicitur per Prophetam: o *Caupones veſtri miſcent aquā vinum?* non conſiderant Apoſtolum dicentem: p *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & tradidero corpus meum, ita vt ardeam: charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Quomodo mortuis prodeſſet oblatio tam fermentata, labor tam infructuoſus; cũ ipſis ſignatis modicum prodeſſe credatur? vtile tamen eſt talibus ſignari, quia in periculis poſiti poterunt compungi, & de ablatis pœnitere, eaque reſtituere, & ſi non opere, propoſito tamen & voluntate. Mallem ſemper prædicare, & nullum ſignare: quàm prædicto modo ſignare multa millia hominum. *Quid prodeſt hominia ſi totum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?*

o Iſa.1.22 aliquid.
p.1. Cor.13
q Mat.16 26.

Intellex imus nuper diabolum prædicaſſe crucem, multoſque ſignaſſe: cum tamen impoſſibile ſit illum ſaluari.

Exemplũ Prædicatoris Crucis.

Cum ante paucos menſes magiſter Theobaldus, Cantor S. Stephani in Moguntia, in loco, qui dicitur mõs S. Remigij, crucem prædicaret, tantus erat ſuper eum in aere ventus, ſicut poſtea didicit, à diabolo concitatus, vt non poſſet audiri, & non niſi ſolum hominem ſignaret: die ſequẽti prædicante eo in lucherę, cœpit diabolus in fine ſtationis per os cuiuſdam mulieris mugire, ſicut bos: quæ cum adducta eſſet ad magiſtrũ, & ille interrogaſſet dæmonẽ de nomine, cur etiam, vel vnde veniret, ſic de ſingulis reſpõdit; Abrianus vocor: Ego ſũ qui te heri impediui, ne poſſes aliquẽ ſignare, miſſus ſum deponere dubietatẽ. Quædã enim prædicauerat, & in prædicatione promiſerat, vnde plures dubitabant: tunc Theobaldus; quia per te heri, vt aſſeris, impeditus ſum, præcipio tibi, per virtutem Crucis, quam prædico, vt ipſam mecũ prædices: & iniecit partem ſtolæ collo eius.

Coactus dæmon prædicat Crucem, ...

Qui cum valde inuitus, coactus tamen Crucem inciperet prædicare, & ſcol-

& Scoltetus quidam eiuſdem villæ, accedens, pro anima patris ſui, crucẽ ſuſcepiſſet, illa in eum irruit frendens, & clamans: nihil ei prodeſt. Adiuratus tamen terribiliter, quatenus eiuſdem animæ ſtatũ proderet, reſpondit: heu hodie liberata eſt. Ad quod verbum homines paſſim accedentes, dæmone prędicante verbis valde compunctiuis, ſignati ſunt de manu Theobaldi, vſq; ad octingẽtos.

Animæ à purgatorio liberatio.

Inter cætera occaſione nacta, & hoc verbum dicebat: quia vos homines miſericordem habetis Dominum, idcircò licenter peccatis: ſi nos poſſemus redire per pœnitentiam ſicut vos, quanta haberemus ſuſtinere? Nouiſſimè & hoc adiecit: A modo inter meos tam deſpectus ero ſicut cloacarius inter vos. Hæc mihi ab ore ipſius Theobaldi, qui eſt vir litteratus & religioſus relata ſunt: vt ergo ex prædicatione prædicantes meritum habeãt, in nomine Ieſu, id eſt, Saluatoris, retia laxent: quid autem ex hoc boni conſequatur mox Euangelium aperit cum ſubiungit.

Et cum hoc feciſſent concluſerunt piſcium multitudinem. Teſtatus eſt nobis idem Theobaldus in via deſcendendo ad nos, infra quinque dies ſe quinque millia hominum ſignaſſe.

Fructus mirus prędicationis.

Rũpebatur autem rete eorum. Nã tot quandoque ad prædicationẽ crucis confluunt, vt quorundam malitia & inquietudine rete prædicationis rumpatur.

Oliuero Scholaſtico Colonienſi, nunc Epiſcopo Paderbornenſi, prædicante crucem in Friſia, in ipſa ſtatione nobilis quidam Friſo, & ditiſſimus omnium, occiſus eſt, propter quem negotium crucis tunc temporis in illa terra ſatis impeditum eſt.

Exemplũ puniti impedientis prędicationem.

Simile accidit Limpurg dioceſis Treuerenſis oppido; cum Abbas noſter ibidem prædicaret.

Aliud.

Nobis etiam fratres captura iſta piſcium congruere videtur: omnes enim vel Dei inſpiratione, vel aliorum comminatione ad inſtar piſciũ de limo vitæ ſæcularis extracti ſumus: Et fit nonnũquam, vt ſæpè propter capturæ multitudinem rete diſciplinæ regularis, ob quorundam inquietudinem rumpatur.

Religioſi facti.

Rete ordinis Ciſtertienſis ex regula, vſibus, & definitionibus quaſi ex triplici filo confectum eſt: quidã rete hoc, dum eos prælati ſalubriter, propter exceſſus ſuos piſcantur, trãſiliunt, alij ſubterfugiũt, alij rete intrantes ipſum rumpunt: alij quietè ſatis in ipſo pauſant. Rete tranſilientes, ſunt in ordine ſuperbi, ſubnatantes, fures & proprietarij, rete rumpentes, rebelles & contumelioſi: infra rete ſe continentes, humiles & quieti. Cum peruentum fuerit ad littus extremi iudicij, bonis receptis in vaſa cœleſtium manſionum, mali, tanquam piſces reprobi, *foras mittẽtur in tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium:* vt ſint eſca vermium infernalium.

Sunt quadruplices.

Quod verò ſequitur, *& annuerunt ſocijs qui erant in alia naue, vt venirent, & adiuuarent eos*: repræſentat quandam conſuetudinem, quæ eſt in ordine, ſatis honeſtam & charitate plenam: quando domus aliqua debitis vel perſonis nimis eſt onerata, ita vt propter defectum tẽporalium mergi timeant; Abbates aliarũ

domo-

domorum & maximè vicinos, vt ſibi ſuccurrant, exonerant: quorum charitas nonnunquam tanta eſt, vt partē capturæ recipiant in domos ſuas, ſe quandoque periculoſè ſatis onerantes, vt alios exonerent. Talis eſt conſuetudo Ordinis Ciſtertienſis, vt noſtis; quatenus eis, quibus mittuntur contradicere non liceat: vnde ibi notanter poſitum eſt, *annuerunt*, non rogauerunt.

Obedientia miſsionis Ciſtercienſium.

Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Ieſu dicens: Exi a me, quia homo peccator ſum Domine: Stupor enim circundederat eum, & qui cum illo erant in captura piſciū.

Sic omnis Prælatus & prædicator facere debet, ſi viderit ſua exhortatione, ſcripto vel exemplo multos de limo mūdanæ conuerſationis extractos; ſemper humiliare ſe debet, & gratiæ Ieſu adſcribere, ſicut feciſſe legimus Sanctum Bernardum Abbatem.

Per hoc verò quod in fine poſitū eſt: *noli timere: ex hoc iam homines eris capiens*: datur intelligi, quorſum tendat, quod in nauicula eadem actū eſt. *Et ſubductis ad terram nauibus, relictis omnibus ſecuti ſunt eum.* Et nos fratres, relictis omnibus, non ſolum ſubſtantia exteriori, ſed & voluntate interiori, vt, cum naues corporum noſtrorum per mortem nobis fuerint ſubductæ, ad terram viuentiū illum liberè ſequi mereamur: Quod nobis præſtare dignetur ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus: qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorū: Amen.

* * *

DOMINICA SEPTIMA POST PENTECOSTEN SECUNDUM MATTH.

CAP. V.

IN illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Amen dico vobis, niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM *lectione.*

IVſtitia Scribarum & Phariſæorū modica fuit, & penè nulla: eò quòd iuſtitiæ eſſent non effectores, ſed ſimulatores. Vnde eis à Domino dictum eſt: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis: qui à foris apparent hominibus ſpecioſa: intus verò plena ſunt oſsibus mortuorum, & omni ſpurcitia.* Sic & vos à foris quidem apparetis hominibus iuſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate, id eſt odio veritatis. Sermo X. 2. Mat. 23. 27.

Hypocrita græcum nomen eſt, compoſitum ab hypo, quod eſt, ſuper, & chryſis, quod eſt aurum: Inde hypocrita quaſi ſuperauratus. Superius dixerat: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentā & rutam & ciminum, & relinquitis quæ grauiora ſunt legis, iudicium, & miſericordiam & fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Benè ergo dictum eſt diſcipulis, niſi abundauerit iuſtitia veſtra, plus quàm Scriba-

Lector de hoc autori pio. Alioquin, à criſis cōponitur, quod eſt Iudiciū.

barum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: non occides. Hoc eſt vnum de decem præceptis: Hominem ſponte & ex malitia occidere, non erat dignum iudicio, ſed morte: Vnde Dominus per Moyſen locutus eſt dicens: *b Qui percuſſerit hominem volens occidere: morte moriatur. Qui autem non eſt ei inſidiatus: ſed Deus illum tradidit in manus eius: conſtituam tibi locum, quo fugere debeat.* Talis iudicio reus erit, videlicet iudicio ciuiũ, vel dimittendus; vel occidendus: volens autem Domines oſtendere diſcipulis quanta perfectio requiratur à filijs gratiæ ſubiunxit. b. Leu. 24.

Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: id eſt, accuſatione. Non enim poterat occiſorem in ciuitate refugij occiſi proximus occidere; niſi prius per accuſationem coram iudicio cõuictum.

Ira malũ. A ſimili ſi quis iratus fuerit fratri ſuo, ſine cauſa ſcilicet, non ex infirmitate, ſed ex cordis ſui malitia; iam non erit dignus iudicio, ſed morte æterna, quæ pertinet ad gehennam ignis. Omnis enim motus animi, ſicut gloſſa dicit, ad nocendum fratri, in homicidium computatur.

Eſt triplex. Eſt enim triplex ira, virtutis, vitij, naturæ: vitijs proximi iraſci ad emendationem, virtuoſum eſt, & ideò meritorium. Fratri iraſci ex vitio, vt ei noceatur, mortale. Naturaliter nõ ex malitia, ſed ex infirmitate veniale, ſi tamen modum non excedens ipſa ira vitio deformetur.

Vitanda. Multum eſt ira vitanda, quia ipſa eſt tinea in corde, ignis in ore, gladius in manu: Spiritum ad iraſcendum facile, quis poterit ſuſtinere? *Vir iracundus,* vt dicit Salomon, *c prouocat rixas, qui patiens eſt mitigat ſuſcitatas.* *Ira viri*, vt ait Iacobus, *d iuſtitiam Dei non operatur.* Hinc Apoſt. Paulus dicit. *e Omnis amaritudo & ira, & clamor, & blaſphemia tollatur à vobis.* Sexta plaga Aegypti muſcæ bullientes erãt, id eſt, ira cum inſania, quod poeta conſiderans ait. c. Prou. 15. 18. d. Iaco. 1. 20.

Ira breuis furor eſt, Animum rege: qui niſi paret,
Imperat: hunc frenis, hunc tu compeſce catenis.

Tres deſcribuntur ſpecies iræ: quædam ira eſt, quæ in animo naſcitur, ſed vſque ad verba non producitur: hæc, ſi non compeſcatur, aliquando cauſa fit odij, rancoris, contumeliæ, detractionis, iniuriæ, & homicidij. De hac dicitur: *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio.* Eſt alia ira, quæ procedit vſque ad ſigna, vel voces contumeliæ, de qua ſubditur: *Qui dixerit fratri ſuo racha, reus erit conſilio,* id eſt, grauiori iudicio. Tertia ira eſt, quando expreſſe & ſpecialiter verba contumeliæ in perſonam fratris iaculantur: de hac dicitur: *Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis;* Gradus culparum ſatis declarant gradus pœnarum. Tres ſpecies iræ.

Prima ira deſignata eſt per filiã Archiſynagogi in thalamo defunctã: ſecunda per filium viduæ vnicũ, qui mortuus ferebatur extra ciuitatem. Quando ira procedit in actum, quaſi mortuus effertur in publicum. Tertia ira deſignata eſt per quatriduarium Lazarum fœtẽtem in ſepulchro: qui proximo verbis infamiam ingerit, quaſi Typus cuiuſque.

quaſi fœtore cadaueris bonam illius famam corrumpit.

Obiectio Lex noua eſt grauior quam vetus.

Sed fortè dicit quis: Si Deus motum, ſigna vel verba iræ ſic acriter punit, conſtat manus Ieſu grauiores eſſe manibus Moyſi. In lege dicit: e *Qui occiderit hominem, morte moriatur*: hic verò: *Qui dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis*; multo crudelius eſt animam occidere pro verbo, quàm corpus pro homicidio.

e. Leu. 24. 17.

Solutio.

Cui reſpondetur: Idem locutus eſt in lege, quæ hodie loquitur in Euangelio: vbique iuſtus, vbique miſericors: Ibi peccatũ puniuit in corpore, ne puniret in anima, quia non punit Deus bis in idipſum: nunc verò miſericorditer expectat ad pœnitentiam, ne poſtea ſeuerius puniat impœnitentem. In lege præcepit g percuſſori reddi rationem: in euangelio verò dicit: h *qui percuſſerit te in maxillam, præbe ei alteram*: quia maior eſt perfectio in Euangelio, quàm in lege: plus modò, quam tunc punit motum iræ. Illi verò decedentes poſt opera iuſtitiæ deſcenderunt ad infernum: filij verò gratiæ niſi eos impediat pœna alicuius culpæ mox euolant ad regnum cœlorum.

g. Exod. 21 24. Deut. 19. 21. Leu. 24. 20. h. Luc. 6. 29.

Declaratio per ſimile.

Certè fratres, ſi aliquis paterfamilias duos habens ſeruos, æqualem illis traderet poſſeſſionem; vnique diceret, tu ſtatim fructus eius percipies, alteri verò, tu expectabis quoad vſque mortuus fuero, puto quòd prior multò fidelius haberet ei ſeruiret, & ne Dominum in aliquo offenderet magis ſe cuſtodire, quàm ſecundus.

Per aliud.

In eodem genere peccati, quia plus Deum offendit Monachus, quàm laicus: num ideò melior, vel ſæcularior vita ſæcularis, quàm clauſtralis? Abſit. Iſti promittitur poteſtas iudicandi cum Domino, quod non illi.

Videte nunc fratres quomodo tres ſupradicti gradus iræ etiam ad nos pertinere, & de nobis poſſint exponi. *Omnis*, inquit, *qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio*. Quidam ſunt, qui vix, vel nunquam cordis irã celare poſſunt, quoties illos, quibus moti ſunt, reſpiciunt. De talibus per Salomonem dicitur: *Fatuus ſtatim indicat iram ſuam, qui autem diſſimulat iram, callidus eſt*. Non dicit prudens, vel iuſtus eſt, quia iuſtorum eſt iram dimittere. *O quam difficile eſt*, vt ait quidam, *crimen non prodere vultu*.

Quod frater conſiderans poteſt iraſcentem trahere ad iudicium prælati ſui, & dicere: Domine, frater meus talis exhibet mihi vultum ſolito duriorem, neſcio in quo eum læſerim. Poſtea ſi dixerit ei racha, id eſt, vocem aliquam indignationis, quia loqui non licet, emiſerit contra eum, per illam reum ſe facit concilio, quia propter hoc proclamari poterit in capitulo. Quòd ſi in tantum proceſſerit ira eius, vt ei dixerit fatue, per quod omne verbum vitioſum vel contumelioſum intelligitur, vnde fama illius poterit denigrari, reus erit gehennæ, id eſt, grauiſſimæ vindictæ, ſecundùm quod in capitulo generali diffinitum eſt. Vnde prudẽs frater ſemper iram debet reprimere, ne proruat in verba, quia, teſte Iacobo, k *lingua modicum membrum eſt, & magnam ſyluam accendit*.

k. Iacob. 3. 5.

Exemplũ frangentis iram.

Quidam, ſicut legitur in Vitis patrum, tanta vi freno fortitudinis iram repreſſit cordis; nolens

fratri

fratri obiicere, quod mente conceperat, vt fieret ſanguis in ore eius fel cõmotionis. Vnde à Monachis ſumopere ira fugienda eſt, quia ipſa inter fratres amicitiam rumpit, concordiã perimit, aufert ſabbatum pectoris, excludit pacem æternitatis. Sequitur.

Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.

Religioſi tria munera offerũt.

Valde nos attentos reddere debet verſiculus iſte, qui quotidiè penè tria genera munerum offerimus ad altare Dei, videlicet munus laudis, munus orationis, munus corporis & ſanguinis Chriſti. Quodlibet horum Scriptura ſacra munus, ſacrificium, vel oblationem appellare conſueuit.

1. Laudis. l. Pſ.49.23 m. Pſ.26.6

De primo munere dicit tibi Deus, l *Sacrificium laudis honorificabit me.* Quod Dauid ſciens ait: m *circuibo, & immolabo in tabernaculo eius, hoſtiam vociferationis, cantabo, & Pſalmum dicam Domino.* Plus Deus delectatur in vitulis labiorum noſtrorum, quàm in ſanguine hircorum, aut vitulorum: vnde & dicit: n *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.* Quod ſibi velit offerri, oſtendit, cum ſubiungit: *Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua.*

n. Pſ.49 9.

2. Orationis. o. Pſ.140. b.

De ſacrificio orationis dicitur: o *Dirigatur oratio mea Domine, ſicut incenſum in conſpectu tuo, eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.*

3. Altaris.

De munere corporis & ſanguinis Chriſti in principio Canonis dicit Sacerdos: *Te igitur clementiſſime Pater, ſupplices rogamus, & petimus, vti accepta habeas & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata.*

Eadem offerunt & alij.

Quodlibet horum munerum offerunt non ſolùm ſacerdotes, ſed & miniſtri altaris cum cæteris fidelibus, qui præſentes ſunt: vnde & Sacerdos dicit: *Suſcipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus.*

Quidã verò malè.

Si offers Deo ſacrificium laudis cum rancore & odio fraterno, dicit tibi Scriptura: p *non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Si munus orationis, iterum audis: q *Peccatores non audit Deus.* Si munus corporis & ſanguinis Chriſti: audi Apoſtolum dicentem: r *Qui manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autem ſeipſum homo,* id eſt, examinet & purget ſeipſum, vt ſi peccata ſunt quotidiana, vel non ſunt mortifera, & dimittat confratri, acceſſurus ad altare, & dicat, dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. *Et ſic* ſecurus accedens *de pane illo edat.* Sic gloſſa prædictum locum exponit.

p. Eccl.15. 9. q. Ioan.9. 31. r. 1. Cor.11

Exemplũ humiliter reconciliantis ſeſe cũ ſubdito.

Quod ſciens Beatus Ioannes eleymon Epiſcopus Alexandrinus, cũ tempore quodam Clericum ſuũ pro ſacrilegio quodam excommunicaſſet, & ex miſericordia, licèt indignũ ſoluiſſet; cùm die quadam indutus pontificalib. acceſſiſſet ad altare Domini, timens quia prędictus Clericus adhuc non dimiſiſſet rancorem, memor ſupradictorũ verborũ, ſi offers

munus tuum ad altare. & cætera: veteris neceſſitatem ſimulans, in ſecretarium ad clericum venit, & ad genua eius procidens, animo illius mitigato, lætus ad altare rediit.

Aliud ſimile. Idem venerabilis pontifex, cum alio tempore duo ex clericis eius inter ſe litigaſſent: vnuſque die quadam, cui nomen erat Damianus, officio diaconatus accederet ad altare, de manib. eius cõmunicaturus, ſciẽs quia nondum ignouiſſet fratri culpam, tenuit manus eius, & ait. Vade prius & reconciliare fratri tuo, ſicque veniẽs dignè ſumes muneraDei: quod ita factum eſt.

Rancoris damnum. Qui enim rancorem tenet in animo, nihil illi prodeſt exterior muneris oblatio: rancor enim animi quãdiu occultus eſt, nõ poteſt nocere fratri, ſed plurimũ nocet propriæ ſaluti: vnde & Deo offerendus eſt in illa hora terribili in holocauſtũ.

Dubiolũ. Sed fortè dicet quis: Si fratrem meum proclamaui in charitate, & eũ propter hoc turbatũ, & rancoris aliquid habere contra me, nũquid propter hoc dimittam Miſſam, ſiue miniſteriũ meum? non: ſi tamen eũ debito modo, id eſt, de viſis & auditis leniter & breuiter proclamaſti: Attamẽ

Solutio. ſi noſti illum à prælato accuſationis tuæ cauſa ſupra mẽſuram grauatum, & ideo tribulatum, pium eſt, vt eum ad cordis tranquillitatem, in quantũ vales, reducas. Non peccas, imò mereris, ſi vitiis fratris tui, vt dixi, debito modo iraſceris. Antequam accedamus ad altare Dei, offerre ibi munus laudis, orationis, vel dominici corporis: dimittere debemus, ſi quid aduerſus aliquem habemus, & à nobis læſis ſatisfacere: quòd ſi tunc mẽti primùm occurrerit, niſi culpa valde ſit grauis, non tenemur ſacra veſtimenta deponere, & recedere ab altari, ſed ſeruare voluntatem ſatiſfaciendi. Quod vt implere poſſimus, ille nobis adeſſe dignetur, qui in cruce pro inimicis orauit Ieſus Chriſtus Dominus noſter Amen.

DOMINICA OCTAVA POST PENTECOSTEN, SECVNdùm Marcũ.

CAP. VIII.

IN illo tempore, Cum turba plurima eſſet cum Ieſu; nec haberent quod manducarent, conuocatis diſcipulis ait illis: miſereor ſuper turbam, quia, ecce, iam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo XI.

VSque hodie Saluator paſcere non ceſſat, non dico quatuor millia hominum, ſed innumerabiles turbas credentium. Paſcit corpora, paſcit doctrinaliter, paſcit ſacramentaliter, paſcit ſpiritualiter: paſcit inquantũ omnem creaturã corporalem, cibo corporali, paſcit fideles in Eccleſia per verba Euangelii, paſcit eoſdem ſacramento corporis & ſanguinis ſui: paſcit ſolos bonos gratia ſua ſpirituali. Chriſtus paſcit quadrupliciter.

Hi ſolummodo cum Ieſu ſunt per gratiam illi adhærendo, & fide, ſpe, atque charitate miſericordiam illius ſuſtinendo. Vſus harum trium virtutũ vna eſt triũ dierum, de qua per Triduum Chriſtianum primum gratiæ.

a. Exod.3. per Moyſen dictum eſt Pharaoni: *a ibimus vna trium dierum ſacrificare Domino in deſerto.*

Secũdum pœnitentiæ. Occurrit & aliud triduum, iuſtificatio ſcilicet contritionis, confeſſionis, & ſatisfactionis. Per hoc autem, quod dictum eſt, *iam triduo*, ſignificatur quædã imperfectio charitatis, ſiue ſatisfactionis.

Ne ergo eum ſecuti poſt pœnitẽtiam deficiant in via vitæ præſentis; eò quòd quidam de longè veniant, ſcilicet de regione diſſimilitudinis, interrogat diſcipulos, quot *panes habeant, qui dixerunt, ſeptem.*

Numerus iſte pertinet ad ſeptem dona Spiritus Sancti, quibus ſpiritualiter paſcitur Eccleſia Chriſti.

N. Septem panes. Sunt & alij ſeptem panes, ſine quorum viatico nullus peccator perueniet in domum æternę manſionis. Primus panis eſt reſpectus miſericordiæ diuinæ, ſecundus, expectatio pœnitẽtiæ, tertius indulgẽtiæ, quartus innocentiæ, quintus conſeruatio gratiæ, ſextus gratia promerendi, ſeptimus ſpes obtinendi.

Pudeficiẽtes. His panibus veſcebantur diſcipuli Ieſu, ſolo Iuda excepto: ſinguli de omnibus edebant, & cum diſtribuerentur in turbas non minus ſinguli abundabant: hoc Apoſtolus tũc temporis ignorantibus, Ieſus, qui eſt Dei virtus, & Dei ſapientia, præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram.

Quis ſit diſcubitus, vel quæ terra, in qua dona cœleſtia percipiũtur, & percipiendo multiplicantur: pandam, prout ipſe bonorũ diſtributor

Terra triplex eſt. inſpirauerit charitati veſtræ. Terra, vt noſtis, dicitur, & eſt hoc, quo portamur, viſibile elementum, terra etiam dicitur, & eſt corpus, quod gerimus, de limo terræ formatum, terra dicitur, ad quod ſuſpiramus, regnum cœlorum. Prima terra ſpinoſa, ſecunda ærumnoſa, tertia, delitioſa.

De prima terra dictum eſt homini peccanti: *Maledicta terra in opere tuo: ſpinas & tribulos germinabit tibi.* De ſecunda verò eidem dicitur, c *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Hoc Sanctus Iob recognoſcens, clamat ad Dominum; d *Memento quæſo, quòd ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me.* De tertia terra ſinguli in Pſalmo canimus: e *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* b. Gene.3. 18. c. Ibidem d. Iob.10.9 e. Pſ.26.13

Quòd homo terra ſit, audiamus teſtimonium Prophetæ, ait enim: f *terra, terra, terra, audi ſermones meos:* Ecce tertio vocat hominẽ terram, eò quòd homo triplici modo terra ſit. Primo modo terra eſt, quia de terra creatus, ſecundò terra eſt, quia in terra cõuerſatur: tertiò terra eſt, quia in terrã reuertetur. Sic homo terra eſt creatione, conuerſatione, morte: terra naturâ, terra vitâ, terra ſepulturâ. Homo eſt terra tripliciter. f. Iere.22. 29.

Super terram recumbit, qui conditionis ſuæ vilitatem recognoſcit. Cuidam quærenti à Philoſopho, quid fui? quid ſum? quid ero? fertur ille reſpondiſſe: vile ſperma, vas ſtercorum, cibus vermium. Hæc conſideranda. Apophthegma.

Seſſio ſuper humum, humilitatis & quietis eſt ſignum. Sedens altitudinem ſuam humiliat g *humilibus autem Dominus dat gratiam: h Super quem, inquit, requieſcet Spiritus meus, niſi ſuper humilem & quietũ.* g. Iacob.4. 6. h. Iſai.66.

A diſcipulis Ieſus, panes ſeptem accepit, atque per eos, poſt fractionẽ,

ac gratiarum actionem, turbis appoſuit, quia per Apoſtolorum miniſterium gratia Spiritus Sancti ad gentes deuenit. Sic Ieſum intelligamus dona ſua accepiſſe à diſcipulis, quomodo legitur abſtuliſſe de Spiritu, qui erat in Moyſe, & dediſſe ſeptuaginta viris. De diſtributione hac ſpirituali, audi Apoſtolum Petrum dicentem: k *Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam in alterutrum miniſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* Bene autem dicit, *multiformis gratiæ Dei*: quia prædicta dona Spiritus Sancti multa fragmenta faciũt. Quod Petrus fecit; hos & alios docuit. Dicit & Apoſtolus Paulus, l *Ego accepi à Domino quod & dedi vobis, qui & idoneos nos fecit miniſtros Noui Teſtamenti, non littera, ſed Spiritu.*

i. Exod. 24

k. 1. Pet. 4. 10.

l. 2. Cor. 3. 6.

Panes ſeptẽ Chriſtianorum

Conſiderate nunc fratres, *fractiones ſeptem panum*; videlicet diuinæ miſericordiæ, pœnitentiæ, indulgentiæ, innocentiæ, & cõſeruationis gratiæ, gratiæ etiam promerendi, & ſpei obtinendi.

Panis miſericordiæ, tres habet diuiſiones. Conuertit enim ad pœnitẽtiam, inſpirat conſolationem, dat indulgentiam. *Panis expectationis* pœnitentiæ, in duobus conſiſtit, in hoc ſcilicet, quòd tardat vltionem, & cogitat indulgentiam. *Panis indulgentiæ* partitur in tria, primum eſt quod Deus non damnat vlciſcendo, ſecundum, quòd non confundit in properando, tertium, quòd non minus diligit in putando. *Panis innocentiæ* partes ſunt; vt homo carnem & ſeculum conterat, & Sathanam, qui malleus eſt vniuerſæ terræ ſub pedibus ponat. *Panis conſeruationis gratiæ* in tribus attenditur, in occaſionis ſubtractione, in reſiſtendi data virtute, in affectionis ſanitate. Ad conſeruandã enim in nobis gratiam ſubtrahit nobis Deus peccandi occaſionẽ, reſiſtendi tribuit virtutem, ſanam præſtat conſcientiam. *Panis promerẽdi gratiam* etiam in tria partitur, in odium præteritorum malorum, in contemptum præſentium bonorum, in deſiderium futurorũ. *Panis ſeptimus*, id eſt, ſpes obtinendi ſimiliter in tribus colligitur, ſcil. in charitate adoptionis, in veritate promiſſionis, in poteſtate redditionis.

Septẽ panes religioſorum.

Occurrunt menti adhuc *alij ſeptẽ panes*, quibus ſuſtẽtamur nos, qui Ieſum ſecuti ſumus in ſolitudinem monaſticæ religionis. *Primus panis* eſt mũda cordis meditatio, ſecundus vocalis oratio, tertius cõtẽplatio, quartus diuina lectio, quintus Pſalmorũ ſiue aliorũ canticorũ ſpiritualiũ ſolemnis modulatio: ſextus verbi Dei prædicatio: ſeptimus panis qui & ſuperſubſtantialis dicitur, eò quòd omnem procellat ſubſtantiam, ſacra communio. Panes iſtos etiam ipſe Ieſus accepit.

Credimus animã eius ſemper fuiſſe in meditatione cœleſtiũ, & deitatis contẽplatione, quod nũquam alicui mortalium in via conceſſum eſt: De primo ipſe dicit per Prophetã: m *Meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.* De ſecũdo verò per Salomonẽ, n *ego*, inquit, *dormio, & cor meum vigilat.* Dormiuit quidẽ corpore, ſed vigilauit ſemper cœleſtiũ contẽplatione. Legimus eũ oraſſe, Deũ Patrẽ laudaſſe, prædicaſſe, ſacramento ſui corporis diſcipulos communicaſſe. Panes iſtos ſua doctrina nobis frangere dignatus eſt. Quam multiplex ſit panis ſanctæ meditationis experimento

m. Pſ. 48. 4.

n. Cãt. 5. 2.

mento nouimus, quia nunc cœleſtia, nunc quæ Chriſtus egit in terra, nunc Scripturarum teſtimonia cogitamus.

Panis orationis etiam in terra fractus eſt, hoc eſt, in oratione cordis, oris, & operis. Oratio cordis, deuotio charitatis, oratio oris, ſupplicatio vocis, oratio operis, executio dilectionis eſt. Primo modo Moyſes etiã tacens orabat o. Secundo modo fideles orant in Eccleſia cum Publicano, qui dicebat: p *Domine propitius eſto mihi peccatori.* Tertio modo orauit Martha, etiam q cum occupata eſſet circa frequens miniſterium: non enim ceſſat orare, qui non ceſſat benefacere.

Oratio eſt triplex.

o. Exo.14.15.

p. Luc.18.

q. Luc.10.40.

Panis contemplationis ſimiliter in tria diuiditur. Contemplatio prima eſt in viſibilibus, hæc eſt eruditio in littera. Secunda eſt de viſibilibus ad inuiſibilia, hęc eſt de littera ad ſenſum. Tertia eſt in inuiſibilibus, hæc eſt eruditio in ſenſum. Hac ſpecie contemplationis cibatus eſt Paulus, r quando ad tertium cœlum raptus eſt.

Contemplatio triplex.

r. 2. Cor. 12. 2.

Panis diuinæ lectionis quatuor habet partitiones: frangitur enim in ſenſum hiſtoricum, allegoricũ, tropologicum, & anagogicum.

Panis diuinæ laudationis partitur in pſalmos, hymnos, & cantum, miſſarumque celebrationes. *Panis prædicationis* triplex eſt, verbi ſcilicet, ſcripti, & exempli. *Panis verò ſacræ cõmunionis* duobus modis paſcit, hoc eſt, ſacramentaliter, & ſpiritualiter. Ecce tales ſunt fractiones ſeptẽ iſtorũ panũ ſpiritualiũ, qui per miniſteriũ diſcipulorũ nobis appoſiti ſunt.

Et habebant piſciculos paucos. & ipſos benedixit, & iuſſit apponi. Piſciculi pauci videntur ſignificare tentationes raras & paruas, quales fortè tũc temporis habebant diſcipuli Ieſu, quibus dictum eſt, ſ *vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tẽtationibus meis.*

Tentationes.

ſ. Luc. 22. 28.

Quantum verò piſces illi creuerunt in ore credentium, teſtantur innumerabilium paſſiones martyrũ. *Piſciculi* erant tentationes in illis, quibus dicit Apoſtolus, t *nondum reſtitiſtis vſque ad ſanguinem. Piſces* verò magni in illis, de quibus idem loquitur Apoſtolus dicens: *Sancti ludibria experti, inſuper & vincula, & carceres lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, &c.*

Et martyria.

t. Hebr. 12. 4.

u. Heb. 11. 36.

Piſcis in aquis naſcitur, fluctibus tunditur, ſed non moritur, in aquis creſcit & nutritur. Tentatio plurimũ auget charitatem: quæ ſi benedicente, ſimulque iubente Ieſu apponatur, non animam tũſionibus ſuis perimit, ſed proficere facit. Quod enim fornax auro, quod lima ferro, quod flagellum grano, hoc tentatio homini iuſto: Vnde *Auguſtinus* dicit in fine primi *confitemini: vos autem filij Dei promiſſionem vitæ præſentis habentes, & futuræ, ſi tentationes ſeculi vobis dura videtur: Ioſeph in carcere, Chriſtum in cruce cogitate. Sicut enim diabolus tẽtat ad ſubuerſionem, ita Deus nos tentat ad probationem.*

Augens charitatẽ.

Similia.

Et manducauerunt, & ſaturati ſunt. Multi religioſorum deficerent in via, ſi panibus Dominicis ſpiritualiter non ſuſtentarentur; ex quibus quidam adeò ſatiantur in anima, vt cibum corporalem faſtidiant.

Spiritalis ſaturitas.

Et ſuſtulerunt quod ſuperauerat de fragmentis ſeptem ſportas. Per fragmenta ſpiritualium Chriſti donorum deſignantur exempla: per ſeptẽ verò ſportas, omnes chartulę, ſiue libri,

bri, in quibus illa per litteratorum ſcripta colliguntur, expreſſi ſunt.

Aduſque obliuionē corporalis. Legimus quoſdam dulcedine ſanctarum meditationū, orationis, prædicationis, lectionis ſacræ, ſeu laudis diuinæ, cibum corporalem per dies aliquot neglexiſſe: nonnullos ſolo ſacramēto corporis & ſanguinis Dominici ſic ſuſtentatos; vt per multa tempora, pane, vel quolibet cibo corporali non indigerent.

Erant autem qui manducauerãt, quaſi quatuor millia: & dimiſit eos.

Quaternarius numerus eſt firmitatis: millenarius verò perfectionis. Panum prædictorum deuota cōmeſtio, edentes in fide firmos, & in charitate efficit perfectos: neque eis ſaturari merētur, niſi hi ſoli, qui Ieſum triduo ſuſtinent, in eum credendo, in eum ſperando, eumque diligendo.

Tridui ſuſtinentia. Ab hoc triduo nō diſcrepat triduum contritionis, confeſſionis, & ſatisfactionis. Nam ſine fide contritio, ſine ſpe confeſſio, & ſine charitate ſatiſfactio, nullius ſunt efficaciæ. Per hoc triduum ſuſtinentes Ieſum, ſanitates conſequuntur.

Suſtinētia quadruplex. Sunt autem diuerſæ ſpecies ſuſtinentiæ: ſuſtinent mali malos, ſuſtinent boni bonos: ſuſtinent mali bonos, ſuſtinent boni malos. Quòd mali ſuſtineant malos, teſtis eſt Apoſtolus loquens pſeudoprophetis: *x Suſtinetis, inquit, ſi quis in faciem vos cædit*: Item quòd boni ſuſtineant bonos idē dicit *y*: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legē Chriſti.* De ſuſtinentia malorum à bonis, iterum dicit: *z Vtinam ſuſtineretis modicum, quod inſipientiæ meæ: ſed & ſupportate me*: Item quòd boni

x. 2. Cor. 11. 20.
y. Gal. 6. 2.
z. 2. Cor. 11. 1.

ſuſtineant bonos, Dauid teſtatur in Pſalm. dicēs: *a Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique, & cæt.*

a. Pſ. 54. 13.

Suſtinentia Dei & hominū. Suſtinet etiam Deus hominem, & homo Deum: ſuſtinet enim Deus in multa patientia, vaſa iræ apta in interitum. Quòd homo ſuſtineat Deū per patientiam, multa ſuppetunt teſtimonia: ait enim Dauid in Pſalmo in perſona ſufferentium, *b propter legem tuam ſuſtinui te Domine.* Item, *c ſuſtinuit anima mea in verbo eius*; Qui ad ſufferentiam etiam alios adhortans ait; *d Confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.* Et in alijs pluribus locis idem dicit.

b. Pſ. 129. 4.
c. Pſa. 129. 21.
d. Pſa. 26. 14.

Suſtinētia malorū & bonorum. Suſtinendi ſunt à malis boni libēter, vt illorum exemplo, vel ſuffragio, ſeu verbis iuſtificentur: ſcriptū eſt enim: *e Cum ſancto ſanctus eris, & cum innocente innocens eris.* Suſtinendi ſunt à bonis mali multum patienter, quatenus illorum malitiā purgētur: quia quod flagellum granis, hoc boni ſunt malis.

e. Pſal. 17. 26.

Suſtinendus eſt Deus ante omnia, tam in aduerſis, quam in proſperis, exemplo ſancti Iob dicentis: *ſi bona ſuſcepimus de manu Domini, mala autem quare non ſuſtineamus?* Suſtinēdus eſt, inquam, Deus, vt ſpiritualibus bonis ſaciatos in pace dimittat, ſicque in domos cœleſtes æternaliter ſaciandos introducat Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui cum Patre viuit & regnat in vnitate Spiritus Sancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

* * *

DOMI-

DOMINICA NONA POST PENTECOSTEN, SECVNdùm Matth.

CAP. VII.

IN illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo XII.

MVlti ſunt hodie falſi Prophetæ, in terminis Eccleſiæ, loquentes mendacium in hypocriſi. In habitu ſimplici ſimplices adeũt; ſimplicitatis verba protendunt, & cùm ſibi minus cauerint lupinæ malitiæ dentes in illos defigunt: quos in Spiritu Sancto præuidens Beata Hildegardis magiſtra Sanctimonialium & Sancti Roberti in Pinguia, fœmina ſancta, & noſtri temporis Propheti ſſa, vt poſſent à Catholicis agnoſci, atque à cæteris hominibus diſcerni, in epiſtola ſua quam ſcribit ad Colonienſes, his verbis vſa eſt.

Prophetia de flagellantibus venturis hæreticis.

Populus iſte à diabolo ſeductus & miſſus, pallida facie veniet, & velut in omni ſanctitate ſe componet, ac moribus: ſæcularibus principibus ſe coniunget, quibus & de Epiſcopis, & de clericis ſic dicet: quare iſtos vobiſcum habetis, & quare eos vobiſcum patimini, qui totam terram in maculoſis iniquitatibus ſuis polluunt? iſti enim ebrij, & luxurioſi ſunt, & niſi eos à vobis abijciatis, tota Eccleſia deſtruetur.

Populus autem qui hæc dicet vilibus cappis, quæ alieni coloris ſunt, induitur, & recto modo tonſus incedet, atq; omnibus moribus ſuis placitũ & quietũ ſe omnibus oſtendet. Auaritiam quoque non amat, pecuniam non habet, ac in occultis ſuis tantum abſtinentiam imitatur; quod etiam vix aliquis ex eis reprehendi poterit.

Diabolus enim cum hominibus iſtis eſt: latitante fulgore ſe eis oſtendens, velut in conſtitutione mundi ante ruinam fuit, & Prophetis aliquãtulum ſe ſimilem facit, & dicit: In hominibus iſtis omnipotenti Deo ſigna mea aſsimulabo: ipſe enim homines iſtos infundit, quòd caſtitatem eis nõ aufert: & quòd caſtos eſſe permittit, cùm caſtitatem habere voluerint. Et iterum intraſſe dicit: caſtitatem & continentiam diligit Deus, quod & ego in iſtis imitabor. & ita quaſi in omni ſanctitate hominib. ſe oſtendet, & illudẽtib. verbis dicẽt, cæteri homines, qui ante nos caſtitatẽ habere volebãt, vt aſſum piſcẽ, ſe torquebant. Nulla autem pollutio carnis, & concupiſcentia nos tangere audet, quia ſancti ſumus, & Spiritu Sancto infundimur. Nam alij homines, qui eo tempore in fide catholica errant, iſtos timebunt, & ſeruili opere eis miniſtrabunt, & quantũ poterunt eos imitabuntur: tunc de conuerſione iſtorum populus gaudebit, quoniam iuſti ei videbuntur.

Cumque iſti curſum erroris ſui hoc modo confirmauerint, doctoreſque ſapientes, qui tunc in fide catholica fide-

liter perſiſtent, vndique perſequentes expellent. ſed tamen non omnes, quoniam aliqui illorum fortiſſimi milites in iuſtitia Dei ſunt.

Sed & quaſdam congregationes ſanctorum, quorum conuerſatio ſancta eſt, mouere non poterunt, quapropter Principibus & diuitibus conſilium dant; vt eaſdem Eccleſiarum Magiſtros & reliquos ſpiritales homines, ſcilicet ſubditos eorum fuſtibus ac lignis coerceant: quatenus iuſtifiant. Et in aliquibus hoc complebitur, vnde alij territi contremiſcent. Sed tamen ſecundum quod Helia dictum eſt, multi iuſtorum ſeruabuntur: qui in erroribus iſtis non confundentur, nec à fundamentis ſuis deſtruentur.

Seductores autem iſti in inceptione erroris ſui mulieribus dicent. Non licet vos nobiſcum eſſe: ſed quoniam rectos doctores non habetis, nobis obedite, & quæcunque vobis dicimus, & præcipimus, facite, & ſalua eritis. Et hoc modo fœminas ſibi attrabunt, ac eas in errorem ſuum ducunt. Vnde etiam ipſi in ſuperbia tumentis animi dicent. Omnes ſuperauimus, qui tamen poſtea eiſdem fœminis ſecreta luxuria commiſcebuntur, & ita iniquitas & ſecta eorum denudabitur. Iſti autem illi deceptores non ſunt, qui ante nouiſſimum diem venturi ſunt, cum diabolus in altum volauerit, vt ipſe in initio contra Deum pugnare cœpit, ſed præcurrens germen illorum ſunt, ſed poſtquam ipſi in peruerſitatibus Baal, & in alijs prauis operibus ſic inuenti fuerint: Principes & alij maiores in eos irruent, & velut rabidos lupos eos occident, vbicunque eos inuenerint. Hucuſque verba ſanctæ Hildegardis.

Quæ cum noſtris temporibus veniſſet Coloniam, poſt ſolemnem ſermonem quem latinæ fecit in Clero, præcipue eundem clerum, & paſtores ciuitatis muniuit, vt ſibi cauerēt à pſeudoprophetis, id eſt, hæreticis, eo quod multi eſſent inter ipſos. Cui cum diceret Magiſter Godefridus, plebanus ſanctæ Columbæ, & vbinam illos inueniemus, reſpondit: in ſpeluncis terræ, domos vocans ſubterraneas, in quibus textores & pelliſices operantur. Recedens verò à ciuitate prædictam remiſit epiſtolā.

Videtur mihi multo vtilius præſentis ſancti Euangelij lectionem explanare veridicis exemplis, quàm aliquibus ſcripturarum, quæ ſatis trita ſunt, teſtimonijs, eo quod cautiora nos reddant facta, quam verba quæ dicturus ſum à quodam ſeniore Monacho noſtro, qui tunc temporis præſens erat, mihi relata ſunt.

Ad ciuitatem Biſuntinam duo venerunt homines in habitu ſimpliciſſimo, in Eccleſia maiori orando, ieiunando, & vigilando ſummam ſanctitatem ſimulantes. Cumque totius populi per hoc ſibi fauorem cōparaſſent, cœperunt more lupino maximas & inauditas hæreſes prædicare; eaſque ſignis diabolicis confirmare. Intrantes ignem non comburebantur: ambulātes ſuper aquas non mergebantur, ſuper farinam pauimento iniectam gradientes veſtigia non imprimebant, quibus cum reſiſteret Epiſcopus cum clero; populus furens illis minabatur, ſigna, quæ ab eis viderant, prætendentes.

Cumq; Epiſcopus arctaretur vndique

Non imi- dique;quendam ſuum clericum, aliquando nigromanticum adijt, quæ
mandum. geſta ſunt expoſuit: & vnde illorum doctrina vel ſigna eſſent, vt à diobolo inueſtigaret, in remiſſionem peccatorum ſuorum iniunxit. Quod cũ ille feciſſet, licet inuitus: reſpondit diabolus. Mei ſunt, & à me miſſi, quæ à me didicerunt, prædicat, mea virtute ſignis coruſcant. Et adiecit. Habent enim ſub axellis ſuis chartulas proprio cruore conſcriptas, inter pellem & carnem conſutas: in quibus continetur homagium mihi ab illis factum: Ad quod Clericus. Quid ſi eis chartulæ ſubtraherentur? Reſpõdit diabolus. Tunc infirmi eſſent. Quo audito clericus gauiſus; ab inimico callidè ſe liberans, Epiſcopo cuncta recitauit, ſtatim Epiſcopus totum ciuitatis populum cõuocans, cum hæreticis; ignem accendi iuſſit: ſubtractiſque chartulis illos accenſum intrare præcepit, dicens, ſe velle probare verum nam vera eſſent, quæ audierat, qua cum reniterentur, Epiſcopus cunctã populo per ordinẽ recitans, diaboli chronographia omnibus oſtendit, ſicque miſeris in incendium proiectis, & in cinerem redactis, ciuitas ab errore liberata eſt.

Vnde cum Dominus præmiſiſſet, *intrinſecus ſunt lupi rapaces*: protinus ſubiunxit: *A fructibus eorum cognoſcetis eos. Nunquid colligent de ſpinis vuas: aut de tribulis ficus?* Spina pungit, lacerat, & attrahit, fructum gignens amarum. Tribulus eſt herba aſpera, fragilis, infructuoſa; cibus aſinorum, quaſi diceret Dominus. Cũ hæretici ſint malitioſi, & amari, fragiles, & infructuoſi: quomodo ex ſe producerẽt fructum ſuauem, vuam doctrinæ ſalutaris: & ficum dulcem per exemplum vitæ ſpiritualis.

Spinæ & tribuli fructus ne creſcant, impediunt, & manus metentium ſcindunt, ita vt hæretici. In multis locis, ſicut hodie patet, apud Albienſes, Catholicos impediunt ne in fide proficiãt, fructum prędicationis plurimum deturbantes.

Anno præterito Domino Conrado Portuenſi Epiſcopo quem contra eoſdem Albienſes hæreticos Honorius Papa miſerat, oblatus eſt quidam hæreſiarches: homo maturus ætate, barbam habens prolixam. Iſte dicebat nihil intereſſe, verum mulier admitteret virum legitimum, ſiue extraneum: nullam faciens differentiam inter coniugium, & incœſtum, vel adulterium. Reſeruatus eſt vſque in diem ſequentem: eò quòd legatus coram omni populo illum reuincere vellet. Exemplũ Gnoſtici.

Stante eo in turba; valide clamabat. Eſt ne hic aliqua, quæ virum admiſerit non ſuum? Cunctis præ verecundia tacentibus: erupit vna dicens: Ego in hoc rea ſum: Tunc hæreticus, Eya, inquit, inueni quod quæſiui. Dixitque ad illam, dic mihi mulier: cognouit te alio modo vir extraneus, quam tuus, nec ne? Reſpondente muliere, non, conuerſus ad Legatum hæreticus exclamauit. Audi ſtulte, audi, vbi conſimilis actio; quæ eſſe potuit in culpa diſſimilitudo.

Sciens Epiſcopus quia nullum ex Scripturis admitteret teſtimonium hæreticus: à Deo inſpiratus hãc dedit ſimilitudinẽ. Paterfamilias per Conuict.

Conuicti. per oſtium intrat in vineam ſuam, & vuas ex ea tollens effert, & commedit. Fur ex oppoſito ſepem latenter tranſcendens, idem, & eodem modo facit: nunquid æquè licitè hoc actitant? nunquid dominus & fur idem ius habent in vinea? ad quod verbũ cum obmuteſceret hæreticus; populi fideles frementes: maximè matronę, quas confuderat, irruentes in miſerum, tam diu eum capillis trahebant, donec exhalaret ſpiritum. Ecce ſecũdum teſtimonium Domini, ex fructu ſuo cognita eſt arbor hæc mala.

Et occiſi.

Sic omnis arbor bona fructus bonos facit. Sic, id eſt, ſicut arbor mala, de qua prædictum eſt, facit fructus malos, ita bona bonos. Septem proprietates ſunt in arbore, quibus naturam exprimit humanam: habet enim radices trũcum erectum, ramos, corticem, ſuccum, medullam, & folia in æſtate. Sic homo radices habet per pedes, quibus terræ adhæret, truncũ per corpus ſurſum erectum, ramos extenſos per manus & brachia, corticem per cutem ſuperductam, ſuccũ per ſanguinem, medullam per animam, folia per capillos & vngues, qui per infirmitatem, ſiue præciſionem cadunt, & recreſcunt. Cum homo tantam habeat cum arbore ſimilitudinem, expectatur, vt faciat fructum, qui per manus ſignificatur.

Hominis cum arbore ſimilitudo.

Et notate quòd non dicit ſimpliciter, fructũ, ſed *fructum bonũ*, quia ſicut ſequitur, *omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Excidetur per mortem, & in ignem mittetur per æternam damnationem. Quid ergo fiet de arbore mala, quæ fecerit fructum malum, vt ſunt hęreſes, periuria, furta, rapinæ, homicidia.

Arbor mala ſed virens; hæreticus eſt, ſiue malus Chriſtianus. Arbor arens, gentilis & Iudeus. Arboris malæ fructus, vt ait Apoſtolus, ſunt *fornicationes, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitia, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſentiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia.* Tales fructus facit arbor mala.

Et valde notandum eſt quod dicit, *non poteſt arbor mala fructus bonos facere.* Quamdiu homo in mortali eſt, malus eſt, nec poteſt interim fructum bonum, id eſt, vitæ æternæ meritorium facere: Arbor autem bona bonus eſt Chriſtianus, de quo dicitur in Pſalmo: *Et erit tanquam lignũ quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum; quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Bonæ arboris radix eſt anima, rami virtutes, fructus opera. Spirituales fructus boni hominis ſunt, *charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, continentia, caſtitas.*

Pſal. 1.

Referam vobis nunc fratres bonos fructus bonę arboris. In Polonia laicus quidam in Ordine noſtro cõuerſus eſt, nullam omnino ſciens orationem. Eſt enim conſuetudo gentis illius, vt cum intrant eccleſias, caput pauimento allidant, & pectus tundant, ſicque recedant. Cumque inſtruendus eſſet conuerſus, neque miſerere mei Deus, neque orationẽ dominicam diſcere poſſet, propoſita eſt ei ſalutatio Angelica, ad quod ita reſpondit: tam dulciter ſonat, ſpero quia bene diſcam. Quid plura? Citius

Exemplũ

tius illam didicit, quam ſine ceſſatione die noctuque dummodo vigilaret, & cum delectatione multa ruminauit. Nuper mortuus eſt homo, & ſepultus, & ecce arbor pulcherrima, ramis & folijs decenter ornata, de illius tumulo egreſſa eſt. Mirantibus cunctis quidnam hoc eſſet, vel quid portenderet, ad conſilium plurimorum etiam laicorum qui tunc aderant, qui ſcire deſiderabãt, de quo loco radices eiuſdem arboris exirẽt, reiecta terra viderunt omnes, quòd principalis radix de corde hominis egrederetur. Nec ignorabãt cauſam, qui eius nouerant vitam: nam in ſingulis folijs diſtinctis litteris Aue Maria apparuit.

Pius Dominus tam dulci miraculo oſtendere dignatus eſt quantum ei in ſuis ſeruis placeat laus & memoria Matris. Quid enim dixerim eandem arbuſtulam; niſi ſalutationem angelicam, quod radicem cordi infixam, niſi iugem eius memoriã? credo quòd de benedicto fructu figuratæ arboris, id eſt, Filio Virginis reficiatur & ſacietur in vita æterna. Ecce fratres quod olim per Iſaiam de Ieſſe myſticè prophetatum eſt, in iſto quodammodo etiam ad litteram impletum eſt. Hæc nobis relata ſunt à Domino Godefrido Abbate de Bergis, qui hoc anno in eadem prouincia viſitauit. Sequitur.

Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorũ, ſed qui facit voluntatẽ Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum. Hic ſpecialiter alloquitur Chriſtianos, qui eum credunt Deum & hominem. In vtraque natura vocamus eum Dominum, duos tamen Dominos, ſicut duas perſonas, dicere in Chriſto abhorremus. Sic ei dicimus: Domine Ieſu Chriſte Fili Dei miſerere nobis: dicimus etiam Domine Ieſu Chriſte, Fili Virginis miſerere nobis. Quodcumque Chriſtianus horum dixerit, non errabit. Chriſtus homo quid dicit? *Vos vocatis me Magiſter & Domine, & benedicitis: ſum etenim.* De Chriſto Deo quid dicitur? *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.* Et quia nõ ſufficit ad ſalutem fides ſine operibus, per bonam vitam, & proximorũ compaſſionem Patri placere ſtudeamus: vt ſic propter fructus bonos, tanquam arbores bonæ in cœleſti paradiſo tranſplantari mereamur. Quod nobis præſtare dignetur Ieſus Chriſtus lignum vitæ, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen. b. Pſa. 109

DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN, SECVNDVM Lucam.

CAP. XVI.

IN illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hãc. Homo quidam erat diues, qui habebat villicum, & hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius. Et reliqua.

HOMILIA MORALIS DE eadem lectione.

SVper lectionem iſtam Euangelicam multi commentati ſunt, videlicet Hieronymus, & ante eum Sermo XIII.

Theophylus Alexandrinus Epiſcopus, Ambroſius etiam Mediolanenſis, deinde moderniori tempore ſanctus Bernardus Abbas Clareuallis: nec non & magiſter Richardus de ſancto Victore, & poſt eum dominus Papa Innocentius: & alij quàmplures: quorum nomen & auctoritas à nobis ignoratur. Ex quibus alij allegoricè, alij mortaliter pœnitentem parabolam tam diuersè, & tam plenè exponere ſtuducrunt, vt iam via non ſit, per quam nouus expoſitor incedere poſſit. Vnde ſublimiori intellectu, vel generali poſtpoſito, qualiter eadem parabola prælatis, ſiue ſubditis Ordinis noſtri congruere poſſit, indagare ſatagamus. Ait itaque.

Homo quidam erat diues. Homo iſte Christus eſt, qui ſecundum Ieremiam *in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt*. b *Qui, cum diues eſſet in omnibus & ſuper omnes, propter nos egenus factus eſt, vt nos ſua paupertate ditaret*. Ipſius enim vox eſt. *Omnia, quæ habet pater, mea ſunt*. In d *ipſo etiam ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi*

a Baruc. 3. 38.
b 2. Cor. 8. 9.
c Ioan. 16 15.
d. Coloſſ. 2. 3.

Homo iſte diues habet Villicum, & villam. Villicum eius quemlibet monaſterij prælatum intelligamus: Villam vero corpus congregationis. Conſideremus in rebus exterioribus, quæ vel qualia ſint, quæ villæ neceſſitas exigat, vt ſic ad intellectum ſpiritualem animus exſurgat.

Villæ neceſſitas requirit agros, & nemora: vineas & pomeria: hortos & viuaria: fontes, riuulos, & molédina: greges & paſcua: currus & aratra: colonos & mancipia, licet huiuſmodi diuitijs monaſterium carere non poſſit ſpiritualiter tamen intellecta, quæ enumerata ſunt, magis placebunt.

Agri deſignant ſingulos fratres congregationis, qui ad ſimilitudiné agrorum per diſciplinam, & charitatis ſtudium ſunt excolendi. Hinc Apoſtolus dicit. e *Dei enim ſumus adiutores; Dei agricultura eſtis*. Agri ſi ſteriles fuerint primo loco ſtercoribus impinguantur, deinde ſulcantur: poſtea ſeminantur; nouiſſimè metuntur. Huiuſmodi cultura à prælatis, qui ſunt coloni ſpirituales, circa fratres ſpiritualiter exercéda eſt. Primo loco ſi in fœcundi ſunt, vt vberes fiant, fimandi ſunt exemplo humilitatis: nec nó & ſubſidijs temporalibus, quæ Apoſtolus. f vt ſtercora arbitratur: ſine quibus nec Deo ſeruitur. Deinde arandi ſunt & ſcindendi vomere diſciplinæ regularis: ſeminandi verbo doctrinæ ſalutaris: ſicque in fine metendi primo æternæ retributionis. Plurimum enim mercedis boni prælati recipiunt; & ex hoc eis etiam aureola debetur, ſi eorum verbo ſcriptis vel exéplo ſubiecti profecerint.

In monaſterio ſint Fratres.
e. 1. Cor. 3. 9.
Et hi ad virtutem excolendi.
f. Phil. 3. 8

Nemora quæ villæ ligna ad ignem, & ad ædificia conſtruenda, ſiue reſarcienda, ſubminiſtrant, confeſſores ſunt in congregatione, qui igné charitatis in cordibus confitentium accendunt, & nutriunt: virtutum ædificia in quibus non ſunt, nonnunquam erigentes, & ſi vetuſtate negligentiæ dilapſa fuerint, inſtaurantes. De his nemoribus dicitur in Numeris in laude Eccleſiæ. g *Quam pulchra domus tuæ Iacob, tabernacula tua Iſrael, vt valles nemoroſe, & horti iuxta flumina irrigui*.

Sint confeſſores.

Valles

Et hi humiles. Valles nemoroſæ ſunt humiles confeſſores: quorum virtutes & mores ſæpius imitantur confitentes.

Deuoti. *Vineæ* ſunt in oratione feruentes, qui per exemplum ſuæ deuotionis alios inebriant, & in cellam veri Salomonis introducunt: de talibus, ſponſus loquitur in Canticis cāticorum. h *Vineæ florentes odorem dederunt.* h. Cant. 2. 13.

Sint literati. *Pomeria* quid dixerim, niſi eos qui in congregatione litteratiores ſunt; ex quibus ſimplices ſcripturarum teſtimonia, & virtutum exempla colliguntur. Hæc ſunt poma, de quibus ſponſa dicit ad ſponſum. g *Omnia poma noua & vetera*, id eſt, vtriuſque teſtamenti teſtimonia, vel exempla: *dilecte mi ſeruaui tibi.* Vnde & illi ſponſus reſpondet. *Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorū cum pomorum fructibus.* g. Cant. 7. 13.

Sint ornati chariſmatis gratis datis. *Hortos*, in quibus creſcūt lilia, roſæ & aromata, ac diuerſa holerū genera, eos intelligo, in quibus varia chariſmatum dona redundant, in quorum vita lilia vernant per candorem caſtitatis: roſæ per fulgorem charitatis, aromatum ſpecies per famam flagrantem virtuoſæ operationis, holera virentia per ſimplicitatis exempla. h *Qui infirmus eſt*, inquit Apoſtolus, *holus manducet*: quaſi dicat. Qui intelligere non valet fortia ſcripturarum teſtimonia: ſimplicium & bene credentium imitetur exempla. h. Rom. 14. 2.

Holera virore ſuo etiam fidem exprimunt.

Sint pœnitentes. *Viuaria* ſiue piſcinæ compunctiuos exprimunt: quorum ſemper madeant oculi, vel timore pœnæ, vel amore cœleſtis patriæ. Piſcina fuit Maria Magdalena, dum pedes Saluatoris lachrymis ſuis lauit. i Similiter & Beatus Abbas Arſenius: qui propter abundātiam lachrymarum quas ex deſiderio cœleſtis patriæ fudit, ſudarium ſemper in manu vel in ſinu tenebat: viuarium fuit. De talibus habes iterum in Canticis Canticorum k, *Oculi tui O Eccleſia* ſcilicet: *ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis.* i. Luc. 7. 38 Surius in vita eius. k. Cant. 7. 11.

Heſebon interpretatur cingulum mœroris; contritionis lachrymas exprimens.

Fontes ſunt ſacræ Scripturæ volumina: quæ per ora Prophetarum eruperunt, quibus armaria religioſorum carere non debent. Sicut enim omnium fontium matrix mare eſt, & ab ipſo ſunt, atque in diuerſis mundi partibus erumpunt: ita omnes diuinæ Scripturæ initium habent à Chriſto, qui eſt fons in medio paradiſi, id eſt, Eccleſiæ, cuius ſpiramine ora Prophetarum & Apoſtolorum repleta ſunt. ſint S. Scripturæ ſtudia.

Riuuli, id eſt, fontium deriuationes ſunt patrum catholicorum expoſitiones: Auguſtini, videlicet, Hieronymi, Ambroſij, Gregorij: per quos abyſſus fontium ad noſtrum deducta eſt intellectum. Per quorū labores Deus l *emiſit fontes in conuallibus*: vt eis potarentur omnes beſtiæ agri, id eſt, gentiles illiterati. S. Patrum lectiones. l. Pſal. 103. 10.

Molendina ſunt, qui patrum expoſitiones corde retinentes, per illas minus intelligentibus frumentum ſacræ ſcripturæ comineſtibile, hoc eſt, intelligibile faciunt. Quando fratres conueniunt ad collationem, non debent ibi zizania, id eſt, fabulas molere: ſed de diuinis ſcri- ſint ſermones pij.

Scripturis inter ſe conferre. Ora Monachorum molendina Dei eſſe debent, ita vt non ceſſent Deum laudare, pſallere, legere, orare, vel de ædificatorijs, vt dixi, inter ſe conferre.

Sint procuratores. *Currus* ſignificat quadrigarios & mercatores in ordine, qui per diuerſas prouincias diſcurrunt, & nũdinas, vt vſibus fratrum ibi neceſſaria comparent, vel monaſterij res vẽdant, in quibus ſæpè ſæculares ſcandalizantur & turbantur, ita vt clauſtrales dicant eſſe negotiatores, cùm neceſſitas ſit in cauſa, non auaritia. In quorum perſona Salomon dicit: *m Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.* Aminadab, interpretatur populus ſpontaneus, illorum obedientiam exprimens.

Aratra ſunt omnia monaſterij exercitia, corporalia ſiue ſpiritualia.

Prælati. *Coloni* ſunt prælati Prior ſcilicet, Supprior, & cæteri omnes, quibus cura animarum commiſſa eſt, & in quibus Abbas onera ſua partitur.

Subditi. *Mancipia*, id eſt, ſerui & animalia, quibus onera dicuntur vel portãtur, ſignificant eos, qui in conuentu magis patientes, & humiles ſunt, atque ad obedientiam promptiores, in quorum perſona dicit Pſalmiſta, *n* n. Pſ. 72.22 *vt iumentum factus ſum apud te.* Itẽ: o. Pſ. 65.12 *o Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.*

Variæque virtutes. *Greges* verò fratres ſunt ſecundum diuerſas virtutes: boues deſignant actiuos, capræ contemplatiuos: oues ſunt innocentes, hœdi peccatores pœnitentes.

Ecce tales ſunt diuitiæ villæ huius ſpiritualis, de quibus Salomon p. Eccl. 2.4. dicit in perſona Chriſti: *p Magnificaui opera mea: ædificaui mihi domos, & plantaui vineas: fodi hortos & pomeria, conſueui ea cuncti generis arboribus, & extruxi mihi piſcinas aquarum, vt irrigarem ſyluam lignorũ germinantium*, & cætera. Quis ditior Salomone? Ipſe enim tam opere, quàm nomine Chriſtum ſpecialiter exprimit.

Si villa monaſterium, villicus profectò prælatus eſt. Ipſi enim cum eligitur à ſuo ſuperiore, loco Chriſti villicationis ſollicitudo committitur. Superior ſit loco Chriſti.

Et quia contingere poteſt, vt poſtea apud eundem quorundam inuidia accuſetur, videlicet quòd per eũ diſciplina pereat, & domus ſub eo non proficiat, ſitque magis dilapidator, quàm rerum monaſterij conſeruator, ſignanter ſubiungitur. *Et hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſſipaſſet bona illius.* Non dicit, quòd diſſipauerit, ſed quaſi diſſipaſſet. Quandoque iuſtè, quandoque etiam ſine cauſa prælati Eccleſiarum amouentur. Væ, iniurioſe accuſanti cum.

Non eſt aliquis Odo religioſus, quin hoc in ſuis conſtitutionibus habeat, vt prælati inutiles deponi poſſint & amoueri, ne caput morbidum totum corpus contaminet: quorum depoſitionem ſi qui promouerunt, zelo iuſtitiæ, non inſtinctu inuidiæ multum apud Deum promerentur, ſicut è contrario peccant, qui ex rancore animi Patres ſuos accuſant, & ad illorum depoſitionem laborant.

Ad hoc malum amouendũ in forma viſitationis noſtræ ſcriptum eſt: *Ipſum viſitatorem talem fore conuenit, vt non credat omni ſpiritui, ſed cauſam quam neſcierit diligenter inquirat:* Viſitatoris officiũ in deponendis accuſatis.

quirat: cognitam rationabiliter corrigat, zelo ordinis, & paterna charitatis affectu. Hinc præceptum eſt, vt ſine teſtimonio & conſenſu duorum Abbatum, nullus alium deponat, quẽ ſi depoſuerit ſine cauſa, eandem pœnam ſentiat.

Et vocauit illum. Quis, quem? Dominus villicum, id eſt, viſitator viſitandum, & ait illi, *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ.* In aduentu viſitatoris ordo Ciſtercienſis inſtituit, vt Abbas viſitandus ſtudioſè fratres admoneat, roget, & præcipiat: vt fideliter, & fiducialiter publicè, & priuatim, prout melius intellexerint faciendum, quæ corrigenda nouerint, ſuggerant, & proponant.

Viſitando quid agendum.

De quo, ſcilicet viſitando, ſi viſitator malam habuerit ſuſpitionem: tum propter præcedẽtem, tum propter inſtantem accuſationem; eique grauis fuerit, dicit. *Quid hoc audio de te?* Hæc & hæc de te dicunt. *Redde ergo rationem villicationis tuæ*. Volo audire computationem, & de ſtatu domus, atque de alijs de quibus infamatus es à fratribus tuis.

Praxis Abbatizantis ſed periclitantis.

Sentiens verò ille viſitatoris contra ſe animum firmatum, ad ipſum deponendum: ait intra ſe. *Quid faciam quia Dominus meus*: ſic enim filij patres Abbates vocare ſolent: *aufert à me*, id eſt, auferre proponit *villicationem* id eſt, Abbatiam? Scio quia ſi ſponte non ceſſero, reuertens reuertetur cum duobus, aut tribus Abbatibus, & deponet me.

Fodere non valeo, mendicare erubeſco. Per fodere intelligamus labores corporales, eo quod maxime labores monachorum in fodiendis hortis, & vineis atque radicibus arborum exſtirpandis conſiſtat.

Eſt ergo ſenſus. Si ceſſero ſponte; nimis erit mihi graue ſemper cum fratribus ad communes labores exire, quia gratiam officij mei iam diu diſſueui laborare. Mendicare etiam erubeſco, ſi depoſitus fuero, quia verecundum erit mihi veſtem & cibũ quærere in domo aliena. Abbas enim depoſitus ſi infra duos menſes non fecerit in domo ſua vel aliena profeſſionem, pro fugitiuo habetur, niſi forte ex auctoritate capituli generalis circa eum diſpenſetur. Luc. 16. 3.

Scio quid faciam. Noui Domino meo deberi centum cados olei: item totidem choros tritici, faciam illis occultam remiſſionem: vt cum amotus fuero ab Abbatia: recipiant me in domos ſuas, id eſt, libenter teneant, foueant, & ſupportent me fratres, & conſerui mei. Ecce ex hoc ipſo quod fraudem meditatur contra dominum ſuum; villicum ſe efficit iniquitatis. Et quid dicit? Interim dũ Abbas ſum magis familiarem me fratribus exhibebo: diſciplinam chori, rigorem capituli, & tœdium ſilẽtij illis temperabo. Præcipiam ſub forma compaſſionis, vt cantent ſubmiſſius, & pſallant celerius, arguam illos pro exceſſibus ſuis mitius: & ad collationes conuocabo frequentius. Iſta omnia, quia ſpiritualia ſunt, pertinet ad debitum olei.

De debito tritici quid dicit? Vt fratres minus & commodius laborent, procurabo miniſteria cellariorum, infirmariorum, aliorumq́; quibus officia ſunt iniuncta meliorabo: ſic me eis affabilem reddam, ſic neceſſaria miniſtrari faciam; vt me apud fratres commendent, & illis cũ hilaritate miniſtrent. Hæc, & his ſimilia

milia pertinent ad debitum tritici.

Oleũ quod cæteris liquoribus inſuſum ſemper ſuperiora petit; ſeruitia noſtra ſpiritualia ſignificat, triticum verò, quod ponderoſum eſt, & fundum petit, corporalia.

Conuocatis itaque debitoribus Domini ſui, ait primo: quantũ debes Domino meo? ait illi: centũ cados olei: hoc eſt perfectũ in ſpiritualibus ſeruitium. *Dixit itaq; ei: accipe cautionem tuã, & ſede citò, ſcribe quinquaginta.* Quod eſt dicere: Fixum tene, quòd citius remiſſionẽ tibi faciam in ſeruitio, quo Deo famularis: eo ordine quo prædictũ eſt. Quod vni dicit, omnibus dicit: Simile intelligas de debito chororũ tritici, nõ totum dimittit, ne amplius condẽnetur de nimia diſſolutione, ſed partẽ, vt à conſeruis laudetur de pietate: Non, quòd vnquã aliquid tale viderim de aliquo Prælato Ordinis noſtri, iſta dico, ſed quin fieri poſſit non contradico.

Quidam diſpenſator Theodorici Epiſcopi Trajatenſis, Euervuach nomine; ante annos paucos, cùm eſſet Domino ſuo fideliſſimus, conſeruorum inuidia apud illũ de diſſipatione bonorũ ſibi cõmiſſorum accuſatus, in tantum prouocatus eſt, vt diabolo ſe redderet, & tam diu ad plãcitũ ei ſeruiret, quouſque ab eo ſuffocatus iniquitatis ſuæ culpã in pœnis exſolueret. De hoc longam ſatis texui hiſtoriam in dialogorum libris diſtinctione duodecima, cap. 23 In ardeſcẽte tentatione etiam boni quandoque viri iniqua meditantur, & agunt cõtra Deum. Sequitur.

Et laudauit Dominus villicũ iniquitatis, quia prudenter feciſſet. Cum ſecundùm Apoſtolum *q prudentia carnis mors ſit*, quid eſt quod à Domino de prudẽtia laudatur? eſt enim quędam prudentia ſic dicta, quaſi in poſterum prouidentia: in hoc enim ſibi prouidit, quòd timens amoueri, & egere, fecit miſericordiam cum debitoribus domini ſui, vt, cum eijceretur, beneficij memores eum reciperent in domos ſuas.

q. Ro. 8. 6.

Nec immeritò adiecit, *quia filij huius ſæculi prudentiores ſunt filijs lucis in generatione ſua.* Chriſtus lux eſt: filij lucis homines ſunt ſpirituales: filij ſæculi, homines carnales. De illis dicit Dominus: *r dum lucem habetis, credite in lucẽ, vt filij lucis ſitis.* r. Ioan. 12. 36.

De iſtis verò, *s filij huius ſæculi nubũtur,* & nubent. Et vtinã ſpirituales tã ſtudioſi eſſent, ſecundùm ſpiritũ viuere, quomodò carnales ſtudioſi sũt, *t curam carnis in deſiderijs perficere.* s. Luc. 20. 34. t. Rom. 13. 14.

Aduertite, propter quòd Dominus parabolã iſtam præmiſerit: *Et ego,* inquit, *dico vobis, facite vobis amicos de Mammona iniquitatis: vt, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Mammona diuitiæ interpretatur; cũ Propheta dicat: *u quoniam Deus non volens iniquitatem tu es*: quomodo illi placere poterint iniquitatis diuitię? nunquid vult pauperibus impendi eleemoſynas de vſuris, rapinis, furtis, vel quibuslibet rebus malè cõquiſitis? Abſit: *x facere eleemoſynã de rapina pauperis, hoc eſt, mactare filium in conſpectu patris.* Idcirco enim diuitiæ dicũtur iniquę, quia cùm à Deo omnibus communes creatæ ſint; valde inæqualiter inter ſe illas diuidunt, vnde vulgatã ſentẽtia dicitur: *omnis diues aut iniquus, aut hæres iniqui.* De iuſtè habitis, vel conquiſitis facienda eſt eleemoſyna.

u. Pſal. 5. x. Eccl. 34. 24. Eleemoſyna de iniuſto.

Si ve-

Beque iuſto. Si verò iuſtus offert eleemoſynam, valet ad fugam pœnæ, ſed nō ad meritum gratiæ: ſi verò iuſtus valet ad vtrumque: cum Dominus dicat *omni petenti te tribue*: maximè tamen,
y. Luca 6. 30.
Facienda eſt iuſtis.
ſicut alibi dicit *iuſtis dandum eſt*, vt ipſi nobis, fiant amici, per quorum orationes, cum defecerimus in morte, recipiamur in æterna tabernacula. Ipſi nobis ſi in peccatis ſumus, poterunt obtinere meritum præmij, non peccatores. Qui vult habere locum in palatio, ſi prudens eſt, illos ſibi facit amicos muneribus, vel obſequijs, quorum petitionem princeps exaudiat, aliorum verò pauperum, qui boni non ſunt, occaſione tamen ob beneficium propter Deum illis impenſum, recipimur in æterna tabernacula.

Eleemoſyna ternaria eſt. Pluraliter dicit *tabernacula*, propter diuerſas manſiones, id eſt differentias meritorum: quia non omnes habemus diuitias vnde eleemoſynas faciamus; demus quod habemus: eſt enim eleemoſyna a manu, de qua dictum eſt, largiendo pauperi ab officio, miniſtrando ægrotanti, à lingua: proximum inſtruendo vel pro eo intercedendo, ab animo peccanti compatiendo vel iniurias remittẽdo. Ecce, non eſt qui ſe ab eleemoſyna poſſit excuſare, qui non poteſt proximo ſubuenire facto, vel quod minus eſt, verbo; ad minus ſubueniat animo.

Nec debet eleemoſyna eſſe frigida, vt tantum fiat intuitu humanæ laudis, non tepida, vt ſolùmodò procedat ex motu naturalis pietatis, ſed debet eſſe calida, vt fiat in feruore charitatis: hęc ſola meritoria eſt; hęc eſt condimentum ieiunij, orationis ornamentum, vigiliarum decus, largitatis inſigne, peccati remediũ ſpeciale. Per eleemoſynam in charitate factã cœleſtia tabernacula cõſtruũtur, aperiuntur, & tribuũtur: ad quę, & in quæ nos perducere dignetur Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui cũ Patre & Spiritu S. viuit & regnat per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

DOMINICA VNDECIMA POST PENTECOSTEN, SECVNDVM Lucam.

CAP. XIX.

IN illo tempore cùm appropinquaret Ieſus Hieruſalem, videns ciuitatem fleuit ſuper illam, dicens: quia ſi cognouiſſes & tu.* Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM *lectione*.

QVãta, vel qualia mala poſt paſſionem Saluatoris, & aſcenſionem eius in cœlum venerunt ſuper Hieruſalem, & vniuerſos fines eius; eo quòd non cognouerit tempus viſitationis ſuæ, id eſt, præſentiã Chriſti corporalẽ; in qua filios eius verbis, exemplo, & miraculis docere, & à peccatis reuocare dignatus eſt; Ioſephus & Aegeſippus hiſtoriographi illuſtres eo ordine quo prędicta ſunt à domino pleniſſimè deſcripſerunt: & quia non omnibus eædem hiſtoriæ notæ ſunt, breuiter ex eis oſtendam verba lectionis huius euangelicæ fuiſſe impletam: ſicque, quaſi fundamento ſubſtrato, ſenſus ſuperædificandus eſt allegoricus. Sermo XIIII.

Videns inquit, ciuitatem Hieruſalẽ fleuit ſuper eã, ex paterna cõpaſſione, Hiſtoria Euangelij.

mala ei futura prædicens. Hoc quia ipſa non vidit, flere non potuit, vnde & ait, *quia ſi cognouiſſes & tu*: ſubaudi fleres. *Et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcõdita ſunt ab oculis tuis.* Quæ, vel qualia mala ſint illa; mox aperit, cum ſubiungit. *Quia venient dies in te & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabit te, exercitus ſcilicet, & coangustabunt te vndique* arcta obſidione: *& ad terram conſternent te*: turres & muros tuos deijciendo: *& filios tuos qui in te ſunt*; ſubaudi occidendo.

Eiuſdem enarratio clarior ex varijs adiũctis. Quantitatem huius tribulationis etiam in alio loco declarauit dicens. *Erit enim tunc tribulatio magna: qualis non fuit ab initio mundi vſque modo: nec fiet.* Et vt minus haberent excuſationis Iudæi ſi non mala prædicta vitarent: etiam ſigna tribulationis & miſeriarum prædixit. Matt. 24. 21. *Cum videritis*, inquit, *abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta ſtantem in loco ſancto: qui legerit intelliget.* Caius verò Imperator ipſum templum Dei mutare in templum proprij nominis auſus eſt. Adrianus etiam, ſicut poſtea plenius dicetur, ſtatuam ſuam poni iuſſit in loco ſancto: vbi ſcilicet Arca ſteterat.

Ex ſignis præcedentibus. Præceſſerunt & alia ſigna à Domino prædicta *peſtilentia*, ſcilicet, *& fames, & terramotus per loca; terroreſque de cœlo & ſigna magna. Hæc* inquit, *omnia initia ſunt dolorũ.* 1. Stella enim præfulgens gladio ſimiliter per omnia imminere viſa eſt deſuper ciuitati. 2. Et Cometes præterea exitialibus flãmis per totum viſus eſt annum. 3. Nam ante excidij temporis ac belli nona hora noctis luminis fulgor aram templumque circumdedit ad inſtar lucis. 4. item propriè ſolis occaſum viſi ſunt currus & quadrigæ in omni regione per aerem ferri & armatorum cohortes miſceri nubibus, & vrbes circundare agminibus improuiſis, multaque in hunc modum portenta tunc temporis viſa ſunt. 5. De peſtilentia, & fame, quib. populus in obſidione preſſus eſt, inaudita refert Ioſephus. 6. De terræ motu & obſcuratione ſolis habemus in paſſione Domini: quibus multi territi ſunt. 7. Vt autem credentes vitare poſſent mala futura: & hoc eis ſignum prædixit. *Cum videritis ab exercitu circumdari Ieruſalem: tunc ſcitote quoniam appropinquat deſolatio eius. Tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant in montes: & qui in medio eius diſcendant: & qui in regione, non intrent in eam, quia dies vltionis hi ſunt. Væ pregnantibus. & nutrientibus in diebus illis.* Videamus nunc qualiter iſta impleta ſint ad litteram. Anno quadrageſimo poſt paſſionẽ Domini, (quod tempus Iudæis ad pœnitentiam indultũ fuit,) miſſi ſunt cõtra induratos duo principes Romani à Nerone Cæſare, Veſpaſianus ſcilicet, & Titus, qui ſanguine Chriſti, Ioannis Baptiſtæ, & Iacobi vtriuſque vindicarent. Ipſi sũt duo vrſi quibus vindicata eſt iniuria Heliſæi, id eſt, Chriſti. De ipſis dictum eſt in pſalmo. *Exterminauit eam*, (Ieruſalem ſcilicet & Iudæam) *aper de ſilua*: *& ſingularis ferus depaſtus eſt eam.* Mortuo vero Nerone Veſpaſianus propter obtinendum imperium Romam redijt, Tito filio in obſidione relicto, licet idem Titus naturaliter eſſet pi-

Ex hiſtoria facti, Vaſtatores duo principes. Pſal. 79. 14.

iſſi-

iſſimus, Iudæis tamen ſingulariter ferus effectus eſt.

Seruantur fideli educti, pereūt impij obſidione.

Hic antequam obſideret Ieruſalē Eccleſia quę in ea fuerat congregata, accepto diuinitus reſponſo, tranſiuit ad oppidum nomine Pellam, trans Iordanē, vt ſic ſanctis & viris iuſtis ex vrbe ſublatis, tandem tam de vrbe ſacrilega, quàm de populo impio fieret iuſta vindicta Dei., tunc ſecundum prophetiam Domini circumdata eſt ciuitas illa ſanguinum, tam vallo, quàm exercitu & coāguſtata eſt nimis. Quando ciuitas fortis & munita obſidetur vallum, id eſt, foſſatū fieri ſolet nonnunquam inter exercitum & ipſam ciuitatem, duplici de cauſa: ne videlicet obſeſſi poſſint effugere, ſiue latenter inſultus facere in obſidentes. Hoc in obſidione iſta factum credimus: maximè propter verba Domini.

Cædibus.

Quantis ergo malis gens tunc mulctata ſit vniuerſa: atque ipſa Iudęa bello, fame, igni, cædibuſque vaſtata ſit; quantaque populorum milia, patres cum coniugibus, paruulis, liberis, abſq; numero & diſcretione trucidati ſunt: quæ etiam diuerſarum vrbium obſidiones & clades: ſed & ipſius, de qua loquimur, famoſiſſimæ ciuitatis Ieruſalem quanta vaſtitas, & quantæ fuerint diuerſarum mortium ſtrages; quiſve poſt hæc ſingulorum bellorum tunc temporis extiterit modus: & vt, ſecundum id quod Daniel prædixerat, abominatio deſolationis in ipſo collocata ſit templo: qui plenius ſcire deſiderat, hiſtoriam Ioſephi relegat.

Fame.

Nam, vt de cæteris taceam, tanta erat fames in ciuitate, vt vxores de virorū manibus, & filij de parentū, & quod eſt infelicius, matres cibos de paruulorum manibus atque ore raperent. Nam mulier quædam Maria nomine, quę ad diem feſtum confluxerat, proprium filium iugulans, igni torrebat, & edebat. Tunc impletum eſt verbum Domini: *Væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.* Teſte enim Aegeſippo, pluſquam octoginta milia hominū, quos fames extinxerat, per vnam portam eiecti ſunt, ad diem ſiquidem feſtum Paſchę innumerabilis multitudo ex diuerſis ciuitatibus Ieruſalem confluxerat, qui nutu Dei in ciuitate, quaſi carcere incluſi, detinebantur. Indurauerat illos Deus, ne ciuitatem Romanis redderent; ne eis parci poſſet, qui Saluatorem ſine miſericordia crucidauerant. Fugere volentes ad Romanos, reducti ſuper muros ſuſpendebantur: volentibus mori parcebatur, pro vita ſupplicantibus vita negabatur. At Titus ciuitatem circumiens, cum peruidiſſet repletos mortuorum cadaueribus vallos & humani corporis tabo patriam totam rigari, cum ingenti gemitu eleuatis in cœlum manibus, Deum inuocat teſtem, hoc ſuum opus non eſſe.

Marc. 13. 17.

Titi proteſtatio.

Tandem capta eſt ciuitas, & cum templo ad terram proſtrata, & filij eius in ea. Colligens autem Ioſephus omnem numerum fame vel ferro peremptorum, vndecies centena milia deſignauit, cæteros vero poſt vrbis excidium electos iuuenes, quos decor & proceritas corporis commendabat, ad triumphum dicit reſeruatos. Qui ſupra decem & ſeptem annos erant, vinctos ad opera metalli deſtinatos, infra vero, per diuerſas prouincias venditos, & quia audierat Titus pro triginta denarijs Iudæos Chriſtum vendidiſſe, fertur totidem

Numerus deletorū.

captiuorū

venditorū

tidem & ipſe vendidiſſe pro vno denario: tūc adimpletum eſt quod Dominus prædixit: *erit neceſſitas magna ſuper terram, & ira populo huic, & cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes.*

Excidium vltimum. Quod verò ſequitur: *& non relinquetur lapis ſuper lapidem qui nō deſtruatur.* Adriani imperatoris temporibus impletum eſt. Hic ſtatuam ſuam poſuit vbi arca ſteterat, quia veſtigia ciuitatis adhuc aliqua manſerant: Iudæi verò, qui latenter ad locum ſanctum redibant, ſtatuam remouebant: ob hoc Adrianus cōmotus manum appoſuit extremam funditus ſubuertens vrbem: & edixit, ne quis Iudæorum maneret in terra illa: ciuitatem verò circa locum Dominici ſepulchri ædificans, Eliā vocauit: ecce hæc omnia, ſicut probatū eſt, accidiſſe conſtat, eò quòd non cognouerit tempus viſitationis ſuæ.

Quòd verò templum intrans *eiecit vendentes & ementes de illo*: oſtēdit maxime ſacerdotes cauſam fuiſſe tanti mali: quorum conſilio & inuidia Chriſtus occiſus eſt: nam ante tēpus, necnon & in ipſo tempore obſidionis, vſque ad tempus excidij, inter duos propter ſummum ſacerdotium tanta extitit diſcordia, tanta inuidia, vt plus ciuitati nocerent bella inteſtina, quàm forinſeca: ſiquidem vnus illorum templum tenebat cum ſuperiori parte ciuitatis, alter verò inferiorem. Princeps cauſa mali, ſacerdotes.

Sed quid deſcribimus mala præterita; cùm etiam temporibus his prophetia Saluatoris ſit impleta? nam ante hoc quinquennium cum exercitus Domini eſſet in obſidione Damiatæ, Coradinus Soldanus Damaſci muros & turres ſanctæ ciuitatis deſtruens, cumulos lapidum fecit ex illis: hæc dicta ſufficiant ſuper lectionem Euāgelicam ſecundùm hiſtoriā, nunc de allegoria videamus.

HOMILIA MORALIS DE eadem lectione.

CVm vidiſſet Ieſus ciuitatem, fleuit ſuper eam. Et reliqua.

QVæ in ſuperiori ſermone dicta ſunt hiſtoricæ, qualiter in anima myſticæ fiant, adiuuante Domino conabor exponere: in ſacro eloquio *Hieruſalem* plures habet ſignificationes: ſecundùm hiſtoriā ſignificat ciuitatem, de qua diximus, ſanguinariam, quæ occidit Prophetas, necnon & ipſum Dominum Prophetarum: deſignat etiam Eccleſiam militantem, ſimiliter & eccleſiam triūphantem: necnon & animā electam. De hac dicitur: *Surge illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt.* Sermo XV. Spiritalis Hieroſolyma. Iſai. 60.

Ciuitas iſta ædificatur ex lapidibus viuis, ex lapidib. ſculptis, & quadratis: vnde in Pſalmo: *Hieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum.* Cingitur autem triplici muro, fide, ſpe, & charitate. Fides murus eſt ſmaragdineus, ſpes murus hyacinthinus, charitas murus carbunculinus. Aedificatio. Murus triplex.

Sex portæ huius muri, ſunt ſex opera miſericordiæ, per quas itur ad meritum, & reuertitur ad præmium: Hoc quando erit? quando rex cœleſtis Hieruſalem ciuibus eius dicturus eſt: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab* Sex portæ.

eſt ab origine mundi: Eſuriu & dediſti mihi manducare: ſitiui & dediſti mihi bibere,&c.

Turres 4. Habet & Hieruſalem iſta moralis quatuor turres firmiſſimas, iuſtitiam,ſcilicet,prudentiam,fortitudinem,& temperantiam.

Defletur à Chriſto. Inclitæ huius ciuitatis quam ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecit Deus, videns ruinam Ieſus flet,eò quòd non ſit illi cura de bobus, ſed de animabus: ſic enim dicitur in nobis flere,ſicut ſe dicit in nobis crucifigi: & ſic Spiritus Sanctus in operibus noſtris malis dicitur contriſtari. 1.Cor.9.

Non à ſeipſa. Flens quid dicit? *Quia ſi ſcires & tu*, ſubaudi ò anima fleres. Anima peccando, quantum ad ſtatum præſentem,pœnis gehennæ ſe obligat,& bonis cœleſtibus ſe priuat: hoc quia experiméto non nouit,flere non poteſt: vnde & ſubditur: *Et quidem in hac die tua,quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.* Eſt dies culpæ, & eſt dies gratiæ: In die culpæ pacem habet anima cum vitijs,ſed nõ cũ Deo:In die verò gratiæ,pacẽ quidẽ habet cũ Deo, ſed cũ vitijs bellum. Quando anima pacem habet in die ſuo, de qua dicit Iob, *diem hominis non concupiui, tu ſcis*: ſignum eſt ruinæ eius. Propter quod dicit.

Vaſtatur à tribus. *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo,& circundabunt te & coanguſtabunt te vndique, & vſque ad terram proſternent te,& filios tuos qui in te ſunt.* Tres fuerunt principes Romanorũ,per quos Hieruſalem deſtructa eſt cum filijs ſuis: Veſpaſianus ſcilicet, Titus,& Adrianus,qui manum appoſuit extremam: Significant autem tres hoſtes quibus anima fortiter impugnatur & nonnunquam totaliter proſternitur, id eſt, mundum, carnem, diabolum. *Mundus*, quaſi vallo circumdat eam diuerſis oblectamentis, *caro*, incentiuis: *diabolus* coanguſtat eam vndique ſuggeſtionibus iniquis. à mundo.

à carne pertinacius. Veſpaſianus cum Tito ad obſidionem Hieruſalem venit, ſed rediens Romam filium ibidem reliquit: per quod quid aliud innuitur, niſi quòd ceſſante mundo à noſtra oppugnatione,caro nunquam ceſſat? nec dormientibus quidem parcit. Gula, appetitu comedendi atque bibendi nos prouocat,libido, motibus luxurioſis nos ſtimulat.

Nec miremini, quòd carnem, id eſt, carnalitatem, *b quæ ſemper concupiſcat aduerſus Spiritum*: dixi prolem mundi,quia ſicut de Veſpaſiano natus eſt Titus, ita de contemplatione horum,quæ in mundo ſunt,carnis quandoque gignitur appetitus.Hoſtis iſte nõ ceſſat donec corpus per mortem deſtruatur. b. Gal.5.17

Et à diabolo. Adrianus verò, id eſt diabolus, etiam poſt mortem manum apponit, nec ceſſat à malis, donec reliquias eorum de terra viuentium tollat, eoſque in infernum detrudat. Si poſt mortem inſecutus eſt Martinũ.in quo nihil ſui iuris reperit: iniquo quid faciet? Ecce propter triplicẽ hũc hoſtem dicit Dominus, & circundabunt te inimici tui vallo; mũdus ſcilicet cum ſuis delectamentis, & circundabunt te, videlicet caro, quaſi exercitu cum ſuis incitamentis, & coanguſtabunt te, diabolus ſcilicet cum ſuis ſpiritibus. Nam ſingu-

ſingulis vitijs ſinguli ſpiritus nequã ſuperpoſiti ſunt.

A vitiorũ conſenſu. *Et ad terram proſternent te*: cõſenſu vitiorum: vnius vitij conſenſus, totam virtutum fabricam dejecit. Attendite ſtructuram materialẽ: Ob vnius columnellæ caſum aliquãdo magna fabrica ruit.

De hoc non eſt neceſſe exemplũ quærere à remotis: nam anno præterito propter confractionem ſolius epiſtilis maxima fabrica, dormitorij noſtri ad terram vſque proſtrata eſt. *Et filios tuos qui inte ſunt*, ſubaudi etiam proſternẽt, id eſt, opera virtutum.

Diſſipatis virtutibus *Et non relinquent lapidem ſuper lapidem*. Lapides ſunt virtutes, quarũ iacturam Hieremias conqueritur dicens: c *Diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum*. Item Salomon; d *Tempus ſpargendi lapides, & tempus colligendi*. Virtutes, quas peccatum ſpargit; charitas recolligit. *Lapis ſuper lapidem non relinquitur*, quin deſtruatur: quia ſicut virtutes ſimul infunduntur, ita ſimul deſtruuntur. Deſtruitur virtus, deſtruitur motus, deſtruitur opus. Quodlibet horum virtus dicitur; In ædificatione ciuitatis tuæ, ô homo, lapis ſupponitur lapidi, cum motus virtuti, & opus adjjcitur motui. Si pauperi cõpateris, valde præcioſum lapidem virtuti, de qua idem motus ſurgit, ſuperponis: ſicque ædificatio ad perfectum ducitur.

c.Thrẽ.4.1
d.Eccl.3.5.

Per luxuriam vel ſuperbiam Sed caue, ne animam tuam ad imaginem & ſimilitudinem Dei factam, deſcribas in latere, ne diabolus cum ſuis ſatellitibus veniens ordinet aduerſus eam obſidionem, & comportet aggerem, & det contra eam caſtra, & ponat arietes in gyro; ſicque capiat illam. Later fit ex luto & palea. Lutum, quia inquinat, ſignificat luxuriam: palea, quia leuis eſt, ſuperbiam vel inanem gloriam. Quando in his duobus homo delectatur, niſi fortiter reſiſtat, per conſenſum capitur, & per opus deſtruitur: cauſa verò deſtructionis Dominus expreſſit cum ait.

Et contẽptum viſitationis. *Eo quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ*. Viſitat Deus animam multis modis: primò per charitatem illuminando, deinde diuerſis conſolationibus illam illuſtrando. Quòd ſi tantis ac talibus beneficijs ingrata fuerit, & peccauerit, tempus viſitationis ſuæ nõ cognoſcit. Propter necem Saluatoris, Ioannis, Stephani, & Iacobi vtriuſque; necnõ & cõtumelias diſcipulis illatas, Hieruſalem deſtructa eſt. Ieſus interpretatur ſalus: Ioannes gratia Dei; Stephanus norma noſtra: Iacobus ſupplãtator: propter culpam ingratitudinis, quicquid in nobis eſt ſalutis, quicquid gratiæ, quicquid diſciplinæ, quicquid virtutis & conſtantiæ, quibus vicia ſupplantari poterant, deſtruitur & mortificatur.

Mercatorum vitia duo. Sequitur: *Et ingreſſus in templũ, cœpit eijcere vendentes in illo & emẽtes, dicens illis: ſcriptum eſt. quia domus mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum*. Duo vitia inter mercatores ſatis ſunt vſitata: laudationis videlicet contra conſcientiam & vituperationis. Rem, etiam ſi mala ſit, vẽditor laudat, emptor verò, quod deterius eſt, bonam quandoque vituperat: vnde Salomon; e *Malum eſt, malum eſt, dicit omnis emptor*, & cum receſ-

e. Pro.2.14

receſſerit gloriatur, ac ſi mercatorē deceperit. Duo hæc vitia verſantur in tẽplo ſpirituali: ſicut fidelis quiſque dicitur ciuitas Dei, ita & templū Dei. Vnde Apoſtolus, *f Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.*

f 1. Cor. 3. 17.

Duo ſideſtum.

Per falſam & doloſam laudationem, vitium exprimitur adulationis: per falſam vituperationem vitium detractionis. Sæpè in alijs quidā laudant, quæ tamen diſplicēt; vt ſic laudatis placeant: hi ſunt venditores olei. Alij verò, quod peius eſt, ex cordis ſui malitia proximorum opera carpunt, & vituperant, quatenus illos vilis pretij, id eſt, meriti in aliorum oculis efficiant: hi ſunt de foro Iudæ, qui Christum, quem poſtea cōfeſſus eſt ſanguine iuſtum, triginta vendidit denarijs. Per huiuſmodi negotiationes domus orationis efficitur ſpelunca latronum. Plus eſt necare animam, quàm corpus.

Contemptus laudis & vituperij inter religioſos.

Domus orationis ſunt viri clauſtrales, qui ſi prædictis vitijs operam dederint, ſeipſos inuicem occidunt: vnde beata eſt illa congregatio quam Ieſus in ingreſſu ſuo, ab huiuſmodi mercimonijs mundauerit. Quapropter fratres ſimiles eſſe debemus mortuis; quibus cura non eſt, verum laudentur vel vituperentur. Ita quidam Patrum diſcipulum ſuum docuit, cum mortuos in ſuis monumētis multis laudibus extuliſſet, atque contumelijs affeciſſet: Et ſicut illi ad neutrum nihil reſpōderunt: ita monachum non debere neque laudibus extolli, neque vituperationibus frāgi. Sequitur.

Et erat quotidie docens in templo. Negotiatores ſic occupantur ſuis cōtractibus, vt doctrinæ vacare nō poſſint. Vt ergo perſonæ religioſæ, quæ templum Dei ſunt, & eſſe debēt; audire poſſint, quid in eis loquatur Deus; adulationibus ſiue detractionibus non occupentur, ſed Dei laudibus vacent, & ipſe eos docebit vias ſuas, cuius vnctio docet de omnibus Ieſus Chriſtus Dominus noſter, cui cum Patre & Spiritu Sancto honor & imperium per infinita ſæcula ſæculorum Amen.

DOMINICA DVODECIMA POST PENTECOSTEN, SECVNdùm Lucam.

CAP. XVIII.

IN illo tempore dixit Ieſus ad quoſdam, qui in ſe confidebant tanquā iuſti, & aſpernabantur cæteros, parabolam iſtam: duo homines aſcenderūt in templum vt orarent: vnus Phariſæus, & alter Publicanus. Et reliqua.

HOMILIA DE EAdem lectione.

SEctam Phariſæorum quam circa Saluatoris natiuitatem legimus exortam; multi ſacerdotum eò, quòd iuſtitiam, fidem, & pietatem ſapere videretur, æmulati ſunt, Angelos & Spiritus, animarum immortalitatē, corporumque reſurrectionem crediderunt, ieiunijs, orationibus, & eleemoſynis inſiſtentes. Propter hæc, & alias quaſdā ſuas traditiones, quas etiam præceptis legis præferebant, vocabant ſe Phariſæos; quaſi à communi vita hominum diuiſos. In huiuſmodi operibus confidentes eos, Sermo XVI. Phariſæi vnde dicti.

qui non ita viuere poterant, aſpernabantur.

Cauſa dictæ parabolæ. Vt autem eis Dominus oſtenderet, quòd non in prolixa oratione, ſed in cordis deuotione, non in ieiunijs, ſiue decimis, ſed magis in humilitate, mentis iuſtitia conſiſteret, ſuperbis Phariſęis parabolam hāc proponebat dicens: *Duo homines aſcenderunt in templum vt orarent, vnus Phariſæus, & alter Publicanus.* Quātum hodie diſtare videtur inter Eremitam & negotiatorem: inter Monachum & telonearium: tamen tūc temporis differebat inter Phariſæū & Publicanum. Publicani dicebantur hi, qui publicè peccabant; vel qui publicana negotia ſectabantur; vt ſunt conductores vectigalium fiſci.

Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi quia non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri: velut etiam hic Publicanus. Ieiuno bis in ſabbatho, decimas do omnium quæ poſſideo. Superba oratio. Phariſæi hypocritæ erant. Bene apparet in hoc Phariſæo, omnia eſſe vera, quæ ſæpè à Domino cæteris Phariſæis ſunt obiecta. Improperauit eis, quod non ex deuotione, ſed magis ex inani gloria orauerint, ieiunauerint, & res ſuas decimauerint. De oratione ſimulata quid dicebat: a. Mat. 12. 40. In orationibus. *a Væ vobis Phariſæis hypocritæ, qui deuoratis domos viduarum ſub obtentu prolixæ orationis, accipietis maiorem damnationem.* A quorum ieiunio diſcipulos auertens ait: b. Matt. 6. 16. Ieiunijs. *b Cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes: exterminant enim facies ſuas vt pareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis quia receperunt mercedem ſuam.* De decimis eorum quid dicitur? c. Luc. 11. 41. Decimis. *c Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentam & anetum, & cyminum, & rutam, & omne holus; & reliquiſtis, quæ grauiora ſunt legis: iudicium & miſericordiam, & fidem, & charitatem Dei. Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Quorum inutiles eleemoſynas non tacuit, cùm ait: d. Matt. 6. 2. Eleemoſynis. *d Cum facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus.*

Gratias Deo ob duo. Notate tamen fratres, quid Phariſæus dixerit in oratione. Gratias egit Deo propter Duo: videlicet, quòd vitijs fuerit immunis, & virtutibus inſignis. *Non ſum, inquit, ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri.* Duo ſpecialiter exprimit vitia: id eſt, rapinam & adulterium. Primum naſcitur de auaritia: quæ radix eſt omnium malorum. Secundum de luxuria: quæ non ſolum animam inficit; ſed & corpus irrecuperabiliter corrumpit.

1. ob immunitatē à vitijs. Duo hæc vitia ſpecialiter exprimere curauit; eò quod non ſolum ipſis in quibus ſunt, ſed & proximis plurimum noceant. Per rapinam intelligitur quicquid de auaritia ſurgit: ſcilicet proditio, fraus, fallatia, periuria, violentia, contra miſericordiam, cordis induratio. Multos hodie auaritia, heu! incitat ad vſuras diuerſas, ad rapinas, ad telonia indebita, ad iniuſtas exactiones, & ad alia mala innumera. Adulte-

rium

rium, ſicut & rapina magnum crimen eſt, & maximi nonnunquam cauſa mali. *Per adulterium* diuerſæ ſpecies luxuriæ intelliguntur: videlicet fornicatio, ſtuprum, incœſtus contra naturam. Qui ab his vitijs ſe immunem recognoſcit, meritò Deo gratias agit. Non tamen ſic gratias agat, vt alios iudicet & condemnet, ne propter ſuperbiam eis ſimilis fiat. *Per* hoc verò quod inſeruit *in iuſtitiam*, reliqua vitia, id eſt, ſuperbiam, iram, inuidiam, acediam, gulam notauit: quibus in oculis Domini ſe immunem orator iſte ſtultiſſimus prædicauit.

a. ob virtutes ſuas.

Deinde opera ſua bona, & duo ſpecialiter enumerauit, dicens: *Ieiuno bis in ſabbatho*, &c. Sabbatum vocatur hebdomadam à die digniori quaſi à capite illam exprimens. Eandem conſuetudinem habent hodie in Eccleſia plures tam ſecularium, quàm Clericorum, duos dies in ſeptimana ieiunantes: ſextam videlicet feriam, propter paſſionem Domini; & quartam feriam ſiue ſabbatum in honorem beatæ eius Genitricis.

Eædem commendantur.

Reuera magna virtus eſt orationis: cui duo bona hæc aſſunt, ieiunium videlicet, & eleemoſyna. Per hæc duo, quaſi duabus alis, oratio ſubleuatur in cœlum: ita tamen ſi debito modo fiat, hoc eſt, in charitate, & humilitate: *e Oratio enim humilitatis ſe penetrat nubes: & donec propinquet, conſolabitur.* Hæc eſt enim iuſtitia hominum in hac vita, ſicut dicitur in epiſtola ad Epheſios? *f* ieiunium, oratio, & eleemoſyna. Vnde de ſingulis aliquid dicere non erit inutile, & primò de oratione. *Quid ſit oratio; vnde, vel quot modis dicatur? qualis eſſe debeat? aut quæ ſit eius virtus & vtilitas?* breuiter audiatis.

e. Eccl. 35. 21.

f. Epheſ. 6.

De Oratione quid & quotupleri.

Oratio eſt pius cordis ad Deum affectus: qui, ne pigritetur, verbis excitatur. Dicitur autem oratio, quaſi oris ratio: eò, quòd rationabiliter ſit orandum. Oratio quandoque dicitur ipſum oratum: necnon & ipſa vocalis oratio, vt, miſerere mei Deus. Similiter & ipſa vocum prolatio: quæ à malo mala, & à bono bona eſt. De malo oratore dicitur: *g Oratio eius fiat in peccatum.* Item auctoritas: *Qui indeuotè orat, iudicium ſibi poſtulat.* De bono autem dicit Apoſtolus Iacobus: *h Multum valet oratio iuſti aſſidua.* Quandoque oratio dicitur motus animi: qui à bono bonus, & à malo malus. Quandoque congeries vocabulorum, quæ indifferens eſt, quia nec bona, nec mala. Quandoque deſiderium Eccleſiæ, id eſt, fidelium, quod ſemper bonum eſt.

g. Pſ. 108. 7.

h. Iacob. 5. 16.

Qualis?

Oratio debet eſſe pura, verecunda, deuota, ampla, frequens, & munda: oratur autem tribus modis; corde, labijs, opere. His tribus modis etiam Chriſtus orauit: vt nos informaret: orauit cordis intentione, vnde Apoſtolus: *Qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſque offerens ad eum, qui poſſet eum ſaluum facere à morte, cum clamore valido.* Orauit ſono labiorum, vt ibi, *k Clarifica me Pater claritate quam habui, priuſquam mundus fieret.* Orauit ipſo opere, ſanguinem ſuum in crucem fundendo.

k. Ioann. 17. 5.

Quæ vis eius & vtilitas.

Tanta eſt virtus orationis vt etiam exteriore homine dormiente, tacente, ſiue aliquid aliud actitante, ſua iuſtitia vel innocentia oret pro ipſo: habet enim virtutes & opera bona in auribus Dei voces ſuas: valde potens eſt apud Deum oratio iuſti: vnde Pſalmiſta dicit: *l Intret in conſpectu tuo oratio mea.* Ipſa reuera quaſi aliqua ſublimis perſona, ad Deum intrat peragens mandatum, quò caro peruenire non poteſt. Virtus orationis hoſtem in Moyſe proſtrauit *m*; in *n*. Elia cœlum clauſit, & reſerauit: in Eliſæo *o* filium viduę ſuſcitauit: *p* Suſannam à mortis periculo liberauit: *q* tres pueros in camino defenſauit: *r* Danieli myſteriorum profunda reuelauit; per Apoſtolos mortuos ſuſcitãs, dæmones fugans, leproſos mundans, cæcos illuminans: oratio etiã *ſ* montes trãſfert: virtus orationis, vt ait Gregorius, celſitudo charitatis eſt, cuius vtilitas tanta eſt, vt *t* quicquid in oratione petatur, in nomine Ieſu fiat, vel in præſenti vel in futuro.

l. *Pſa.* 78.
Exempla.
m. *Exo.* 17 12.
n. 3. *Reg.* 17
o. 4. *Reg.* 4 32.
p. *Dan.* 13.
q. *Dan.* 3.
r. *Dan.* 2. 20.
ſ. *Matt.* 15. 20.
t. *Ioan.* 14. 13.

Vocalis cur inſtituta.

Oratio verò vocalis propter quinque inſtituta eſt, videlicet pro excitanda deuotione, pro proximi inſtructione, pro linguæ obſequio, pro rei petendæ commemoratione, pro diligentiori cuſtodia rei impetratæ.

Generalis verò *oratio* eſt, bona vita, quia non ceſſat orare, qui non ceſſat bene viuere: ſimiliter & bona opera; vnde: non ceſſat orare, qui non ceſſat benefacere. Si vniuerſa hæc, quæ de oratione dicta ſunt intellexiſſet prædictus Phariſæus, fortè tam modicam non fudiſſet orationem.

De ieiunio quid ſit.

Ieiuno, inquit, bis in ſabbatho. Sicut ſupra dictum eſt de oratione, ita & de ieiunio, *quid ſit, vnde dicatur, in quot diuidatur ſpecies, vel quæ ſit ieiunij vtilitas & virtus,* ſcire neceſſarium eſt: nec eſt attendendum quid Phariſæus dixerit, ſed quantum bonũ iactãter perdiderit. Ieiuniũ eſt in interiori vigilantia diſcretæ parſimoniæ cuſtodia: ita à quibuſdã deſcribitur. Dicitur autem ieiunium à ieiuno, quod eſt inteſtinum quoddã vacuum in homine mortuo. Sic enim ieiunandum eſt, vt anima vacua ſit à vitijs, & venter à cibis.

Quotuplex ſpirituale.

Ieiunare à vitijs, ieiunium eſt generale, ieiunare à cibis, ieiunium ſpeciale. Ieiunium in paradiſo præmitus eſt inſtitutum, & à Deo primo homini præceptum, cum ait: *u De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedatis.* Hoc ieiuniũ corporale ſcilicet, multiplex eſt.

u. *Gene* 2.

Corporale.

1. Eſt ieiunium conſuetudinis ſolius. 2. ieiuniũ auaritiæ & cupiditatis. 3. ieiunium conſequendæ ſanitatis. 4. ieiunium crapulæ & ebrietatis. 5. ieiunium laudis & apparẽtiæ. 6. ieiunium neceſſitatis & indigentiæ. 7. ieiunium coactionis & vindictæ. 8. ieiunium charitatis & pœnitentiæ.

Quæ cuiuſque vtilitas.

Primum ieiunium ſi fiat ex charitate, meritorium eſt, ſi ex ſola conſuetudine, vel ad hoc tantum, vt prauum ſcandalum vitetur, vel ne alijs ſcandalum præbeatur, infructuoſum eſt. *Secundum* ieiunium cupiditatis ſcilicet & auaritiæ, pernicioſum eſt, quia ad hoc tãtum euacuatur ſtomachus, vt impleatur loculus. *Tertium* ieiunium, id eſt, infirmitatis indifferens eſt, quia nec prodeſt, nec nocet animæ. *Quartum* ieiunium, ſcilicet guloſitatis, hoc eſt, vt affectuoſius

ſuma-

ſumatur cibus; Deo deteſtabile eſt. *Quintum* ieiunium, humanæ ſcilicet laudis, quo & prædictus Phariſæus vſus eſt, valde malum eſt; eò quòd hic mercedem ſuam recipiat: ſimile lampadi ſine oleo. *Sexto* ieiunio, id eſt, coactionis & vindictæ clauſtrales ſæpè vtuntur, & eſt eis meritorium: ſi illud pro ſuis exceſſibus patienter ſuſtineant: ſin autem, infructuoſum.

optimũ. *Septimum* ieiunium, charitatis ſcilicet & pœnitentiæ, bonum eſt & meritorium. Valde ſalubre ieiunium eſt, foris macerans carnem, & intus eleuans animam. Rationem excitat, & concupiſcentię fomitem refrenat. Modicum prodeſt ieiunium corporis abſque ieiunio mentis. Quid prodeſt, vt quidam ait, ſi os ieiunet à cibo, dum lingua reſoluitur mendacio? dum oculus epulatur in vanis? auris delectatur fabulis? naſus odoratur in odoramentis? tactus diſcurrit in planis? manus in rapina? pes extra ordinaria via? ieiunent ergo & cæteri ſenſus cum guſtu, vt, qui fuerunt ſocij delectationũ, ſint comites paſſionum. Quantum gratiæ, quantumue gloriæ Moyſes, Elias, Daniel, & ſocij eius ieiunando meruerint, norũt qui Scripturas ſacras legerunt. Sequitur de eleemoſyna.

Decimæ de decimis ſunt eleemoſynæ Cler. *Decimas do omnium quæ poſſideo.* Si Phariſæus iſte Sacerdos fuit vel Leuita, non puto quòd decimas fratribus ſuis dederit, ſed pauperibus, quia nuſquam Leuitæ Leuitis decimas dediſſe leguntur, niſi de decima decimæ: vnde & magis gloriabatur in ſua decimatione, eò quòd tantò videbatur Deo hominibuſque gratior, quantò liberior. Hoc modo miles quidam ex deuotione præter decimã ſolẽnem, quam ſoluit Archidiacono, necnõ & ſacerdoti ſuo, ſpecialem decimam ſingulis annis de omnibus, quæ poſſidet ſeparat; eã nobis propter honorem Beatæ Virginis offerẽs. Decima nihil aliud eſt, quàm eleemoſyna, cuius ſpecies plures ſunt.

Eleemoſyna quadruplex. Eſt enim eleemoſyna, ſicut in ſuperioribus dictum eſt, à manu, ab officio, à lingua, ab animo. Eleemoſyna à manu eſt, quando pauperi cibus, potus vel veſtitus datur. Eleemoſyna ab officio eſt, quando ægrotanti miniſtratur. Eleemoſyna à lingua eſt, cùm rudis inſtruitur: eleemoſyna ab animo eſt, cùm iniuria remittitur. Prima eleemoſyna manu omnium quotidie mendicis à portario erogatur; ſecundam frequenter recipimus in infirmitorio: tertiam in ſolemnitatibus prædicatores nobis impendunt in capitulo: quartam vnuſquiſque noſtrum, quotiens neceſſe fuerit Deo offerre debet de corde ſuo.

Qualis. Circunſtantiæ autem eleemoſynæ hæ ſunt; quis, quid, vbi, quando, vel quare detur. De his in homilia triceſima tertia me plura dixiſſe recolo. Eleemoſyna non tamen debet fieri de ſuperfluis, ſed & de neceſſarijs. Vnde Dominus: x *Qui habet duas tunicas, det non habenti.* x. Luc.3.11

Vtilitas. Simile. Sicut enim lumen ſine olei fomento extinguitur: ſic ieiunium ſine eleemoſyna meriti virtute priuatur. Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum.

Certè modica aqua, vt noſtis, magnum ignem extinguere non valet: & quomodo parua eleemoſyna in diuite magnum incendium peccatorum poſſet extinguere? Det ſal-

tem diues decimam partem ſubſtantiæ ſuæ, cum hoc Phariſæo ad redimendum peccata ſua. Si is,qui ſe grauia commiſiſſe denegat, tanta dedit, quantò magis ille,qui rapinas, adulteria,& alia peccata innumera cõmiſit? Referam vobis nunc fratres duo exempla occaſione decimarum, vt ex vno intelligatis, quantùm Deo decimæ,ſi fideliter & deuotè ſoluantur,placeant: & ex altero,quam inutiles eleemoſynæ ſint, ſi intuitu humanæ laudis fiant.

Datas decimas Deus rependit decuplo.

Miles quidam vineam habebat, & fortè adhuc habet; quæ circiter decem carratas facere cõſueuit. Anno quodam non niſi ſolam in ea colligens; ſic ait; Domine Deus, quod meum fuit,tuliſti: ego, quod tuũ eſt, offeram tibi: deditque eandem carratam loco decimæ. Eodem tempore germanus eius ſacerdos adueniẽs, vineam ouis repletam vidit: & cum fratrem quaſi de neglecta vindemia argueret, mirantẽ & minus credentem introduxit, & ecce, ſolita benedictio in ea reperta eſt.

Pœna fraudis in decimis.

Alius quidã miles prouinciæ noſtræ ſic perfectus erat in decimis;vt, ſi aliquando ſegetes vel vineæ eius grandinarentur,à diſpẽſatoribus ſuis dãnum exigeret,eiſq; imponeret,dicens: Si fraudem non feciſſetis in decimis; non me Deus flagellaſſet.

Eleemoſ. inutiles ſine charitate.

Quod verò eleemoſynæ propter humanã laudem factæ nihil proſint animæ,ſequenti probatur exemplo. In Bauaria miles quidã ditiſſimus, in hoſpitalitate & eleemoſynis præcipuus,defunctus eſt, hic poſt mortẽ vxori ſuæ intra cubiculum apparens: cũ illa de ſtatu eius ſciſcitaretur, triſtis reſpõdit:Si omniũ arborũ omnia folia in linguas verterentur, pœnas meas exprimere non poſſent. Cui cũ illa diceret:quid eſt,quod dicit Dominus:&vbi ſunt hoſpitia,& eleemoſynæ,quas pauperibus peregriniſque exhibuiſtis? ait: quia non in charitate;ſed propter gloriã & laudem mũdi feci illa,nihil mihi profuerũt.Hęc quæ dixi recẽtiori tẽpore geſta ſunt: vnde de ieiunio & eleemoſynis nemo glorietur. Vide nunc quid ſequatur.

Publicanus à lõgè ſtans, nolebat nec oculos ad cœlũ leuare, ſed percutiebat pectus ſuũ,dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Stabat Phariſęus iuxta ſanctuarium erectus,cœliũ reſpiciẽs, & de iuſtitia ſua præſumens. Stabat Publicanus in angulo quaſi ſuorum criminũ pondere depreſſus; terram reſpiciens & pectus tundens.In tunſione pectoris,forma exponitur verę pœnitentis:in tunſione tali tria ſũt, pectus,ſonus,& manus. Quia Publicanus iſte agnouit ſe peccaſſe cogitatione,locutione,&opere.Pectus percuſſit,vt peccatũ cogitationis expelleret contritione cordis: peccatum locutionis,ſono confeſſionis: peccatum operis,manu ſatisfactionis.

Tunſio pectoris eſt ſignum pœnitẽtis.

Deus propitius eſto mihi peccatori. Breuis oratio,& ponderoſa. Nouerat exceſſus quinque ſenſuum, (viſus ſc. auditus,olfactus,& tactus.)obſeruatione diuinæ legis,quæ in quinque continentur libris,poſſe deleri. Fortaſſis hæc ſunt quinque illa verba,de quibus dicit Apoſtolus: *y volo quinq; verba ſenſu meo loqui in Eccleſia,vt alios inſtruam;quam decem millia verborum.* Magis enim Publicano humili profuerunt, quin quia ſua verba, quibus iuſtificari meruit, quàm ſuperbo Phariſæo totius legis ſcientia. Vnde & ſubdit.

Quinque verba pro peccatis quinque ſenſuum.

y. 1. Cor. 14.9.

Dico vobis: quia deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo: id eſt, comparatione illius, *quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Ex hoc loco probatur, quòd *Dominus humilia reſpicit & alta à lõge cognoſcit. Perflãt altiſſima venti.* Quatuor enim ſunt ſpecies ſuperbiæ, quæ ad inſtar quatuor ventorũ totum mundũ perflant, quia mundanos tumoribus inflant. Prima eſt arrogantia, quę ſibi adſcribit, quod non habet: ſecunda inſolẽtia, quæ ſibi appropriat quod alijs debet: tertia faſtus, quæ multa de ſe credit, vltra verum: quarta cõtumacia; quæ ſe erigit in palam.

2. *Lucæ* 11.

Superbiæ ſpecies ſũt quatuor.

Caueat ergo Monachus quantumlibet ſit ſanctus; ne dicat, non ſum ſicut cæteri hominum: ſed potius clamet cum Publicano: *a ego autem ſum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Quòd ſi fuerit litteratus, & in diuinis Scripturis exercitatus; non intonet illud Pſalmi: *b labia noſtra a nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt?* ſed dicat cum humili Publicano: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Superbia de cœlis depoſuit Angelicam naturam: humilitas aſcendere facit ad cœlum infirmitatem humanam. Ipſam teneamus, ipſam in exemplo alijs proponamus, vt cum humilitatis Magiſter ad iudicium venerit à dextris ſuis nos locare, & in cœleſtibus exaltare dignetur IeſusChriſtus Dominus noſter, qui viuit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Peroratio.

a. *Pſa.* 21. 7.

b. *Pſ.* 11. 5.

* * *

DOMINICA TERTIADECIMA POST PENTECOSTEN.

SECVNDVM Marcũ.

CAP. VII.

IN illo tempore Exiens Ieſus de finibus Tyri, venit per Sydonẽ ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

INgreſſus Ieſus fines Tyri & Sydonis filiã mulieris Chananeæ, à Dæmonio obſeſſam, liberauit. De eiſdẽ finibus egrediens, ſicut nũc audiſtis, ſurdum & mutum mirabiliter curauit. Vbique Saluator tam in ingreſſu, quàm in egreſſu. Egreſſus à Patre venit in hunc mũdum, qui in fines Tyri ſeceſſit, quando hominem pro homine ſuſcipiẽdo, etiam hominis pœnalitates cum homine ſuſcepit.

Sermo XVII.

Chriſti ingreſſus in Tyrum, & egreſſus.

Tyrus interpretatur *anguſtia*, vel *tribulatio.* Non Tyrum intrauit, quia non eſt anguſtiatus à peccato originali in conceptione: neque ab actuali tribulatus in conuerſatione. Multas tamen anguſtias & tribulationes pertulit in hoc mundo. Vox eius eſt in Pſalmo: *a Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt: de neceſſitatibus meis erue me.* Non fuit in eo neceſſitas contracta, vel illata: ſed neceſſitas aſſumpta. Ipſæ ſunt fines Tyri, pœnalitates ſcilicet aſſumptæ: id eſt, fames & ſitis, calor & frigus, laſſitudo, infirmitas pal-

Chriſti Tyrus nõ culpæ.

Sed pœnæ.

a. *Pſ.* 24. 17

paſſionis & mortis. De his finibus egreſſus per mortem, venit per Sydonem ad mare Galileæ.

Iudaica Sidon Chriſtũ eſt perſequens viuum.

Sidon interpretatur *venatio mæroris*, vel triſtitiæ, vel inutilitatis mortis. Chriſti venatores Iudæi fuere. Venati ſunt viuum, venabantur & mortuũ, vtraque venatio cum multo mœrore & triſtitia cordis eorum facta eſt: vox eorum eſt, dum adhuc viueret: *b Perſequimini & comprehendite eum, quia non eſt qui eripiat. c Si dimittimus eũ ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem.*

b. Pſ. 70. 11

c. Ioan. 11. 48.

Et mortuum in ſua perſona.

Quem cum captum occidiſſent; altera die conuenerunt ad Pilatum, dicentes: *Domine, recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc viuens: d poſt tres dies reſurgam: iube ergo cuſtodiri ſepulchrum vſque ad diem tertium: ne forte veniant diſcipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: ſurrexit à mortuis, & erit nouiſſimus error peior priore.* Vides, quàm cauti venatores: conati ſunt nomen & memoriam eius tollere de terra.

d. Mat. 27. 63.

Et in mẽbris eius.

Quem intelligentes à mortuis ſurrexiſſe, cum videre non poſſent inuiſibilem, & comprehendere immortalem, venati ſunt eum acriter ſatis in membris ſuis: *e* Apoſtolos flagellando: *f* Stephanum lapidando; *g* Iacobum decollando: *h* Petrum incarcerando. Sed erat hęc venatio ſatis inutilis: eiſque venatio mortis: quia *i quod timebant, euenit eis.* Nam anno quadrageſimo venientes Romani, gentem ex maxima parte occiderũt, & locum deleuerunt.

e. Actor. 4.
f. Actor. 7.
g. Acto. 12.
h. Acto. 12.
i. Iob. 3. 25.

Exemplũ Sauli.

Inter quos tamen vnus erat robuſtiſſimus venator coram Domino, imò contra Dominum; Paulus ſcilicet, de quo ſcriptum eſt: *k Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad principem ſacerdotum & petijt ab eo epiſtolas in Damaſcum ad ſynagogas: vt ſi quos inueniret huius viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Hieruſalem.* Cum in via diuinitus proſtrato, cum audiret vocem de cœlo: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* & ille diceret: *quis es Domine? reſpondit Dominus: Ego ſum Ieſus Nazarenus, quẽ tu perſequeris.* Inaniter me venaris. *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.*

k. Actor. 9.

Galilæa gentium.

Ecce, per talem Sydonem venit Ieſus, per prædicationem diſcipulorum ad mare Galileæ, id eſt, ad tumẽtia corda gentilitatis: voluit tamen prius Iudææ prædicari verbum ſalutis, ſicque per eoſdem prædicatores tranſire ad gentes. Vnde & Paulus de venatore factus eſt diſcipulus: Iudæis verbo, fidei contradicentibus, aiebat: *l Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: ſed quoniam repuliſtis illud, & indignos iudicaſtis vitæ æternæ: ecce conuertimur ad gentes.*

l. Actor. 13. 46.

Mare populorum & moleſtiarum.

Mare, propter copiam aquarum, ſignificat multitudinem gentium. Aquæ multæ ſunt populi multi: Comparatur ei mari gentilitas non ſolùm propter aquarum multitudinem, imò etiam propter fluctus tumeſcentes, & amaritudinem ſaporis. Quàm amara circa principiũ maximè fuerit gentilitas, vel quantum intumuerint contra eos fluctus, id eſt, principes eius, nouerunt, qui paſſiones illorum legerunt. Quæ tandem ſtetit à feruore ſuo, ita vt fierent aquæ eius dul-

m. Pſ.76. 20. dulciſſimę. De hoc mari dicitur: *m Deus in mari via eſt.*

Galilæa ad fidem translatorum. Et benè additum eſt, *Galilææ*, quod interpretatur *tranſmigratio facta*, quia per Apoſtolorum prædicationem gẽtilitas de idololatria tranſmigrauit ad culturam Dei, quaſi de Babylone in Hieruſalem. Ecce ſic Ieſus per gratiam illuminantem venit ad mare Galileę, id eſt, ad gentium conuerſionem, & hoc *inter medios fines Decapoleos.*

Decapolis Decalogi. *Decapolis* regio fuit decem ciuitatum: decalogum legis ſignificans, quæ in decem præceptis conſiſtit. Ipſa lex Dei, regio virorum eſt. Fines medij charitatis. *Medij fines* huius regionis, duo præcepta ſunt charitatis, id eſt, dilectio Dei, & dilectio proximi. In his duobus præceptis, quaſi in duobus finibus, vniuerſa lex pendent & Prophetæ. n. Rom.13. 8. *n Qui diligit, legem implevit. Nam non adulterabis, non occides, non furtum facies, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces; ſiquidem aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur, diliges proximum tuum ſicut teipſum.*

Per hanc, vt viã venit Chriſtus Mediator. Venit ergo Ieſus non inter extremos, ſed inter medios fines, ſicut Mediator Dei & hominum, viam gratię ſuæ ad noſtram ſalutem, media charitate; ſternens: propter filias Hieruſalem, id eſt, electos. 2. Vnde & o. Pſ.73.12 In mediu terræ. *o ſalutem* cœpit *operari in medio terræ*: vt ſic quaſi de centro per Apoſtolos deueniret vſque ad fines: vnde p. Iſai 3.3. ſcriptum eſt: *p De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem.* Hæc in medio habitabilis terræ ſita eſt. 3. Gratia Spiritus Sancti, quæ in mõte Syon, in die Pentecoſtes, ſuper Apoſtolos venit; per eorum prædicationẽ vſque ad fines terræ proceſſit.

q In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. q Pſ.18.5. Rom.10.

Cur charitas dicatur finis. Charitas dicitur finis, propter plenitudinem & perfectionem. Vnde Apoſtolus: *r finis legis eſt charitas.* r.1.Tim.1. 5. Sicut eſt finis conſumptionis, ita & conſummationis. Veſtem ex varijs virtutibus cõtextam, quam charitas perficit; liuor ad inſtar tineæ demolitur & conſumit. Ait Dauid in Pſalmo: *ſ Omnis conſummationis vidi finem.* ſ. Pſal.118. 96. De quo fine dicat, protinus exponit, cùm ſubiungit: *latum mandatum tuum nimis*: hoc eſt mandatum, per cuius medios fines Saluator ad diſcipulos venit, & per illos ad mare Galileæ. *Mandatum*, inquit *t* Dominus, *do vobis: vt diligatis inuicem,* t. Ioan.14. 15. ſicut dilexi vos. Ergo charitas mãdatum eſt, & finis.

PARS II. *Et adducunt ei ſurdum & mutum.* Qui? Prædicatores. Surda & muta eſt gentilitas. Per ſurditatem & taciturnitatem huius hominis, error exprimitur gẽtilitatis. *u Simulachra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum. Os habent & non loquentur: oculos habent & non videbunt: Aures habent & non audient, neque enim eſt Spiritus in ore ipſorum. Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* u. Pſa.134. 15. Docetur 1. Ergo ſurda & muta gentilitas erat. 2. Ipſa enim mari comparatur, ob mentis tumorem, Galileæ. propter futuram conuerſionem: ſurdo & muto, vt dictum eſt, propter cultus ſui errorem. 3. Surdæ gentes erant, & mutæ, quia non legem ſiue Prophetas audierant, neque laus Dei de ore eorum proceſſerat.

Et deprecabatur eum, vt imponeret il-

ret illi manum. Sic prædicatores pro gentium conuerſione Deum intentiſſimè orabant. Et quia minus aliquando proficiebant verbis; Deũ deprecabantur, quatenus illorum infirmitatem ſanaret miraculis. *Manus Ieſu* virtutem ſanitatum & potentiã miraculorum ſignificat.

Pro hac orandũ eſt prædicatoribus.

Et apprehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas eius. Hic non exprimitur, quos, vel quot digitos miſerit in auriculas eius: vt de omnibus intelligamus. *Per manum Ieſu* non ſolùm opera virtutum, ſed etiam Spiritus Sanctus; qui ab ipſo procedit, intelligitur. Vnde x nomine eius inuocato, ad impoſitionem manuum, credentes accipiebant Spiritum. Cuius *digiti* ſunt donorum eius diuiſiones: vnde Dauid in Pſalmo: *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum* id eſt, ſanctos parijs donis Spiritus Sancti diſtinctos. z *Alij per Spiritum datur ſermo ſapientiæ: alij ſermo ſcientiæ, per eundẽ Spiritum, &c. Decem digiti manus Ieſu*, id eſt, Spiritus Sancti, fides, ſpes, charitas, ſapientia, intellectus, conſilium, fortitudo, ſcientia, pietas, & timor Domini.

Manus Dei eſt Spiritus S.
x. Act. 8. 10
Digiti ſũt dona Spiritus S.
y. Pſa. 8. 4
z. 1. Cor. 12. 8.

Et benè digitos in auriculam ſurdi miſit, quia a *fides ex auditu: auditus autẽ per verbũ Dei.* Vel decem digiti manus Ieſu ſunt decem legis verba, digito Dei, id eſt, Spiritus Sancti virtute conſcripta: quæ fidei Eccleſiæ ex gentibus commiſſa ſunt. Bis lex in monte Sinai ſcripta eſt: priores tabulæ à Moyſe, propter populi Iſrael idolatriam, ad radices montis confractæ ſunt: eratque ſignum repudij, quòd in lege diuina ſynagoga non perſeueraret. Quod verò ſecundo in tabulis ad inſtar priorum lex ſcripta eſt, & in arca teſtimonij repoſita: figura fuit, quòd Eccleſiæ eſſet reſeruanda, atque in eius obſeruatione perſeueratura. In duabus verò tabulis poſita eſt, quia b *in dilectione Dei & proximi, vniuerſa lex pendet & Prophetæ.*

a. Rom. 10. 17.
Vel ſunt decalogus.
Qui cur fractus poſtea.
r. Exod. 34
Cur reſcriptus permanet.
b. Mat. 22. 40.

Quòd verò *Ieſus expuens tetigit linguam eius*, myſterio non caret. *Saliua*, quæ de capite fluit, & loquenti vires ſubminiſtrat, diuinam ſapientiam ſignificat, quæ & mutorum linguas aperit, ipſaſque in Dei laude diſertas facit. Hinc credentibus dicit: c *Ego dabo vobis os & ſapientiam.*

Saliua eſt ſapientia Dei.
c. Luc. 21. 14.

Quòd verò tangens muti linguã *ſuſpexit in cælum, & ingemuit*, datur intelligi valdè eſſe miſerabile, quòd homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatus, idola, ſurda & muta adorat & laudat.

Et ait illi: Ephatas, quod eſt adaperire, & ſtatim apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Ecce d *quam velociter currit ſermo eius.* Qui prius loquebatur indiſtinctè, id eſt, ſono tantùm; poſtea rectè, id eſt, ad intellectum verba formabat. Rectè loquebatur Dionyſius, Auguſtinus, & multi alij: qui ante conuerſionem valdè confusè & ſine intellectu catholico voces emittebant.

d. Pſ. 147. 15.

Omnis naturaliter ſurdus, mutus eſt; qui licèt vocem habeat ſonoram; tamen, quia loquentes non audiuit, verba formare non nouit. Caueamus & nos, fratres, ne ſurdi ſimus ad prælatorum noſtrorum præcepta percipienda, & muti in laude diuina. Solet

Qui ſurdus eſt & mutus.

enim

Multipliciter.

enim homo à Deo; dum laudem eius in corde & ore non habet: à ſæculo, dum eius malitiam nec verbo nec opera damnat: à ſemetipſo, dum peccata confeſſione non arguit, nec ſatisfactione redimit, nec bonis operibus recompenſat, iſte reuera mutus eſt, & neceſſe habet, vt Ieſus ſaliua ſua linguam eius tangat: vnde clamet in oratione; *e Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.*

e Pſ. 50. 17

Quòd verò *apprehendens eum, de turba ſeorſum ſanauit*; ſignificat, non omnes credidiſſe, quibus verbũ prędicatum eſt. *f Ipſe enim nouit, quos elegit.*

f Ioan. 13. 18.

Per hoc, quòd *præcepit adducentibus infirmum, ne cui dicerent*, exemplum dedit prædicatoribus, de doctrina, ſiue miraculis non eſſe gloriãdum.

Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant. Tantum honoris exhibebatur Apoſtolis, propter miracula, vt, (ſicut legitur de Paulo & Barnaba g necnõ & de alijs quibuſdam Apoſtolis,) gentiles afferentes coronas & boues, illis tanquam dijs immolare, & quaſi Deos vellent adorare; ita vt vix eos compeſcerent.

g Actor. 14

Per hoc autem quod ſequitur: *Bene omnia fecit: & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.* Patenter datur intelligi, multitudinem credẽtium accipi debere per hunc hominem, qui in præceptis Dei ſurdi, & in laude eius muti, vt dictum eſt, exſtiterunt.

Surda & muta gentilitas ſanatur.

Si qui autem noſtrum hoc duplici morbo ſe laborare intelligunt, hoc eſt: ſi inuiti audiunt ſacras lectiones, verba prædicationis, præcepta diſciplinæ; quæ ad ſurditatem pertinent: ſi etiam inuiti cantant, pſallunt, nec verba loquuntur ædificatoria, quæ mutos nos reddunt in auribus Dei: accedant ad Ieſum, quia ipſe potens eſt tales ſanare, ita, vt audire & rectè loqui poſſint. Cui cum Patre & Spiritu Sancto honor ſit & pietas, decus ſit & imperium, per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

DOMINICA QVARTADECIMA POST PENTECOSTEN. SECVNDVM Lucam.

CAP. X.

IN illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Beati oculi qui vident quæ vos videtis: dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: & audire, quæ auditis, & non audierunt. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo XVIII.

QVis dignè poterit explicare voces & ſuſpiria iuſtorum antiquorum, Chriſtum in carne videre deſiderantium? Vt enim taceam de occultis illorum deſiderijs, quæ ſoli Deo nota fuere, nullus hominum, vt arbitror, ea, quæ in lege, Pſalmis & Prophetis, atque in hagiographis ſparſa reperiuntur, in vnum colligere ſufficeret. Ait enim primus

Per magnum fuit deſideriũ Chriſti vẽturi vidẽdi.

a. Pſal.84.8. Regum Dauid: *a Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis.* Ieſus interpretatur ſalutare: multaque dicit in hunc modum. Ait & Salomon filius eius: *b*
b. Cant.1. *Oſculetur me oſculo oris ſui:* id eſt, incarnatione Filij ſui. Item: *c Oſtende*
c. Cãt.2.4 *mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis. Vox tua dulcis, & facies decora.* Ezechias quid dicit? *d Ego di-*
d. Iſai.38.10. *xi, in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi: quæſiui reſiduum annorum meorum: dixi, non videbo Dominum Deum in terra viuentium.* Vnde vel quare fleuit? Quia Chriſtũ in lege promiſſum, in carne videre non meruit: vel, quia moriturus illũ de ſuo ſemine naſci non debere formidauit. Legerat progenitorem ſuũ
e. Pſ.38.5. ſanctum Dauid dixiſſe: *e Notum fac mihi Domine finem meum, & numerũ dierum meorũ, quis eſt, vt ſciam quid deſit mihi.* Hoc eſt, ſi pertingere poſſim ad promiſſum Saluatoris aduentum. Idem deſiderium intelligamus de cæteris regibus, quos ſcriptura commẽdat: Abia ſcilicet, Aſa, Ioſaphat, Ozia, Ioathan, & Iozia ſanctiſſimo: quorum licèt deſideria non legamus, non tamẽ minus credere debemus. Prophetarum verò voces & præconia Iſaiæ videlicet, Hieremiæ, Ezechielis, Danielis; aliorũque, quorum ſcripta habentur; ita ſunt manifeſta: vt de eis ſumere teſtimonia ſuperfluum videatur. Solus enim Simeon ſuſpiria illorum ac deſideria in ſuis actis, vel dictis ſatis expreſ-
f. Luc.10.23. ſit. Vnde & beati oculi quibus datum eſt videre, quod illis datum eſt credere.

Sed dico: nunquid beati oculi Scribarum atque Phariſæorum, qui viderunt & audierunt eadem, quæ Apo- | *Viſus non creditus Phariſæis nil profuit*
ſtoli, Chriſti videlicet formam, opera, & doctrinam? Non. Tantò enim infeliciores erant, quãtò de viſis & auditis ingratiores. Sed *g* beati, qui
g. Ioan.20.29. viderũt & crediderunt. Maior merces debetur oculo cordis, quàm corporis. Vidit eum *h* Abrahã oculo fi-
h. Ioan.8.56. dei, & gauiſus eſt. Ecõtra, oculo corporis eum Iudas vidit, & inuidit, & ideò demeruit. Ideò beati Apoſtoli, quia vtroque oculo datum eſt illis videre. *Et Apoſtolis rectè viſus profuit.* Viderunt eum quidam Patriarcharum, ſicut Iacob, in ſubiecta creatura: viderunt eum Apoſtoli in aſſumpta natura.

Audiens quidam legisperitus, quid beatificaret diſcipulos Ieſus propter viſa & audita; diſcere ab eo voluit, vtrum nam duo illa: viſio ſcilicet, & doctrina eius, Moſaicæ legi præferenda eſſet, necne? ſurrexit tẽtans eum, & dicens: *Magiſter quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* *Quæ occaſio fuit eius tentandi.* Non ignorans Dominus quorſum tẽtatoris intentio tenderet, reſpondit. *In lege quid ſcriptum eſt? Quomodo legis? Ille reſpondẽs dixit: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum tanquam teipſum. Dixitque illi: rectè reſpondiſti: hoc fac & viues.* Ac ſi diceret: Ego ſum Dominus Deus tuus, inſuper & proximus tuus. Deus, quia te creaui: Dominus, quia legem dedi: proximus, quia vt præuaricatorem redimere, hominem ſuſcepi.

Ille verba ſalutis non intelligens, dixit ad Ieſum. *Et quis eſt meus proximus? Suſpiciens autem Ieſus*, quaſi ad eum locum vnde primus homo

occi-

cecidit dixit: *Homo quidam deſcendebat abHieruſalem in Iericho,& incidit in latrones*, &c. Quia Beatus Ambroſius locum iſtum de lapſu & pœna primi hominis, eiuſque reparatione per Saluatoris aduentum diligenter expoſuit, idcircò intellectu allegorico poſtpoſito, præſentem Sancti Euangelij lectionem, ipſo adiuuante Domino, moraliter exponere conabor.

Propoſitio

Et ecce inquit, quidam legis peritus ſurrexit.&c.Quia videbatur huic legisperito, quia magni aliquid diceret; Euangeliſta ad hoc notandum vocem demonſtratiuam *ecce* præmiſit dicens. *Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* Quia nouerat Dominus legisperitos & Phariſæos plurimum confidere in ieiunijs, eleemoſynis, decimis, atque oblationibus, & in alijs operibus, quæ lex præceperat; volens huic oſtendere, quia non ſolùm in operibus legis, ſed magis in charitate; quæ radix eſt omnium bonorum; ſalus & meritum conſiſteret vitæ æternæ: dicit legiſperito.

Diligendus Deus quatuor modis.

In lege quid ſcriptum eſt? Quomodo legis? Illo reſpondente *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo:* &c.dicit ei Dominus: *Hoc fac & viues*. Reuera fratres, diligendus eſt Deus, ſicut ipſe præcepit, & ſicut legis peritus reſpondit, *ex toto corde*, id eſt, ſapienter, *& ex tota anima*, id eſt, dulciter, *& ex tota mente*, id eſt, memoriter, *& ex omnibus viribus*, id eſt, fortiter.

Ob quatuor dona homini data.

Quatuor iſtis modis diligendus eſt Deus ab homine, propter quatuor dona quæ contulit homini. Primum & minimum donum, quod dedit Deus homini, vt diligeretur ab homine, totus mundus eſt iſte. Cauſâ namque ipſius fecit Deus vniuerſa viſibilia cœlum, terram, mare, & aerem, & omnia quæ in eis ſunt; noctē & diem. Secundum donum Dei eſt homini datum à Deo, ſcilicet, quòd fecit eum ad imaginem & ſimilitudinem ſuam: magnum & admirabile hoc donum eſt. Tertium donum eſt gratia redemptionis, quam Deus homini contulit, in vnigeniti Filij ſuj incarnatione & paſſione. Quartum donum nobis ſeruat vſque in futurum; gloriam ſcilicet immortalitatis, & vitam æternam: de quibus dicitur: i *Oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti diligentibus te*. i.1. Cor.2. 9.

Diligēdus Deus.

Primo igitur loco diligendus eſt Deus, quia per eius dilectionē ad ipſum curritur, & per ipſam ipſe adfruendum æternaliter apprehenditur. Charitas Dei quandam trinitatē creatam parit, in qua Trinitate, quaſi Pater, eſt dilectio Dei, à qua procedit dilectio, qua homo ſe diligit, tanquā proles à parente. Ab vtroque verò procedit dilectio proximi, quaſi Spiritus Sanctus ab vtroque. Per charitatem toto Deus corde exquiritur: ſuper omnia quæritur, extra omnia inuenitur, plus omnibus diligitur: ipſa enim ſancta charitas pugnanti eſt meritum, triumphanti præmium, quæ ſic inchoatur in via, vt conſummatur in patria. Videte eius dignitatem: cum omnis virtus Dei donum ſit; in hoc priuilegiata eſt charitas, vt non ſolùm Dei donum, ſed etiam ipſe Deus dicat: k *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate inDeo manet, & Deus in eo*. Verba ſunt Ioannis. k.Ioā. 4.16.

Hæc dicta ſufficiant de dilectione Dei.

Diligēdus eſt proximus. De dilectione proximi quid dicam? cum dilectio Dei maior ſit in dignitate; tamen dilectio proximi maior eſt in operatione, quia per dilectionem proximi peruenit ad dilectionem Dei. Nec ipſe Deus diligitur ſine proximo, nec ipſe proximus ſine Deo. Dicitur autem dilectio eò, quod duos ligat; Deum videlicet & hominem: Valde commendanda eſt charitas, quæ proximos ligat, diuerſos compaginat, pluralitatem ad vnitatem reducit, diuerſitatem in identidem redigit. Hæc eſt, quę in Samuele
l.1.Reg.28 orat pro Saule: *l* hæc eſt, quæ
m.Exo.14 *m* pro populo præuaricatore ad Deū
15.& 17.4 allegat in Moyſe: hæc *n* flet in Da
& 32.11. uid pro Ionatha: hæc *o* flet pro Hie-
&c. ruſalem in Hieremia.

n.1.Reg.31 Si quæris: *quis ſit tuus proximus?* re-
o.2.Para. ſpōdet tibi Deus: *Homo quidā deſcē-*
35. *debat ab Hieruſalē in Iericho, & incidit in latrones.* Hieruſalē quæ interpretatur viſio pacis: ſignificat celſitudinem contemplationis; ſiue ſtatū perfectionis:
p.Iſa.31.9 Vnde Iſaias; *p* *Dixit Dominus, cuius ignis in Sion, & caminus in Hieruſalem.* Ignis charitatem exprimit paruam & imperfectam, caminus verò magnam atque perfectam. Sion hoc in loco ſignat incipientes, ſiue proficientes; Hieruſalem verò contemplatiuos vel perfectos. Ab hac Hieruſalem, id eſt, ſtatu contemplationis ſiue perfectionis non vnus homo; ſed multi hodie deſcendunt.

Deſcenſus intelligitur ex aſcenſu. Modus verò, cauſa, & periculum deſcenſionis plenius agnoſcitur in profectu aſcenſionis: multis enim gradibus aſcenditur in Hieruſalem, hoc eſt, ad perfectam charitatem. Ex quo charitas per timorem initialem cordi infunditur, per motus ſoli Deo numerabiles ad perfectionē vſque, quaſi in Hieruſalem perducitur. Motus quidam ſunt gradus aſcenſionis, ſecundùm illud: *q* *aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum.* q.Pſ.83.6.
Quod in ſequenti verſiculo plenius exponitur, cum dicit: *ibunt de virtute in virtutem.* In timore initiali duo ſunt, ſcilicet timor gehennæ, & amor iuſtitiæ. In quantum enim homo interior in amore proficit, in tantū in timore deficit: & hoc tam diu, donec timore initiali excluſo, timor filialis, qui ſanctus, caſtus, perfectus, & Domini dicitur, apprehendatur. Ipſe eſt ciuitas Dei Hieruſalem: vnde benè & ſignāter Hieruſalem, interpretatur, perfectè timebis. *Perfecta charitas*, vt ait Ioannes, *foras mittit timorem*: initialem vtique, non filialē; qui, teſte Auguſtino per omnes gradus perfectionis comitatur.

Gradus perfectæ charitatis, ſicut Gradus charitatis.
habemus in expoſitione pſalmi 28. ſunt ſpiritus ſapientiæ & intellectus, &c. Aſcenditur enim de charitate perfecta ad perfectiorem, & de illa ad perfectiſſimam, in qua Apoſtolus conſtitutus confidenter clamat: *r* r.Rom.8
Quis nos ſeparabit à charitate Dei? 35.
& cætera.

Huic charitati congruit alia in- Charitas
terpretatio nominis huius Hieruſa- perfecta.
lem, id eſt, viſio pacis. Quando homo adeò perfectus eſt, vt propter cōſciētiæ ſecuritatem, nullam pro peccatis commiſſis timeat pœnā, meritò ei nomen congruit Hieruſalem. In tali ſtatu poſito dicitur: *Lauda Hie-* ſ.Pſa.147
ruſalem Dominum, propter præmiū 13.
contemplationis: *Lauda Deum tuum Sion*

Sion, propter meritum actionis, *quoniam confortauit ſeras portarum tuarum*, peccandi occaſionem atque facultatem ſibi ſubtrahendo: *benedixit filijs tuis in te*: virtutes vel opera virtutum in te multiplicando. *Qui poſuit fines tuos pacem*: charitatem finaliter in te confirmando, *& adipe frumenti ſatiat te*: guſtu internæ dulcedinis te in via reficiẽdo. In tali ſtatu erant Apoſtoli poſt confirmationem, de quibus cõceditur quòd mortaliter non potuerunt peccare. Et ſi fortè venialiter peccauerunt, quaſi guttæ in camino, vel ſtipulæ eadẽ venialia ſtatim ſunt conſumpta. Pauci ſunt in quibus ſic radicata ſit charitas, vt deſeri non poſſit.

Tres modi perfectionis.

Tribus enim modis charitas perfecta dicitur, intentione ſiue propoſito; feruore, continuatione. Hic tribus modis perfecta eſt in via: confirmatione verò perfecta eſt in patria. Dicitur ergo aliquis perfectiorem charitatem habere, quàm alius, vel quia firmius habet propoſitum, vel feruentiorem motum, vel magis diuturnam charitatem, vel quia plura facit opera charitatis perfectæ.

Signũ perfectionis.

Signum perfectæ charitatis eſt, vitam habere in patiẽtia, & mortem in deſiderio. Talem perfectionem multi clauſtralium habent, ex quadã conſcientiæ ſecuritate cupientes diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Ego quoſdam ex Monachis noſtris in tanto vidi deſiderio mortis, propter vitã æternam cum infirmarentur; vt eis ſatis graue eſſet, ſi quis illis optaret conualeſcentiam: qui verò imperfecti ſunt, habent mortem in patientia, & vitam in deſiderio: eò quod conſcij ſibi ſint venialium, quæ hic volunt puniri. Hæc dicta ſint de aſcenſu hominis in Hieruſalem.

Nunc verò quis ſit deſcenſus ab Hieruſalem, id eſt, à perfecta charitate; vel, quomodo fieri poſſit, ſine qua de cauſa, videamus. Si dixero, per veniale, deſcenſum fieri poſſe, reſpõdet mihi Auguſtinus.

Quis nõ ſit deſcenſus.

Sicut gutta eſt in camino, ita veniale peccatum in perfecta charitate. Si dixero, quòd per mortale falſum eſt, quia per mortale non poteſt deſcendi, ſed rui.

Simile.

Ab Hieruſalem homo iſte deſcẽdit in Iericho. Iericho, cuius interpretatio eſt luna, vel mũdi ambitus, ſignificat actus exteriores, gloriam mundanam, necnon & negotia ſæcularia, ad quæ ſi perfectus deſcenderit, caueat ne incidat in latrones, quia quod imperfecto veniale eſt, perfecto nonnunquam eſt mortale.

Quis ſit deſcenſus.

Latrones occulti, vitia carnis ſunt & Spiritus, id eſt, incitamenta gulæ, luxuriæ, iræ, inuidiæ, vel ſi quid peccatum eſt mortale. Huiuſmodi latrones animas ad ſe per delectationem attrahunt, conſenſu ſpoliant & vulnerant. Auferunt gratuita, vulnerant naturalia. *Naturalia* ſunt, dona naturæ, ratio ſcilicet, intellectus, ingeniũ, memoria; quibus ad imaginem Dei factus eſt homo. *Gratuita* ſunt virtutes animæ, id eſt, fides, ſpes, charitas, per quæ ſimilitudinẽ Dei recipit homo. *t Fecit igitur Dominus Deus hominẽ rectum*, in naturalibus ſic *conſtruit eum* multiplici virtute. Incidẽs homo in peccata mortalia, per cõſenſum & actũ vitiorũ, virtutib. ablatis quaſi ſemiuiuit, quia tñ in eo vigent natu-

Latrones ſunt vitia.

t. Eccl. 7. 30.

naturalia,& eadem vulnerata. Latrones verò ſemiuiuo relicto abeũt, quia licèt reatu maneant, actu tamen tranſeunt.

Accidit vt ſacerdos quidā deſcenderet eadem via, & viſo eo præteriuit. *Sacerdos* ſignificat quemlibet cõfeſſorem; cui cum officio ſacerdotali à Chriſto collatum eſt; vt ſciat & poſſit mederi vulneribus peccatorum: licèt multi Sacerdotes vſu ſciētiæ careant; qui viſo vulnerato præterit, quia licèt confeſſo peccatori pœnitentiam ſuam exhibeat; ſiue ille peccata confitendo Sacerdoti conſciētiam oſtendat, ſanari non poterit, niſi pœnitendi voluntas aſſiſtat. *Similiter, & Leuita, cum eſſet ſecus locum, & videret eum, pertranſiuit.* Per Leuitam, qui interpretatur aſſumptus, alius quilibet intelligitur, cui neceſſitatis tempore confeſſio fieri poteſt: de quo idem intelligitur, quod dictũ eſt de Sacerdote.

Sacerdos & confeſſarius.

Samaritanus quidam iter faciens venit ſecus eum, & videns eum miſericordia motus eſt. Niſi Chriſtus cor peccatoris viſitet contritione; fruſtrà illud Sacerdoti ſiue Leuitæ manifeſtatur in confeſſione. Ipſe eſt verus ille Samaritanus, cui quotidie clamamus in Pſalmo: *u Cuſtodi, nos Domine, vt pupillam oculi.* *Samaritanus* interpretatur cuſtos: Samaria cuſtodia. Sicut à Samaria dicitur Samaritanus, ita à cuſtodia cuſtos Dominus. Vnde: *x Cuſtodiens paruulos Dominus.* Item: *y Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam.* Item alibi: *A cuſtodia matutina vſque ad noctem, ſperet Iſrael in Domino.* Cuſtodit electos ſuos Dominus in mane natiuitatis: ne baptiſmi gratia careant, & vſque ad noctē; ne ſine charitate per mortem exeant. Hanc duplicem cuſtodiā cuidam bonũ imprecans in alio Pſalmo exponit dicens: *a Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum.*

Chriſtus Samaritanus & cuſtos eſt.

u. Pſ. 16. 8.

x. Pſ. 114. 6

y. Pſ. 126. 1

a. Pſ. 120. 8

Samaritani huius itinera in nobis ſunt: non ſolùm in ſancto; ſed in mari, id eſt, in peccatore via eius eſt.

Secus illum venit, quia eum quem ad vitam æternam prædeſtinat, ad pœnitentiam miſericorditer expectat. *Vidēdo* miſeretur, alioquin Propheta non diceret: *b Aſpice in me & miſerere mei.* Nouerat duplicem eius eſſe miſericordiam: præuenientem, de qua hic agitur, & ſubſequentē, de qua poſtea dicetur: Oculi Domini ſunt reſpectus gratiæ, multò lucidiores ſole; quibus contemplatur bonos & malos: malos, vt illuminentur: bonos, vt iuſtificentur adhuc.

Qui pœnitentis miſeretur.

b. Pſa. 118. 132.

Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum. Hoc per anticipationem dictum eſt, quia prius infudit, & poſtea alligauit. In infuſione gratiæ, per quam Deus cordi peccatoris appropiat, duplex effectus eſt, ſcilicet amor iuſtitiæ, & timor gehennæ. *Oleum*, quod lene eſt & dulce, ſignificat amorem: *vinum* verò, in quo aliquid acredinis eſt, timorem. Optimum medicamentum vulneribus adhibetur, cùm peccatori diuinitus datur, vt poſſit diligere iuſtitiam ſpe gloriæ, & odiſſe malum timore pœnæ.

Infūdit amorem iuſtitiæ, & timorē gehennæ.

Vulnera verò *alligat*, ne effluat antidotum: cùm in mente peccatoris liberum firmat arbitrium. Quomodo firmat? conſeruando in eo pœnitendi voluntatem.

Confirmans voluntatem.

Et im-

Et imponens illum in iumentum ſuum duxit in ſtabulum. Iumentum Chriſti ſpes veniæ eſt, quæ peccatorem poſt contritionem ducere debet in ſtabulum, id eſt, ad cōfeſſionis locum. De impoſitione habes in Pſalmo: *c Quoniam tu Domine, ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.* De deductione verò; *d deduxiſti me, quia factus es ſpes mea.* Iumentum dicitur à iuuando: & quod plus iuuat pœnitentem, quàm ſpes veniæ conſequendæ? ſub multa ſpe confitendum eſt. Iudæ, culpam traditionis confitenti, quia iumentum ſpei defuit, abiens laqueo ſe ſuſpendit.

c. Pſal. 4. 9

Iumētum & ſpes cōfitentis

d. Pſ. 60. 3.

Stabulum eſt locus confeſſionis,

Stabulum, vt dixi, locus confeſſionis eſt. In ſtabulo iumenta exonerāt, quieſcunt, reficiuntur. Stabularius confeſſor eſt, cuius miniſterio peccatorum ſarcina de confitentis conſcientia, vt quieſcere poſſit, deponitur, per quem, ſi ſciens & diſcretus fuerit, pabulo piæ conſolationis paſcitur.

Exemplū Idem Cæſarius. li. 3 Dialogorum cap. 2

Hic cuiuſdam ſacerdotis recordor, qui, ſicut dictum eſt in homelia tertia, timore mortis in ſtabulo peccata ſua confitens, audire meruit à diabolo per os obſeſſi, cum de ſtatu illius requireretur, in ſtabulo iuſtificatus eſt.

Stabulū fœtet eò quod illic iumēta ſtercora ſua deponāt. Stercora peccata ſunt, de quibus per Prophetam dicitur: *Cōputruerunt iumenta in ſtercore ſuo.* Nihil enim fœtet in naribus Dei præter peccata, quæ per ſtabularium, id eſt, confeſſorem de corde confitentis ſunt efferenda. Ipſe enim poteſtatem habet dimittendi peccata.

e. Ioel. 1. 17

Quod autem ſequitur, *& curam eius e[g]it:* Samaritanus ſcilicet, ad hoc ſpectat, quod in confeſſione pœnitentes præcipuè auxilio diuino indigeat, ne fortè vocem confeſſionis verecundia, deſperatio, vel timor excipiat. *Et altera die protulit duos denarios, & dedit ſtabulario, & ait: Curam illius habe, & quodcunque ſupererogaueris, ego, cùm rediero, reddam tibi.* Tres ſunt dies, culpæ videlicet, gratiæ & gloriæ. De prima dicit Iob: *f Pereat dies in qua natus ſum.* De die gratiæ dicit Apoſtolus: *g Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* De die gloriæ Dauid ait in Pſalmo? *h Dies ſuper dies regis adÿcies.* Item Iſaias: *i Et erit dies vna quæ nota eſt Domino.* Quando homo cadit per mortale, diem inchoat culpæ, & fit filius iræ. Dies altera, dies eſt gratiæ, in qua Samaritanus, id eſt Chriſtus dicit ſtabulario: curam illius habe, &c.

Dies tres. f. Iob. 3. 3.

g. 2. Cor. 6 6. 7.

h. Pſ. 60. 3.

i. Iſai.

Duo tenetur Confeſſor impendere confitenti, hoc eſt, conſilium, & auxilium; conſilium, medicamentū pœnitentiæ illi iniungendo: auxiliū, Deum pro peccatis eius orando.

Confeſſoriorū munus.

Duo denarÿ duplex eſt merces, quæ huic duplici debetur labori. Duo hi denarÿ in die gratiæ prælatis dantur à Chriſto certa promiſſione, & in die gloriæ, cum redierit ad iudicium, dabuntur in re. Et quod ſupererogatū fuerit, etiam reddetur. Quidam confeſſores adeò compatiuntur confitentibus, vt partem pœnitentiæ ſibi aſſumant: ſic ſe pro illis affligentes, ac ſi in propria perſona peccauerint.

Et ait Dominus legiſperito. Quis horum trium videtur tibi proximus illi, qui incidit in latrones? At ille dixit:

Qui fecit miſericordiam in illum. Ergo Chriſtus proximus noſter eſt, cuius miſericordia multiplex eſt circa nos, & ſuper nos. Eſt miſericordia eius erga hominem parua: mediocris, magna, maior, maxima. Miſericordia eius 1. parua, temporalium largitio: 2. mediocris, peccatoris ad pœnitentiam longanimis expectatio. 3. magna, eiuſdem iuſtificatio. 4. maior, charitatis in eo finalis conſeruatio: maxima cœleſtis præmij retributio? Propter hanc multiplicem miſericordiam Dauid dicit in Pſalmo: k. *miſericordias Domini in æternum cantabo.* Sed ſunt innumerabiles, qui miſericordiam Dei minimam reputant maximam: cùm donum temporalis abundantiæ ſæpè ſit cauſa damnationis æternæ.

Miſericordia Chriſti multiplex.

k. Pſ 88.2.

Quod autem ſequitur: *vade, & tu fac ſimiliter*: oſtendit quòd eandem miſericordiam, quam nobis impendit, & nos proximis impendere debeamus: verbi gratia; Si frater fratrem ab Hieruſalem deſcendere, id eſt, à iuſtitia cadere cognouerit per peccatum, vt eſt malum inobedientiæ, vel impatientiæ, vel quod eſt notabilius in vitium Apoſtaſiæ, quibus religioſus & virtutibus ſpoliatur, & grauiter ſatis in naturalibus vulneratur: non eius miſeria viſa cū ſacerdote & leuita pertranſeant, ſed exemplo pij Samaritani nuditati eius compatiendo, in quantum valet, ſcilicet, ſuffragio orationis vulnera eius alliget, oleum infundat conſolationis, & vinum correptionis, ex vno vngens, & ex altero pungens, ſicque impoſitum ſuper iumentum ſuū ſubſidium adhibendo ducat in ſtabulum, id eſt capitulum, qui locus eſt confeſſionis, vt ibi per confeſſionem & ſatisfactionem, condignam ſanetur. In capitulo, vt noſtris graues exceſſus corriguntur.

Miſericordia in proximum.

Sed dum iſta ſcribimus, materiam nobis ſcribendi auget, heu, miſerabilis caſus Archipræſulis noſtri Engelberti: ipſe enim incidit in latrones, immò latronibus vniuerſis crudeliores, vtpote ſanguine proximos, & plurimis beneficijs ſibi obligatos, à quibus inopinatè inſidiosè, & ſine omni miſericordia trucidabatur: qui cùm plagis impoſitis abiſſent, ſemiuiuo relicto, illeque verba contritionis & precum fudiſſet ad Dominum, intelligentes quòd adhuc viueret, quod de latronibus Euangelicis non legitur, ſtatim reuerſi, gladijs atque cultellis eum detruncantes atque perfodientes, ſupremum in eo ſpiritum extinxerunt. Cuius veſtimenta, necnon & calciamenta extrahentes, cum reliquis eius ſpolijs inter ſe diuiſerunt. Videntes hæc Clerici eius, inter quos erant Sacerdotes & Leuitæ, relicto eo, cùm eſſent ſecus viā, fugierunt. Henricus verò, cellerarius in Hēmenrode, miſericordia motus, cum alio quodam eius eleemoſynario, exemplo pij Samaritani accedentes propius, ſuper currum fœtidum, nobiliſſimum principem, imò principum caput, & regni Romani tutorem, poſuerunt, curam cadaueris agentes; donec ad locum, in quo eius exequię parabantur, deuenirent.

Cædes S. Engelberti contigit anno 1225.

Et fortè, ſicut plures opinantur, Deus voluit delere culpam deſcenſionis eius ab Hieruſalem in Iericho. Per Hieruſalem; in quo templum erat & religio, negotia deſignantur ſpiritualia: per Iericho mundana atque ſæcularia. Cum Epiſcopus eſ-

Cædes culpæ pœna fuit

ſet

ſet & dux, minus illis intendebat, & ad iſta nimis deſcendebat, ita vt quidam Monachorum noſtrorum illi diceret: Domine vos eſtis bonus dux, ſed non bonus Epiſcopus: attamen quia pro honore & defenſione Eccleſiarum occiſus eſt, ſicut iam Deus per varias reuelationes incepit oſtendere; miſericordiam quam homo, de quo ſupra dictum eſt, conſecutus eſt à Samaritano in corpore: hic in anima conſecutus eſt à Chriſto, cui cum Patre & Spiritu Sancto honor ſit & imperium, per æterna ſæcula. Amen.

DOMINICA DECIMAQVINTA POST PENTECOSTEN, SECVNDVM Lucam.

CAP. XVII.

IN *illo tempore dum iret Ieſus in Hieruſalem, tranſibat per mediam Samariam & Galilæam, & cùm ingrederetur quoddam caſtellum, occurrerunt ei decem viri leproſi.* Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo XIX. MAgna clementia Chriſti. Illò diuertere dignatus eſt, vbi leproſos ſibi nouerat occurſuros. *Decem* iſti viri *leproſi*, legis tranſgreſſores ſignificant: lex enim diuina in decem præceptis conſiſtit. Hinc Dauid dicit Deo: *In pſalterio decacordo pſallam tibi.* Bene pſallit qui legem implet: Tenſio cordarum, ſignificat bonam cordis intenſionem: motus digitorum ſunt effectus operum. Quoties enim legem Dei tranſgredimur, toties in anima lepram contrahimus.

Pſ. 143. 9

Lepra, mortale peccatum eſt. Diuerſas ſpecies in Leuitico diſtinguuntur lepræ, per quas varia peccata animæ figurantur. Lepra eſt idolatria, alia ſpecies periurium, tertia homicidium, quarta adulterium, & ſic de cæteris. Quantum enim diſtat inter ſcabiem & lepram, tantum differt inter peccatum veniale & mortale. Scabies multis modis per medicinam curatur, lepra verò non niſi miraculosè. Sic veniale peccatum multas curas recipit, vti eſt oratio, eleemoſyna, & tunſio pectoris, etiam ſi confeſſio deſit: mortale autem peccatum ſoli Deo curabile eſt, ſanans illud per contritionem cordis, & confeſſionem oris: quos verò ſanat, per contritionem, hos ad ſacerdotes mittit, vt ſe illis oſtendant per confeſſionem.

Ite, inquit, *oſtendite vos ſacerdotibus.* Sicut dixiſſe me memini in expoſitione ſecundę homiliæ, vbi Ieſus deſcendens de monte leproſum tetigit, mundauit, & ad ſacerdotem miſit: ſic in loco quatuor ſunt conſideranda: hoc eſt, vt feſtinanter, nude, integrè, & debito modo, id eſt, proprijs ſacerdotibus peccata confiteantur. Quàm periculoſum ſit contritis corde confeſſionem differre, & quàm infructuoſum confitenti per verecundiam illa tegere, exemplis oſtendere neceſſe eſt. Quòd verò confeſſio debeat eſſe integra & debita, veredicis pandam exemplis.

Exemplũ non integræ cõfeſſionis. Sibodoni nouitio noſtro, cùm eſſet paſtor in Vlieke, miles quidã ex eius parochianis, ſingulis annis confeſſionem facere & pœnitentiã ſuſcipere conſueuerat. Ad quem nocte quadam vox huiuſmodi facta eſt, Sibodo miles ille, nomine eum deſignans, nunquam fecit confeſſionem ſuam, ad quam vocem ſacerdos euigilans, & quid portenderet ſatis admirans; militem mox vt vidit, ad cõfeſſionem puram hortatus eſt, dicẽs: timeo quòd non feceritis mihi purè & plenè confeſſionẽ. Cui ille reſponderet: quid eſt quod dicitis Domine? nonne iam multis annis vobis conſcientiam meam aperui, pœnitentiã ſuſcepi, & adimpleui? Sacerdos ſubiunxit: hoc Deus nouit, & vos. Nam talis vox non ſine cauſa delata eſt ad me: illi, quid in ſomnis audierit, manifeſtans. Quo audito miles territus confeſſus eſt peccatum maximũ, quod verecundia vetante, multo tẽpore ſubticuerat. Imprægnauerat enim quandam cognatam ſuam, & vt inceſtus lateret, natum infantem communi conſilio necauerant. Ecce euidens teſtimonium, quòd confeſſio nulla ſit, ſi integra non fuerit. Quod debita eſſe teneatur, ecce exemplum.

A Deo reuelatæ.

Et emendatæ.

Exẽplum de caſu reſeruato. Cùm Vuilhelmus Abbas Clareuallenſis ante hoc quadrienniũ contra Galonem Cardinalem profectus fuiſſet Romam, poteſtatem dedit Sigero Priori ſuo interim recipere, ſi qua emergerent, peccata criminalia. Cumque eodem tempore quidã Monachorum cuidam confeſſorum peccatum mortale confiteretur, reſpondit: bene te audio; conſiliũ dare potero; ſed non abſoluere, eo quòd cõfeſſio tua debita non ſit. Suadeo tibi, vt Priori iſta confitearis. Quod cum ille recuſaret, & confeſſor Priori, tacito peccato atque perſona periculũ intimaret; ille, vt vir bonus, triduo in capitulo pro eo, ſine nota, orationes iniũxit, cum multis lacrymis Deũ pro emundatione conſcientiæ eius exorans: Et ecce Dominus Sacerdoti cuidam pro eo oranti reſpondit, dicens: Reuera Monacho pro quo oras, confeſſio ſua nihil profuit, quia debita non fuit: ſed dic Priori, vt craſtino dicta prima ante capitulum ſe exhibeat: illuc enim venturus eſt, vt peccatum ſuum confiteatur: Quod & factum eſt: non ergo ſine cauſa dictum eſt: *ite oſtendite vos ſacerdotibus.* Confiteri debet homo peccata ſua, vt abſoluatur: accuſare ſe coram Sacerdote, vt coram Deo excuſetur: detegere peccata in præſenti, vt in futuro iudicio tegantur. reuelare, vt velentur. *Corde* autem *creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem.* 2. Rom. 10.

Oratio pro peccatore obſtinato potẽs eſt.

Sed *eſt duplex confeſsio* peccati, generalis & ſpecialis. *Specialis eſt,* quæ fit pro mortalibus & manifeſtis; in qua illa quæ ſuprà dicta ſunt, requiruntur: hoc eſt, vt ſit feſtinata, propter quod dicitur, *ite*: nuda; propter quod ſubditur, *oſtendite*, integra: propter quod additur, *vos*, quaſi non partẽ corporis, ſed totum: debita, dum cõcludit; *Sacerdotibus. Generalis eſt*, quæ fit in ſacrificio matutino & veſpertino, id eſt, in prima & completorio, pro venialibus, & occultis. Ad ſpecialem verò ter in anno omnes Chriſtiani tenentur, id eſt, in Natali Domini, Paſcha, & Pentecoſten, & tunc communicare debent.

Quatuor conditiones cõfeſſionis ſpecialis.

Ter in anno confitendũ.

In

b. Leu.14. In figura huius rei præceptum eſt filijs Iſrael, *b* vt ter in anno ſe offerrent Deo in Hieruſalem, & non vacui. Si talis fuerit confeſſio, vt ſuprà dictum eſt, à mercede vacua non erit: vnde & ſubditur.

Et factum eſt, dum irent mundati ſunt. Mira virtus cõfeſſionis: hoc eſt c.Pſa.31.5. quod Pſalmiſta dicit: *c dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitias meas Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Dum irent,* inquit. Quibus pedibus? voluntate & deſiderio cõfitendi. Quo? ad ſacerdotes: mundati ſunt; à quo? à culpa. Loca verò per quæ tranſibat Ieſus antequam leproſos ſanaret, non vacãt à myſterio.

Dum iret, inquit Ieſus *in Hieruſalem, tranſibat per mediam Samariam & Galilæam.* Samaria interpratatur cuſtodia: Galilæa, volubi-

Per mutabilitatẽ & cuſtodiam peccatoris it.

lis vel rota. Rotæ comparatur humana natura, quia nihil inconſtantius, nihil impetuoſius eſt, quia dum diuina ei cuſtodia ſubtrahitur, in culpam facillimè deuoluitur. In duobus enim natura noſtra volubilis eſt, id eſt mutabilis; ſcilicet in carne & ſpiritu, & ad duo, ſi Dei cuſtodia careat, labitur: hoc eſt, in culpã, & in pœnã. Vnde & Deus duplicem addidit cuſtodiam, humanam & Angelicam. Cuſtodit homo hominem, cuſtodit Angelus hominem: cuſtodit homo ſeipſum.

d. Pſ.126.1. Et quia ſcriptum eſt, *d niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* Ieſus per vtrãque tranſire dignatus eſt, vt volubrũ

Ad ſanandum eum.

Spiritus & carnis à culpa reſtringendo, caſtellum cordis ingrederetur per gratiam præuenientem, in quo ſanaret decem leproſos, id eſt, vniuerſas diuinæ legis tranſgreſſiones.

Qui ſteterunt à longè, & leuauerunt vocem, dicentes: Ieſu præceptor miſerere nobis. Qui peccant, & orant, hi à longè ſtant & clamant. Quibus dicitur: *Peccatores non audit Deus: e* e. Ioã.9.31 *Propè eſt Dominus omnibus inuocantibus eum; omnibus inuocantibus in veritate, non ficte.* Fictè in oratione Deum inuocat, qui peccandi voluntatem retentat. Et benè Ieſum præceptorem nominat; qui ab illo ſaluari credit & exoptat. 1. Orãtem ſanari.

Quos vt vidit, oculo miſericordiæ, *dixit, Ite oſtendite vos ſacerdotibus*, hoc ſupra expoſitum eſt. *Et factũ eſt, dum irent, mundati ſunt.* Per voluntatem confitendi, conſcientia mũdatur à culpa. Quòd ſi confeſſio, niſi neceſſitas excludat ſubſecuta nõ fuerit, iterum peccati lepra redit. 2. Volentẽ confiteri.

Vnus autem ex illis vt vidit, quia mundatus eſt, regreſſus eſt, cum magna voce magnificans Deum. Vnus iſte ſignificat eos, qui poſt confeſſionem & ſatisfactionem ad priſtinas immunditias antidoto confeſſionis ſanatas, non redeunt, neque recidiuant: ſed ad ſalutis autorem per bonam vitam ſeu conuerſionis gratiam reuerſi, in gratiarum actione perſeuerant. 3. Non recidiuantẽ.

In faciem cadunt, quia de conceſſis beneficijs non ingrati, corde, ore, & opere Chriſto ſemper gratias agunt. Antiqui patres cum Deo pro donis conceſſis ſiue promiſſis regratiarentur, in facies ſuas cadebãt. Peccator à Deo iuſtificatus, in faciem cadit, cùm ante mentis oculos peccata præterita reducit. 4. Gratum de beneficijs.

Et benè dictum eſt, *& hic erat Samaritanus.* Samaritanus interpræta- 5. Cautum ne labatur.

tur cuſtos, qui ſe poſt pœnitentiam cuſtodit, ne denuò peccatorum lepra reſpergatur, meritò Samaritanus vocatur. *Reſpondēs autē Ieſus dixit: nōne decem mundati ſunt, & nouem vbi ſunt?* Nouenarius, qui octonarium tranſcendit, & infra denarium deficit, tranſgreſſionis vitium exprimit, illos deſignans, qui poſtquam ſatisfecerint Deo ad ſacerdotis cōſilium, ad inſtar canis iterū reuertuntur ad vomitum. Talis ingratitudo, quę magna eſt, quicquid per pœnitentiam cōquiſitum fuerat, totū exterminat. Nouenariū exterminatori omnium reum Philoſophi dedicauerunt.

Nouē ſunt reuertētes ad vomitum.

Nouenarius excluditur ab octo beat. & decalogo.

Saluator in Euangelio octo beatitudines enumerat, & ſumma legis in decem præceptis conſtat: nouenarius verò, quia millū primus tranſcēdit, & infra iſtū deficit. eos, quos ſignificat, ab vtriuſque numeri ſignificato ſecludit. Denarius multū affinis eſt octonario, eò quòd cum ſuis partibus conſtitutiuis in illo ſubſiſtat. Verbi gratia: vnū, duo, quinque, denarij partes ſunt, quæ collecta in vnū octo efficiūt. Qui verò Samaritanus, id eſt cuſtos fuerit diuinæ legis; hæres erit æternæ beatitudinis: vnde in

g. Pſal. 118

Pſalmo; *g Beati immaculati in via, qui ambulāt in lege Domini.* Beati reuera ſunt in via vitæ præſentis, quo ad meritum, ſed multò beatiores in patria erunt, quo ad præmium.

Et vnde decimus dicitur vnus, quia denarius ſecūda vnitas eſt, & omniū mandatorū vna eſt vtilitas, & in hoc verbo inſtauratur, *diliges Dominum Deum tuum*, vſque illuc, *& proximū tuum ſicut teipſum.*

Benè autem Dominus de decimo dicit: *non eſt inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena.* Ad literā verò alienus erat tam à ſemine Abrahæ, quàm à legis ſcientia: alij verò nouem Iſraelitæ erant. Duo genera hominū ſunt in Eccleſia Dei, id eſt; clerici, & laici: clericos verò propter cognitionem diuinæ legis Iſraelitas; laicos qui reſpectu illorū à ſciētia legis alieni ſunt, dicere poſſumus Samaritanos; & meritò: magis iſti ſuſceptam pœnitentiam cuſtodiunt, quàm illi. Clericorum exceſſus, etiam ſi maximi fuerint, laicī vindicare, vel, quod minus eſt, propalare non audent. Laicos verò Clerici, ſi peccauerint, in pecunijs multando, excommunicando, & ab Eccleſijs eliminando, ſatis acriter arcent; circa illos culpa diſſimulatur, vt pereant: iſti, etſi non ſemper amore iuſtitiæ, ſaltem timore pœnæ, cōpelluntur redire ad iuſtitiam, vt ſalui fiant.

Et ait illi Ieſus, ſurge, vade, quia fides tua te saluū fecit. Quæ fides? Articulorum? non: ſed fides virtus, de qua dicitur: *h Qui credit in me habet vitam æternam.* Fides quandoque dicitur id, quod creditur, quādoque id, quo creditur: hæc meritoria eſt. De fide quæ eſt in articulis dicitur; *i Fides ſine operibus mortua eſt:* hæc etiā in dæmonibus eſt, *k qui credunt & contremiſcunt.*

h. Ioan. 6.

i. Iac. 2. 26

k. Iac. 2. 19

Surge, vade. Quidam cadūt, & fortius reſurgūt, ſicut iſte Samaritanus, de quo ſermo eſt; vaduntque de virtute in virtutē, donec veniant cū Ieſu in Hieruſalem, hoc eſt, ad perfectam charitatem, in qua eſt pax pectoris, & timor filialis, quē nos habere faciat, & per illum ad pacem æternitatis, & ad viſionem ſuæ Deitatis perducat: qui ſine fine viuit & regnat: Amen.

DOMI-

DOMINICA SEXTADECIMA POST PENTECOSTEN, SECVNdùm Matth.

CAP. VI.

IN illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis Nemo poteſt duobus dominis ſeruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut vnũ ſuſtinebit, & alterum contemnet. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo XX.

REuera, ſicut Saluator dicit, nemo poteſt duobus dominis tam in voluntate, quàm in opere ſibi contrarijs, ad placitum ſeruire; in quantum enim vni placere ſtudet, in tantum alterum offendit: de quibus dominis dicat, oſtendit, cùm protinus ſubiungit: *Non poteſtis Deo ſeruire & Mammone.* Mammon, nomen eſt dæmonis, qui diuitijs præeſt, vocabulũ ab illis trahens, multoſque per illas ſubuertens: Mammona enim Siriacè diuitiæ nuncupantur: huic Domino omnes auari ſeruiunt: *a Auaritia idolorum ſeruitus eſt*: ergò, qui diuitias amant, idolum in anima ſua ponunt, & adorant. Quid igitur ſceleſtius auaritia? Ipſa.n. radix eſt *b* omnis malitiæ, & vt diximus, ſeruitus idolatriæ, mater vſuræ, genitrix ſimoniæ, fomes culpæ, nutricula gehennæ.

Mammonæ idololatria.

a Col. 3.5.

b Ibid. & 1. Timo. 6.

Etiam religioſis eſt moleſta.

Non ſolum, fratres, à ſæcularibus, imò etiã à clauſtralibus penſum ſeruitutis ſuæ Mammon iſte requirit. Quomodo parceret nobis, qui culturam idolatriæ ſuæ etiam exigere auſus eſt à Chriſto, qui prædicator, ſpeculum, & amator fuerat totius ſanctæ paupertatis.

Ita ſcriptum eſt: *c Tunc aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valdè, & oſtendit illi omnia regna mundi, & gloriam illorum, & dixit illi; hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Non dicit ſimpliciter, ſi adoraueris me, ſed, ſi cadens adoraueris me. Ante mammona cadit, qui amore diuitiarum à iuſtitia ruit: cadens adorat, ſi in diuitijs ſperat, non enim ſperandum eſt in incerto diuitiarum, ſed in Domino: hinc de iuſto dicitur: *d Beatus diues qui inuentus eſt ſine macula. & qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecuniæ theſauris. Quis eſt hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua.*

c Mat. 4. 5

Nec Chriſto patiẽs.

d. Ecc. 31.

Audiat hoc ille, vel illi, qui ſub habitu paupertatis per diuerſas ciuitates, vicos, & caſtella diuites propter ſuas diuitias venantur importunius. Si beatus prædicatur, qui diuitias fugit oblatas, neceſſe eſt vt infœlix ſit, qui etiam inſequitur fugientes, vt ait Auguſtinus; Non eſt genus malorum, quod ex cupiditate non proueniat. Specialiter propter tria àuaritiã dicitur idolorum ſeruitus. Auarus enim quod Deo conuenit, pecuniæ tribuit; & hoc tribus modis. Deſiderat, vt pecuniam habeat, ſeruit & laborat, vt habitam augeat, timet, ne eam amittat.

Digreſſio inuectiua.

Dæmonem in diuitijs eſſe, illiſque præeſſe, rex Boemię, qui hodie regnat

in ea-

Exemplū. Hic Rex fuit Meſco, qui & Boriuoius dictus: à muribus, cum terra mariq; inſequentibus, corroſus periit, tandē ſub annū 1230. Teſte Dubrauio in Boemia lib.15.

in eadem gēte ſatis tam verbo, quàm facto declarauit. Hic cum tempore quodam ad ſolemnem curiam Philippi regis Romanorum cum multa pompa & gloria ſæculari veniſſet, vtpote Rex diues & liberaliſſimus, nocte in tentorio ſuo dormiens totā noctem duxit in ſomnem: quod cùm manè cubicularijs indicaſſet, ſequenti nocte ſimilem ſomni iacturam, nō ſine magna admiratione paſſus, iuſſit, vt cubile totumque tentorium aqua benedicta aſpergerent, & thurificarent, dicens; Si diabolus non eſſet ſubtus me, vel iuxta me, aliquid ſaltē per has noctes cepiſſem ſoporis. Factum eſt vt imperauit, ſed nihil profuit. Igitur mane ſurgens à ſomno, cū multa ira cœpit ſtramenta euertere, iactare, culcitram, & ceruicalia, calamos hincinde diſpergere: videns verò ſcrinium, quod capiti ſuo ſuppoſitum erat, interrogauit quid in illo eſſet: cui cùm dicerent camerarij: Domine, expenſæ veſtræ ſunt; exclamauit: Ecce reuera diabolus in ſcrinio eſt, qui me nō permiſit dormire: iuſſitque ſtatim omne pōdus illud auri & argenti erogari, & vtinam pauperibus, ab illa die ſomnum capere potuit, vt prius. Hæc mihi relata ſunt à quodam nobili viro eius Capellano.

Aliud exemplū de contēptu pecuniarū

Recordor hic verbi cuiuſdā Philoſophi, quod memoria dignum eſt. Diogenes cùm illi à capite noctu fur ſacculum cum nummis trahere conaretur, & ille ſentiret: tolle, inquit, infœlix, vt facias vtroſque dormire.

Chriſti teſtimoniū e. Luc.14. 33.

Qui ſeruit diuitijs non poteſt ſeruire Chriſto, qui dicit; *e qui non renūciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt eſſe meus diſcipulus.* Sic qui Chriſto ſeruit, illis ſeruire non poteſt: quia ſi illis per auaritiā ſeruit, Chriſti ſeruus non erit.

Chriſti factum. f. Mat.4.9

Notate quòd diabolo diuitias offerenti reſponderit Chriſtus: *f Vade Sathanas, ſcriptum eſt enim, Dominū Deum tuū adorabis, & illi ſoli ſerujes.* Sathan interprætatur aduerſarius: quia diuitiæ aduerſantur ſanctæ paupertati non illis clauſtrales ſeruire debent per auaritiam, ſed per contemtum dominari, vt eis congruere poſſit illud Dominicum: *g beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*: dicit enim Sanctus Auguſtinus, *Qui veram de Deo habet fidem, non cupit in miſerijs diues fieri, nec pluris eſt ei mundus, quā Deus.* Conſiderate fratres illud Philoſophi: *honeſta res eſt læta paupertas: Illa verò non eſt paupertas, ſi læta non eſt: cui cum paupertate bene cōuenit, diues eſt.* g. Mat 5.3 Auguſtin. Seneca.

Si ſic voluntariam paupertatem commendat Ethnicus, quid excuſationis habebit Chriſtianus, & maximè Chriſti diſcipulus Monachus? Si ſpiritu pauper non eſt, Chriſti diſcipulus non eſt: quòd ſi te terrent, ô Monache, amplæ poſſeſſiones monaſterij tui, & rerum mobilium diuitiæ, dicit tibi Pſalmiſta: *h Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Diuitias nos habere debito modo non eſt peccatum, ſed periculum. Religio, ſicut dici ſolet, peperit diuitias, diuitię religionem deſtruxerunt. Conſiderate antiqua cœnobia Ordinis S. Benedicti: ob nimiam religionem, quæ in illis fuit, data ſunt eis à regibus prædia multa & infinita, principatus etiam cum caſtris, ciuitatibus, & miniſterialibus, per quæ, proceſſu temporis eadem religio in tantùm deſtructa eſt, h. Pſ.61.11 Diuitię religioſis periculoſæ.

cta eſt, vt, qui tempore paupertatis religioſi multò erant religioſiores, modò in quibuſdam locis etiam à ſæcularibus plus ſint ſæculares. Notate Abbatias regales: Fuldenſem videlicet, Verdenſem, Prumienſem, & alias quàm plures, qualiter ibi hodie religio vigeat: vbi prius erant turbæ Monachorum; modò pauci admodum ſunt, & eiſdem neceſſaria deſunt.

De Fuldẽ. Abbatia.

Non eſt diu, quòd cuidam ex cõuerſis noſtris dum deambularet in oratorio Sancti Bonefacij in Fulda, quidam Monachorum eorundem oſtendens reliquias theſaurorum, necnon & diuerſos choros, ait: En frater aliquando tanta hic erat multitudo Monachorum, vt choris ſibi inuicem ſuccedentibus, nullum tempus diei ſiue noctis à laude Dei vacuum tranſiret: modò vix ſumus decem & octo, & deeſt panis, quo veſcamur: & meritò. Quando Monachi erant humiles & ſecundùm nomen ſuum tam habitu quàm actu pœnitentes, præbendas habebant pingues: ex quo enim cœperunt eſſe regales, dignum eſt vt præbendas habeant curiales.

Dictũ Colon. ciuis.

Vnde ciuis quidam Colonienſis de Monachis eiuſdem ciuitatis protulit verbum, etſi iocoſum, memoria tamen dignum. Quando, inquit, Monachi Sancti Martini coronas habebant latas & glorioſas, dabantur eis fercula ampla & magna: modò quia coronas habent paruas, iuſto Dei iudicio ſolita piſcium fercula eiſdem ſunt minorata. Ex his omnibus probatur quòd diſciplina pariat abundantiam, abundantia verò, niſi ſumma cautela adhibeatur, deſtruat diſciplinam: deſtructio diſciplinæ abũdantiam. Diuitiæ ſimiles ſunt tineis: Tineæ de veſtimento veſcũtur, quod poſtquam demolitæ fuerint, & ipſæ pereunt: vnde cum dixiſſet Dominus; non poteſtis ſeruire Deo & Mãmone, ſignanter adiecit.

Corporis cura nimia prohibetur.

Ideo dico vobis, ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini. Cùm anima non maducet, ſed corpus, certum eſt hic animam poni pro corpore; nam de cibo ſpirituali, id eſt, verbo Dei, quo anima paſcitur, ſemper homo ſollicitus eſſe debet. Loquitur hic Dominus more Prophetico, qui ad cauendam identitatem, eandem rem alijs repetere verbis conſueuerunt: Et notate quòd non dicit Dominus, ne ſitis ſolliciti, vt commedatis; ſed quid commedatis, ſimiliter & de veſtimento, vt intelligamus differentiam eſſe inter neceſſaria & ſuperflua.

Solicitudo duplex
i. Pro. 6. 6.

1. Eſt enim ſollicitudo ſubſtantiæ vel naturæ, quam licèt habere, de qua Salomon dicit: *i Vade piger ad formicam, & conſidera vias eius: Ipſa enim colligit* in æſtate, quod commedat in hyeme. Talis ſollicitudo alio nomine prouidentia dicitur. 2. Eſt ſollicitudo qualitatis vel quantitatis, quæ mala eſt, quam Dominus prohibet. Qualitatis; vt ſi anxiè cogites, quomodo tibi fercula præpares lautiora. Ad hanc ſollicitudinem cauendam Sanctus Benedictus in regula dicit, duo polmentaria omnibus Monachis ſufficere debere. Sollicitudo quantitatis eſt in multis ferculis, quia diuites & delicati tum ad ſatisfaciendum gulæ, tum ad oſtenſionem gloriæ plurimùm peccant. Simile intelligatur de veſtimentis in quibus maxima quædam ſollicitudo

eſt.quomodo prætioſa habentur, ac diverſa, id eſt mutatoria Talis ſollicitudo fuit in diuite, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè. Contra quod vitium dicit Sanctus Benedictus, cùm ordinaret monachis veſtimenta, de quorum omnium colore aut groſſitudine nõ cauſentur fratres: hinc in ſequentibus dicitur.

De veſtimento quid ſolliciti eſtis? Ne ergo cõtradicere videamur verbis Dominicis, ſciendum eſt omnem ſollicitudinem, quæ non ſpectat ad ſalutem animæ, ſecundum aliquid malam eſſe: aut enim naſcitur de auaritia, per quã homo ſuperflua deſiderat, vel de modicitate fidei, per quam ſibi etiam neceſſaria deficere ſemper formidat: hinc Apoſtolus credẽtibus dicit: k *volo autem vos eſſe ſine ſollicitudine.* Et Dominus in fine huius lectionis dicit: *Nolite ergo ſolliciti eſſe, dicentes, quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes,* quæ ſubaudis fidẽ nón habẽt, *inquirunt.*

Sollicitudinis fons duplex.

k. 1. Cor. 7. 32.

Nec prætereundum quare Dominus ſollicitudinem cibi attribuat animæ, & ſollicitudinem veſtimenti corpori: videtur huiuſmodi ratio poſſe aſſignari, vel quia anima in corpore ſine cibi adiumento prorſus ſubſiſtere non valet, vel quia cibus & potus deſcendunt ad interiora, vbi anima eſt, veſtis verò tegit exteriora. *Nonne anima plus eſt quàm eſca, & corpus plus quàm veſtimentum?* Reuera incomparabiliter plus, quia anima ad imaginem & ſimilitudinem Dei creata eſt, corpus verò per reſurrectionẽ dotibus claritatis, agilitatis, ſubtilitatis, & impaſſibilitatis glorificabitur: cibus autem, potus, & veſtimentum, quæ ſunt in viaticũ corpori creata, citius in fœtorem atque corruptionem deſcendunt.

Cura cibi cur animæ tribuatur.

Et, vt oſtendat nos eſſe debere ſine ſollicitudine, quæ cor angit, & Deo ſeruientes in negotijs ſpiritualibus plurimum impedit: ſubiungit & dicit: *Reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & pater veſter cæleſtis paſcit illa: nonne vos magis pluris eſtis illis?* Quaſi dicat: in illis anima cum corpore moritur, in vobis verò vtrumque glorificabitur.

Cur pœnitenda?

Poterant diſcipuli ad hæc verba Domino ſic oppoſuiſſe: Quia aues non ſerunt, neque metunt, neque cõgregãt in horrea, idcircò ſemina deuorant, granaria ſpoliant, & horrea: propter quod lęduntur, capiuntur, & necantur; à ſimili homines qui vacare volunt, & non laborare manibus, vel negotiari, vt habeant ex eis victũ & veſtitum, fures & latrones fiunt; & nonnunquam malè pereunt.

Obiectiũcula an ergo ex raptu viuendum.

Sed Dominus vult, vt homo fidelis omnem ſuam curam & ſollicitudinem principaliter & ante omnia in ipſum proijciat, ſecundùm illud Pſalmiſtæ: l *Facta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.* Item Apoſtolus Petrus in epiſt. ſua prima: m *Omnem ſollicitudinem veſtram in eum proijcientes: quoniam ipſi cura eſt de vobis.* Et per Malachiam ipſe Dominus: n *Inferte omnem decimam in horreum, vt ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc, dicit Dominus, ſi non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem vſque ad abundantiam, & increpabo pro vobis deuorantem & corrumpentem.*

Reſponſio. Non: ſed ex ſpe in Deum.

l. Pſ. 54. 23.

m. 1. Petr. 5. 7.

n. Mala. 3. 9.

tem fructum terræ veſtræ, nec erit ſterilis vinea in agro. Sequitur.

Quis autem veſtrum cogitans poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum? Et de veſtimento quid

1. Ratio à minori.

ſolliciti eſtis? Ac ſi dicat: qui ſine hominis labore dedit ſtaturam, quæ nõ poteſt extendi per hominis laborem ac induſtriam, ipſe dabit & veſtem.

Conſiderate lilia agri, quomodo

2. Ratio ibidem.

creſcunt, non laborant, neque nent: dico autem vobis, quod nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut vnum ex iſtis. Byſſus cum multo labore producitur ad veſtis candorem, euellitur, ſiccatur, tunditur, dentibus ferreis purgatur, filatur, texitur, ſicque in veſtis decorem formatur: ſic & purpura non abſq; labore magno colorem percipit purpureum. Et cũ Salomon eſſet diues, & ſapiens ſuper omnes Principes terræ; non fuit tãta gloria candoris vel ruboris in eius veſtimentis, quantus naturaliter ineſt lilio vel roſæ.

Si autem fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanũ mittitur, Deus ſic veſtit, quãtò magis vos modicæ fidei?

Inopia fidei, & fons curæ corporalis.

Quòd verò ſollicitudo ſit ex inopia fidei oſtendit, cùm ſubiũgit: *Nolite ergo ſolliciti eſſe dicètes, quid mãducabimus? aut quid bibemus? aut quo operiemur? hæc enim gentes inquirunt: Scit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis.* Et quia his carere non poſſumus, addit: *Quærite ergo primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius. & hæc omnia adijcientur vobis.*

Regnum Dei, fides eſt, iuſtitia eius, opera fidei. Quæ ſunt opera fidei? Ire ad Eccleſiam, cõmunicare ſacramẽtis, audire & loqui verbum Dei, egẽtibus ſubuenire, orare, vigilare, ieiunare. Per hæc & huiuſmodi opera, quæ animam iuſtificant, ſi tamen ex charitate fiant, promeremur regnum cœlorum: quæ, qui quærit & agit, bonis temporalibus, vt eſt, cibus, potus, & veſtimenta; in præſenti non carebit: illa verò bona ſunt ſubſtantiua, iſta adiectiua.

Cum dicit: *primum quærite regnũ Dei,* non prohibet temporalia quærere, ſed ſecundo loco: vnde & pro temperie aeris, & fructibus terræ orare non prohibemur: ſed antequã ſermo claudatur duas illas ſimilitudines, ſcilicet volatilia cœli, & lilia agri, ad quarum conſideratione nos mittit Dominus, charitati veſtræ ſpiritualiter exponere conabor.

Quatenus temporalia licet quærere.

Reſpicite, inquit, *volatilia cœli, quoniam non ſerunt neque nent,* &c. Volatilia cœli quid dixerim, niſi antiquos noſtros Patres, qui in Eremo corporali ſpiritualiter cõuerſati pẽnus contemplationis ſuſtollebantur in cœlum? In quorum perſona dicit Apoſtolus: *O Conuerſatio noſtra in cœlis eſt.* Tales erant Paulus primus Eremita, qui ab aue cœlitus paſcebatur: Antonius etiã & Macharius: Paſtor, & Arſenius, & alij innumerabiles, qui in diuerſis cellulis Eremi nidificantes, ſine cura, & ſine ſollicitudine Deo ſeruiebant: & cum eſſent plurimi, ita vt nonnunquã cẽteni, aut plures cohabitarent, non tamen legũtur ſeminaſſe vel meſſuiſſe agros proprios, aut cõgregaſſe in horrea, quos Pater cœleſtis omnes pauit, erãtque Monachis huius temporis ad opus quodlibet bonum, & corpore robuſtiores, & vita diuturniores.

Eremitæ ſunt volatilia cœli.

o. Philip. 3. 20.

Nos verò non magis pluris ſumus illis, ſed multò tam fide, quàm me-

Eorũ diſſimiles ſunt religioſi.

rito inferiores. Seminamus, metimus, granis horrea, & diuerſa vino replentes promptuaria. Abundant armenta in paſcuis, olera in hortis; & cum his adijciantur eleemoſynæ fidelium, debitis tamen obligamur. Et benè congruit nobis quod ſcriptũ

p. Iob. 5. 7. eſt: *p homo naſcitur ad laborem*, illis verò, quod ſequitur, *& auis ad volatum*. Nos reuera cum ſollicitudine laboramus, & egemus, illi verò adinſtar auium leuitate virtutum cœleſtia petentes, neceſſarijs abundabãt. Quid aliud dixerim Beatam Mariam Aegyptiacam, niſi turturem ſoliuagum? quæ in oratione etiã corporaliter ſuſpenſa in aere, cogitatione & auiditate in illa cœleſti patria conuerſata eſt.

Virgines ſacræ ſunt lilia agri. Et ſicut fratres in his patribus cõſiderare iubemur ſpiritus libertatẽ, necnon & fidei puritatem, ita & in lilijs agri conſiderare nobis cõgruit carnis integritatem. Lilia agri fuere virgines ſacræ in habitu ſæculari cõſtitutæ: Agnes videlicet, Agatha, Cecilia, Katharina, eiſque conſimiles; quæ quantum per amorem caſtitatis in merito creuerint, ſatis hodie declaratur. Cùm candor virginitatis non ex labore vel ex artificio humano fit, ſed ex natura: attamen, vt ad meritum proficiat, principaliter indiget gratia diuina, ſecundàriò cuſtodia humana.

Virginitas vna ſuperat matrimonium multorũ. Quod verò ſequitur: *Dico autẽ vobis, quòd nec Salomon in omni gloria ſua opertus eſt ſicut vnum ex his*, dicitur comparatione ſtatus ad ſtatũ. Salomon habuiſſe legitur vxores ſeptingentas, quaſi reginas: & cum omnibus illis alligatus eſſet coniugio; nullius tamen matrimonium gloriæ vnius virginitatis comparari valet.

Nec obſtat huic expoſitioni authoritas, quæ dicit: *cœlibatus Ioannis non præponitur coniugio Abrahæ*: quia Salomon, ſicut rei probauit euentus, totidem vxores duxit magis incitamento libidinis, quàm amore procreandæ prolis.

Coniugium veſtis eſt culpam libidinis tegens, nec tamen candori virginitatis æquari poteſt: quòd ſi virginitas in nobis eſt, candorem eius ſeruemus, quòd ſi non eſt, per continentiam perſeueranter illam imitemur, vt defectus naturę per gratiam ſuppleatur. Et, ſicut Dominus monet in fine huius lectionis, primũ quæramus regnum Dei, & iuſtitiam eius; Chriſto fideliter ſeruiendo, & nihil eius amori præponendo, & vitæ neceſſaria nobis ſubminiſtrabit, atque cœleſtibus bonis in futuro nos hæreditabit Chriſtus Deus noſter. Amen. Ratio.

DOMINICA DECIMASEPTIMA POST PENTECOSTEN. SECVNDVM Lucam.

CAP. VII.

In illo tempore ibat Ieſus in ciuitatem quæ vocatur Naim, & ibãt cum illo diſcipuli eius, & turba copioſa. Et reliqua.

HOMILIA DE EAdem lectione.

Sermo. XXI.

Tres mortuos legitur Saluator ſuſcitaſſe: *a* vnum in domo: alterũ a. Luc. 8. 5a

terum de quo nunc agitur in porta: b tertium in monumento.

b. Ioan. 11. 43.

Primus mortuus designat peccatū cogitationis, ſecundus, peccatū locutionis, tertius peccatum operationis. Hi tres mortui, ſicut alibi plenius diximus, notatur per *iraſci*, per *racha* per *fatue*: quia ad moralem tendimus expoſitionem, quæ ſit ciuitas Naim, quæ vidua, quis filius viduæ extinctus, quis tactus Ieſu; quis lectus, qui portātes, videamus. Omnia iſta in homine moraliter vel ſunt, vel eſſe poſſunt.

Familia.

Ciuitas Naim anima eſt electa, ad inſtar ciuitatis virtutibus naturalibus conſtructa. *Viduam* huius ciuitatis rationem intelligo, quæ coniux eſt, quamdiu gratiæ adhæret per amorem: vidua verò cum præcedēte culpa deſeritur à gratia. *Sponſum* rationis gratiam eſſe facilè perpenditur ex liberi arbitrij deſcriptione, *Eſt autem liberum arbitrium facultas rationis & voluntatis, ad faciendum bonum, aſſiſtente gratia.* Secundū hoc maritus rationis eſt gratia, eandemque fœcundat, mediante voluntate.

Filius rationis ſermo eſt, qui benè *vnicus matris ſuæ* dicitur, quamdiu ſimplex & rationabilis eſt; vnde Dominus: c *Sit ſermo veſter eſt, eſt, non, non.* Sermo bonus, filius bonus: de tali filio Dauid dicit in Pſalmo: d *Eructauit cor meum, verbum bonum.* Hinc ſacra Scriptura Chriſtum Dei verbum e nominare conſueuit, quia f Patris voluntatem hominibus indicauit. Si ſermo fuerit ædificatorius, diſertus, ſapientiæ ſale conditus, rationis eſt filius: quòd ſi otioſus, multiplex & inutilis fuerit, febrem incurrit: ſi verò fuerit malitioſus, mendax, & impudicus, moritur: g *Corrumpunt mores bonos colloquia praua.* Mors filij matrem viduam efficit, quia per conſenſum cuiuslibet mortalis Deus animæ gratiā ſuam ſubtrahit.

c. Matt. 5. 37.
d Pſ. 44. 2.
e. Ioann. 1.
f. Ioan. 4. 34. c. 5. 30. c. 6. 38.
Sermo triplex.
g. 1. Cor. 15. 33.

Lingua verò pro ſermone ſæpè ponitur, eò quòd per illam verba formentur: videte nunc de morte adoleſcentis: ſcriptū eſt enim h *Mors & vita in manibus linguæ.* Contingit nonnunquam, vt infirmus adoleſcēs, maximè quando materia in cerebrū rapitur, phreneſim incurrat; ſicque ſeipſum vel lædat, vel interficiat: i *Qui multis vtitur verbis,* vt ait Eccleſiaſticus, *lædit animam ſuam.* Item Oſeas de verboſis: k *Cadent in gladio principes eorum, & à furore linguæ ſuæ*: Et Apoſtolus Iacobus: l *Lingua conſtituta eſt in membris noſtris, quæ maculat totum corpus natiuitatis noſtræ, inflammata à gehenna.* Non ergo mirum, ſi ciuitas animæ noſtræ tota commouetur & conturbatur in morte adoleſcentis.

Lingua malum.
h. Pro. 18. 21.
i. Pro. 8. 36.
k. Oſee. 7. 16.
l. Iaco. 3. 6.

Naim enim interpretatur commotio, vel conturbatio: m *lingua modicum membrum eſt, & magna exaltat: inquietum malum, & plenū veneno mortifero.* De qua etiam Sixtus dicit: *Lingua maliloquia indicium eſt malæ mentis.* Lingua tua ſenſum tuū ſequitur.

m. Iac. 3. 5.
Sixtus Papa I.

Adoleſcens, de quo loquimur, in domo quidem mortuus eſt, ſed per portam ciuitatis ad ſepeliendum delatus. Ibi Domino offertur, ibi ſanatur. Sic ſermo pernicioſus in corde quidem moritur, ſed per os ad ſe-

Linguæ malæ cōſuetudo peior eſt.

pulchrum cóſuetudinis effertur: vnde, cum verbum malum in corde cócipitur, & voluntate necatur, antequam ducatur ad portam oris, induci debet ad limam rationis: matri enim

Iacob.3.6. non placet mors filij.: *Lingua enim*, vt dictum eſt, *inflammat rotam natiuitatis noſtræ*. Rota etenim natiuitatis humanæ præſens vita eſt, quæ ab ineunte ætate multiplici rotatur volubilitate. Hanc inflammat in adoleſcentia linguæ mobilitas ad iocoſa, in ætate virili ad fraudulenta: in ſenili ad detractoria. Vnde, ſicut quidam ait, ſedanda eſt hæc ſcintilla, ne euadat in flammam: ſurculus, ne creſcat in ſiluã: gutta, ne intumeſcat in torrentis abundantiam: ſed *quia linguã*

Iacob.3.8. nequam *nullus hominum domare poteſt*; Ieſus ſua gratia portæ ciuitatis commotæ vel conturbatę appropinquare dignatus eſt: propter linguæ pronitatem & impetum etiam Deus valuas duplices antepoſuit, oſſeas videlicet, & carneas, id eſt, dentes & labia.

Quibus lingua corrigitur.

Ibant & cum illo diſcipuli eius. Diſcipuli Ieſu ſunt dona gratiæ ſalutaris, quæ fiũt vel ex occulta inſpiratione, ſiue ſacræ lectionis eruditione, quæ ad ſuſcitationem mortui, id eſt, vitam linguæ gratiæ cooperãtur.

Quam cum vidiſſet Dominus: viduã ſcilicet, *miſericordia motus, ſuper illã dixit, noli flere*. Quia rationi peccatũ linguæ ſemper diſplicet, quaſi mater in obitu filij flet: nõ tamen filius mori poſſet, niſi illa conſentiret: conſentit autem voluntas, improbitate ſuperata: *Ieſus* verò *accedit*, cùm miſericorditer gratiam infundit. *Loculum tangit*, cùm peccati delectationem reſtringit: loculus in quo defũctus iacet, peccati delectatio eſt.

Adiuncta malæ linguæ.

Hi autem qui portabant ſteterunt. Baiuli adoleſcentis defuncti, ſunt vitia linguæ, ſcilicet clamor & indignatio, furor, & ebrietas: his lingua defertur ad ſepulchrum malæ conſuetudinis. Per hos baiulos elatus eſt ſermo iniurioſus. *n* Nabal contra ſanctũ n.1.Reg.25

David. Vnde & Monachis ſilentium 10.

neceſſarium eſt: ad tactum verò Ieſu baiuli ſtant, cum vitia quibus lingua in peccatis effluit, cohibentur per acceſſum gratiæ.

Et ait: Adoleſcens tibi dico ſurge. Adoleſcentia, morũ ſtultitia eſt. Prudens verbis innoteſcit paucis: vnde Eccleſiaſticus: *o Homo ſapiens tacebit* o. Eccl.20.

vſque ad tempus: laſciuus autem, & imprudens non ſeruabit tempus. Ergò verboſitas, quædam adoleſcentia eſt: huic dicitur: *ſurge*, cùm per cordis contritionem erigitur ad oris confeſſionem: vox gratiæ ſalutaris eſt, virtuoſa eſt: de hac dicitur in Pſalmo: *p Audiam quid loquatur in me* p.Pſ.84 9

Dominus Deus. Et quid loquitur: *q* q.Iſai.43.

Dic tu iniquitates tuas vt iuſtificeris. 26.

Linguæ ſanatio eſt confeſſio.

Et reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui. Benè autẽ in porta viuificatur, qui in porta mortuus efferebatur: quia per medicinam confeſſionis, ſanatur peccatum malæ locutionis. Ecce ſic impletur quod ſcriptum eſt, *r* r.Prou.18

Mors & vita in manib. linguæ. Mors, 21.

cum adulatur, cum obloquitur, mentitur: vita, cùm per confeſſionem culpa diluitur.

Et humiliatio.

Et reſedit, inquit. Seſſio pertinet ad humilitatem pœnitentiæ: vnde & Dauid ſedit in terra, cùm peccatum adulterij confiteretur: hinc dicit in Pſalmo contritis corde: *ſ Surgite,* ſ.Pſ.126.2

poſtquam ſederitis, qui mãducatis panem doloris: quaſi dicat: non niſi per

humi-

litatem pœnitentię, ſurgitur ad ſtatū perfectionis & iuſtitiæ. *Et dedit illū matri ſuæ.* Filius matri redditur, cum ſermo mortificatus per culpā, & viuificatus per gratiam, ad rationis limam reducitur: vt, qui prius non verebatur degenerare, deinceps ſtudeat matriſare: id eſt, vtilia & ſancta, atque rationabilia proferre. Sequitur.

Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes: Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitauit plebem ſuam. Saluatoris noſtri gratia, ſecundùm diuerſos ſuos effectus, diuerſa in nobis ſortitur vocabula: quando tribuit ſpiritum ſapientiæ, dicitur ſapientia: quandò dat gratiam ſanitatum, medicus, vel medicina: quandò ſpiritum Prophetiæ, Propheta. Prophetia non ſolùm conſiſtit in prædicendis futuris, ſed & in laude Dei, & in interpretationibus Scripturarum. Cantores in templo Domini, vt Aſaph, & Idithum Prophetæ dicti ſunt. Ergo qui Deum laudat, vel proximū verbis ædificat: Prophetiæ Spiritum ſe habere manifeſtat. Propheta ſolet habere verba ſerioſa, rara, & vera: quando is, qui antea fuerat vaniloquus & leuis, incipit eſſe ſerioſus, verboſus taciturnus, mendàx verax, benè dici poteſt de eo quod Propheta magnus ſurrexerit in eius corde: cuius dono talis facta fuerit cōmutatio. Verboſus enim & detractor non ſolùm commouet & conturbat ciues animæ ſuæ, ſed & omnes cum quibus habitat: vnde & pro illius ſuſcitatione, id eſt, morum conuerſione, & linguæ maxime, Deum ſolent magnificare.

Sicut ſcribit Beatus Bernardus Abbas Clareuallis: Fœmina quædam erat in Hybernia, tam vehemens in lingua, vt eius procacitatem, iracundiam, & malitiam non ſolùm ciues, ſed nec proprij filij ſuſtinere poſſent: adducta eſt à filijs ad ſanctūm Malachiam, gentis eiuſdem Epiſcopum: cui cùm confeſſa fuiſſet peccata, illeque pro ea oraſſet, mox linguæ vitijs ſtantibus, tantæ tranquillitatis effecta eſt, vt omnis plebs totius ciuitatis meritò dicere poſſet de ſancto Epiſcopo: quia Propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus, per ſanationem huius mulieris, viſitauit plebem ſuam. *Apud Surium in vita S. Bernardi.*

Vnde fratres verboſitas à viris religioſis ſuperopere vitanda eſt, quia garrulus nunquam loqui erubeſcit, nec conſiderat quid; ſed quantum dicat: non metitur ſententiam, ſed pōderat verborum abundantiam. Verboſitas eſt enim ſpeculum mentis, & garrula lingua littera cordis: vnde ſicut Salomon dicit: *u qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam.* Non igitur grauet nos ſilentium regulare, quod contra loquacitatis vitium medium eſſe dignoſcitur ſingulare, *u. Pro. 13.* quia qui nunc ſilet à malis, lætius in futuro Deum laudabit cum Angelis: ad quorum ſocietatem nos perducat, qui ſine fine viuit & regnat Ieſus Chriſtus Dominus noſter, cui cum Patre & Spiritu Sancto decus ſit & imperium, per æterna ſæcula ſæculorum: Amen.

* *
*

D Co-

DOMINICA DECIMAOCTAVA POST PENTECOSTEN, ſecundùm Lucam.

CAP. IV.

IN illo tempore cum intraret Ieſus in domum cuiuſdam principis Phariſæorũ ſabbatho manducare panem, & ipſi obſeruabant eum. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo XXII. *PRinceps iſte Phariſæorum* deſignat quemlibet in ſæculo potentem, nobilem & diuitem: cuius domus toties intrat Ieſus manducare panem, quoties ad menſam ſuam perſonam inuitat religioſam. *In ſabbatho*, hoc eſt, diebus feriatis maximè conuenire ſolent diuites, & conuiuia inſtaurare. Qui benè dici poſſunt Phariſæi, quia gloria & honore à pauperibus ſunt diuiſi.

Et ipſi obſeruabant eum: quem? *Ieſum*, qui in membris ſuis ſuſcipitur, ſecundùm illud: *a qui vos ſuſcipit me ſuſcipit*. Multum nos obſeruãt ſæculares, conſiderãdo verba noſtra, geſtus noſtros, habitum noſtrum: & ſi in his fortè aliqua depræhenderint ſigna ſanctitatis atque grauitatis, multum ædificantur: ſi verò leuitatis indicia, ſiue aliud quid, quod religionem non ſapiat, verſa vice ſcandalizantur.

a. Mat. 18. ſ. Luc. 10. 8

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. In hydropiſi duo principalia deſignantur vitia, ſuperbia, quæ radix eſt omnium vitiorum, & auaritia, quæ ſeruitus eſt idolorũ. In timore cutis exprimitur ſuperbia, & in aſſiduitate ſitis, auaritia. Odibilis eſt coram Deo & hominibus ſuperbia, & auaro nihil eſt ſceleſtius: quemcunque his vitijs inuitatus ſubiacere intellexerit in numero conuiuantium, quaſi hydropicus eſt ante illum.

Quid hydropiſis ſignificat.

Et reſpondens Ieſus dixit ad legiſperitos & Phariſæos: hi ſunt qui eum obſeruabant: horum cogitationibus verbis reſpondebat; *Si licet in ſabbatho curare?* quod eſt dicere: ſi licèt mihi vobis epulantibus aliquid narrare, vnde infirmitas veſtra ſanetur? Rectè ſabbathum dici poteſt tempus lætitiæ, & refectionis, quia tunc requieſcitur à laboribus curæ exterioris. Idcircò enim ſancti leguntur aliquando frequentaſſe conuiuia ſæcularium, vt eos conuerterent, & à peccatis abſtraherent.

At illi tacuerunt. Quidam tacent dum eis offertur verbum exhortationis ex humilitate & verecundia, & ne alijs, qui minus libenter audiũt, fiant onerosi: alij tacent, timentes ſe repræhendi ſi loquerentur. Nonnulli tacent ex leuitate mentis, magis interim appetentes loqui de trufis mundi, quàm ab vno aliquo audire verbum Dei. Sed vir ſapiens, dummodo non contradicant, diligentiam adhibeat, quomodo hidropicum ante ſe poſitum curet: proferat de virtutibus ſanctorum exemplum humilitatis contra tumorem ſuperbiæ: exemplum paupertatis, quo extinguat ſitim auaritiæ: exemplum caſtitatis, quo pellat fœtorem luxuriæ. Hoc triplici morbo ſuperbia ſcilicet, auaritia, & luxuria maximè laborat genus humanum. Fœtidum anhelitũ habere ſolet hydropicus.

Quomodo curãde hydropiſis.

Ieſus

Appréheſio tria habet.

Ieſus verò apprehenſum eum ſanauit ac dimiſit. Manus apprehendens tria facit: tangit, ſtringit, trahit. Tangere pertinet ad verbũ exhortationis, ſtringere ad ſuffragiũ orationis, trahere ad exemplum & formã religionis. Prædicatio audientis cor tangere debet, vt compungatur, oratio, ſtringere, ne compunctus elabatur; exemplum trahere, vt ad religionem ſequatur. Apprehẽſio in qua tria hęc conueniunt, vtilis eſt: in tabernaculo Domini cortina cortinam trahit, *b* hinc in canticis canticorum ſponſa loquitur ad ſponſum: *c Trahe me poſt te*: Et ſponſus ipſe per Prophetã dicit: *d Traham eos in funiculis Adã: in funiculis charitatis*: facilè ſequitur, qui ſic apprehenditur. Et benè dicitur, *ſanauit ac dimiſit*, quia quem gratia ſanat in mente, hunc dimittit in pace. Medicus ægrum ſanatum dimittere dicitur.

b. Exo. 35. 10.
c. Cãt. 1. 4.
d. Oſeæ 11. 4.

Exempla tractationis vide in vita S. Bern. apud Surium.

Sic Beatus Bernardus quendam Scholaſticum Coloniæ per eſum piſcis conuertit. In Clareualle conſimili virtute cohortem militum per poculũ cereuiſiæ ſanauit: nonne videtur tibi vtroſque prædicto modo tetigiſſe, ſtrinxiſſe, traxiſſe? Etiam efficaciter nimis appræhẽderat eos: Sequitur.

Et reſpondens dixit ad illos: Cuius veſtrum aſinus, aut bos in puteum cadit, & non continuò extrahet eum in die Sabbathi? Ex hac reſponſione Domini colligitur, illos fuiſſe commotos de ſanatione hydropici, & fortè hoc ex quodam indiſcreto zelo, propter diem ſabbathi. Sæpè contingit, vt dum ad admonitionem religioſorum aliqui conuertuntur, eorum cognati & amici turbẽtur, Malent eos ſecum viuere, & ſemper laborare in prædicta hydropiſi, quam per conuerſionem ſanari. Talibus comminatur Dominus dicens: *e Væ vobis Phariſæi hypocritæ, qui clauditis regnum cælorum ante homines*: Et expreſſius in Luca: *f Væ vobis legiſperitis, quia tuliſtis clauem ſcientiæ, ipſi non intraſtis, & eos qui introibant prohibuiſtis*: Quibus verbis Domini reſpondendum eſt: cuius veſtrum aſinus, aut bos, in puteum cadit, &c. Ac ſi dicatur: Si vos non timetis Sabbatho extrahere animal de puteo, quare ego formidem animam eruere de peccatò? Non eſt Deo cura de bobus, ſed de hominibus: Et fit plerumque, vt contra clauſtrales murmurent ſæculares dicentes: Nos propter Deum & honeſtatem ordinis, inuitauimus vos ad hoſpitium noſtrum, & vos turbaſtis ſabbatum noſtrum, id eſt, pacem noſtram, auferẽdo nobis filium, vel fratrem, aut aliquem amicorum noſtrorum. Quibus modeſtè, & rationabiliter reſpondere debent viri religioſi: omni tempore monendus eſt peccator, vt reſurgat, innocens, ne cadat: infirmus, vt conualeſcat.

Sæculares ægrè ferũt conuerti ſuos ad religionem.

e. Mat. 23. 13.
f. Lucæ 11 52.

Et non poterant ei reſpondere. Verbis quę ſunt ſine intellectu, ſilẽtium faciliè à ſapientibus imponitur.

Miles quidam in conuerſione triũ filiorum ſuorum, adeò turbatus eſt, vt cum furore adiret Abbatem Giſelbertum de clauſtro, diceretque ei: vt quid Domine Abbas abſtuliſtis mihi filios meos? non me bene tractaſtis, cui ille tunicam oſtendens, reſpondit cum multa iocunditate: En chare frater, & tibi parata erit hæc tunica, quando venire volueris: ſicque miti-

Exemplũ De côuerſis côquerens conuertitur.

mitigata eſt ira illius. Poſtea verò nouitius defunctus eſt apud nos miles idem, vocabatur Ludolphus.

Miror autem quare Domino improperauerint Phariſæi de curatione in Sabbatho, cum verbo curare nõ ſit o us ſeruile, ſed diuinum? Determinat enim lex opera quædam, quæ fieri non licet in Sabbatho: Aſinum verò vel bouem extrahere de puteo in die ſabbathi; nulli dubium eſt, quin opus ſit ſeruile. Occurrit hic quiddam memoriæ, quod noſtris temporibus in Campania fertur cõtigiſſe.

Sabbatizans in cloaca.

Caſu Iudæus quidam lapſus eſt in cloacã: allati ſunt laquei quibus extraheretur: quod ille ſentiens exclamauit: ſinite hic me iacere, ſabbathum eſt, bene ſuſtinebo vſque in diẽ craſtinum. Delatum eſt verbum ad comitẽ, qui præſens erat, qui ait; Per Deum cœli, ex quo ibi elegit celebrare ſabbathum Dei ſui, etiam ſabbathum Dei mei illic celebrabit. Sicque ſabbatizauit in ſtercoribus illis vſque in quartum diem, & impletum eſt quodammodo ad litteram in eo, quod Dominus dicit per Prophetam Malachiam: *g Ecce ego proijciam vobis brachium: & diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolemnitatum veſtrarum.* Item Amos: *h Aſcendere feci putredinem caſtrorum veſtrorum in nares veſtras, & non rediſtis ad me.*

g. Malac. 2.3.

h. Amos. 4 16.

Dicebat autem & ad inuitatos parabolam: intendens quomodo primos accubitus eligerent. Quantò in ſæculo homines volunt eſſe digniores: tantò ſibi accubitus eligunt honoratiores: quorum ſuperbiam Dominus reprimit: cum dicit: *Cum inuitatus fueris ad nuptias, ne diſcũbas in primo loco.* Parabola hæc non ſolùm tangit ſæculares, imò etiam clauſtrales, quia quod in illis eſt vitium, hoc in iſtis eſt monſtrum. Monſtruoſa res eſt Monachus ſuperbus: Et cum hæc verba Domini ſatis plana ſint ad litteram; dicuntur tamen parabola ob ſpiritualem intelligentiam: oſtenditur nobis in eis quanta ſit, vel quantum Deo placeat virtus veræ humilitatis, & meritò: nam ſicut ſuperbia prima fuit via Apoſtaſiæ, ita humilitas gratiæ.

Quæ ab alijs ſuper hanc parabolã dicta ſunt, repetere neceſſe non eſt. Noua ſemper animũ delectant. *Sponſus* ſignificat Chriſtum, *ſponſa* quemlibet in ordine nouitium. Locus nuptiarum monaſteriũ: chorus triclinium, altare thalamus eſt. Loca accubitus ſunt capitulum, clauſtrum, refectorium. Ad nuptias nos ſponſus inuitat, cum dicit: *i Qui diligit patrem aut matrem plus quam me, non eſt me dignus.* Tempus deſponſationis, tempus eſt conuerſionis: tempus nuptiarum, tempus profeſſionis. Ibi nouitius ſcripto & verbo confirmat, quod prius vouerat.

Nuptiæ ſpirituales.

i. Mat. 10. 37.

Cappa Nouitij, ſicut alibi dixiſſe me recolo, quæ clauſa eſt, & brachia conſtringit, ſignificat pudicitiam, & verecundiam, quam nouitius habere debet, maximè tempore probationis. Et eſt cappa veſtis deſponſationis, ſicuti cuculla traductionis. Cuculla, quæ formam crucis habet, veſtis eſt nuptiarum: decet enim vt vxor Crucifixi triumphum viri ſui repræſentet in veſte ſua, vt dicere poſſit cum Propheta: *Induit me veſtimentis*

Veſtes nuptiales.

mento ſalutis, & ſtola iuſtitiæ circundedit me. Veſtis hæc manicas habet, quia Monachus debet eſſe expeditus in amplexus ſponſi ſui: Ex tunc, ſi Sacerdos eſt, tenetur miſſas celebrare, miniſtrare, legere, & cantare, quod tempore probationis non licuit. In cuculla omnia iſta agenda ſunt; in qua tenemur dormire, & ſepelire, ne dicatur nobis in futuro: k *Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* Quàm periculoſum ſit cucullam abijcere ex contemptu, & mori ſine illa, ſubſequens probat exemplum.

k. Matt. 22. 12.

Exemplū extra habitū mortui.

Ante paucos annos in regno Francorum, in domo quadam Ordinis noſtri, quæ Szere dicitur, ſicut ex multorum relatione didici, contigit quod dicturus ſum. Monachus ibi laborabat in acutis: qui, dum duplici calore torqueretur, infirmitatis ſcilicet, & aeris: rogauit infirmariū quatenus ſibi liceret, cucullam exuere, & induere ſcapulare. Quod cum factum fuiſſet, abſente infirmario exſpirauit: qui reuerſus, non modicum ex hoc turbatus, domum clauſit, ſcapulare extraxit, cuculla indutum, & mattæ ſuppoſitum: tabula conuentum aduocauit.

Reuiuiſcētis.

Qui, cū deportatus fuiſſet in oratorium, media nocte in feretro ſe erigens, cùm circumſedētes aduocaret, excepto Suppriore, omnes fugerunt: cui & ait; Nolite timere, ego ſum frater ille, qui mortuus fui, & ecce viuo: vocate mihi Dominum Abbatem: qui cum adeſſet, cœpit ei ille confiteri, quæ dicta ſunt. Et adiecit: Ductus ſum ab Angelis ad paradisū, & cum putarem me libere poſſe intrare, acceſſit ad oſtium Sanctus Benedictus, & ait: Quis es tu? Reſpondente illo, ego ſum Monachus Ciſtertienſis: ſubiecit ſanctus: nequaquam: Si Monachus es, vbi eſt cuculla tua? hic eſt locus quietis, & tu vis intrare cum habitu laboris, id eſt, ſcapulari? Quid plura? Ad petitionem ſanctorum permiſſus ſum ad corpus redire: vt, ſic habitu à vobis recepto, merear ad præparatam beatitudinem intrare. Quo audito mox Abbas, cucullam quam indutus fuerat extraxit: cucullam, quam infirmitatis neceſſitate ſibi extraxerat, reinduens ei: ſicque accepta benedictione, mox ſpiritū reddidit.

Expulſi à cœlo.

Reueſtiti & ſaluati.

Quid ergo dicturi ſunt in aduentu ſpōſi, qui nunc per apoſtaſiā veſtē reijciunt nuptialem? Puto quia ſine excuſatione mittentur in tenebras exteriores, vbi erit fletus, & ſtridor dētium.

Omnes ad nuptias inuitati ſumus, fratres, & vtinam omnes à Chriſti Spiritu. Inuitat Spiritus Sanctus, inuitat & ſpiritus malignus: ille ad gratiam, iſte ad ruinam. Benè meminiſtis quid Magiſtro Stephano Sanctus Bernardus reſponderit cum veniſſet ad Claramuallem ſub typo conuerſionis. Malignus, inquit, eum ſpiritus adduxit, ſolus reuertetur: Quod ita factum eſt.

Vocati à dæmone ad religionem.

Exemplū.

Quidam etiam veniunt mala intentione, ſed Dei voluntate; malè incipiunt, ſed benè finiunt. De hoc habemus exemplum de quodam Priore eiuſdem Clareuallis, qui tātum venit furti cauſa, & poſtea factus eſt Monachus tam probatæ vitę, vt in eadem domo in Priorem promoueretur.

Quidam veniunt bona intentione,

ſed ſola Dei permiſſione, & licèt aliquando benè, viuant, non tamen be-
l. Pſ.35.7. nè finiunt: l hinc Dauid dicit Deo: *Iudicia tua abyſſus multa.*

Quod verò dicit: *Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco.* Diligentius notare debemus. Quidam ſunt tam elatæ mentis, vel potius tã ſtultæ ſimplicitatis, vt, ſi fortè vocati fuerint à prælatis ad conſilia, ſiue ad alia quælibet negotia: aſcendant ad ſedes ſuperiores, & ſinant ſeniores ſedere in inferioribus. Talibus ſæpe dicitur: Surgite date locum prioribus atque ſenioribus veſtris.

Et tunc cũ rubore incipiunt tenere nouiſſimũ locum. Vnde Iſidorus dicit: *Deſcende, vt aſcendas, humiliare vt exalteris, ne exaltatus humilieris.* Alias à Monachis propria loca ſecundum ingreſſum tenenda ſunt: hoc eſt, in clauſtri ſedibus, ad collationem, in capitulo, ad confeſſionem, in refectorio, ad refectionem. Myſticè in primo loco aſcendit, qui ad dignitates aſpirat, vel qui de h bitis extollitur, vel qui callidè procurat vt ad illas eligatur. Tales ſæpe Deo ordinante, vt indigni, dignè deponuntur, & alij eis tantò digniores, quantò humiliores ſupponũtur. *Et tunc cum rubore*, id eſt, magna cordis confuſione incipiunt tenere nouiſſimum locum. De talibus in Cantico ſuo loquitur mater humilitatis:
m. Lucæ 1. m *Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.* Et Salomon: *Superbum ſequitur humilitas, & humilem ſpiritũ ſuſcipiet gloria.* Vnde, fratres chariſſimi, in nouiſſimo loco ſemper ſedere ſtudeamus, & ſi non corpore, mente tamen, vt in aduentu ſponſi aſcendere mereamur, Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui viuit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

DOMINICA DECIMANONA POST PENTECOSTEN.

SECVNDVM Matth.

CAP. XXII.

IN illo tempore conuenerunt Phariſæi in vnum, & interrogauit Ieſum vnus ex eis legis doctor tentans eum. Magiſter, quod eſt mandatum magnum in lege?* Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo XXIII

INter Scribas & Phariſæos quæſtio fuit de ſacrificijs & dilectione, & defendit vnaquæque pars opinionẽ ſuam. Ex quibus alij hoſtias & ſacrificia laudabant, alij verò dilectionẽ, per quam patres antiquos Deo ante ritum ſacrificiorum placuiſſe nouerant, præferebant. (Occaſio quæſtionis Phariſaicæ.) Audientes autem Phariſæi eximiam Saluatoris doctrinã; & quod non didiciſſet litteras ab homine, cõuenerunt in vnũ, & interrogauit eũ vnus ex eis legis doctor tentãs eum: *Magiſter: quod eſt mãdatum magnum in lege?* hoc ideò factũ arbitror, vt, ſi malè reſponderet, quaſi legis ignarum irrideret, ſi autem bene, quæſtionis ſolutionem addiſceret: cuius intentionem Dominus nõ ignorans, reſpõdit quòd verum fuit, & quòd libenter audiuit, *ait illi: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*

corde tuo, & ex tota anima tua, & in tota mente tua. hoc eſt maximum, & primum mandatum. Non ergo intelligamus hoc mandatū primū eſſe ordine in Decalogo: quia nuſquam ibi continetur, ſed maximum & primum eſſe in Pētateucho, qui lex vocatur. Maximum vtilitate, auctoritate, virtute, & primum non ordine, ſed dignitate. *Secundum autem ſimile eſt huic. Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet & Prophetæ.*

Marcus plenius deſcribit hunc locum, necnon & cauſam interrogationis. a *Et acceſſit*, inquit, *vnus de Scribis, qui audierat eos conquerentes: Saducæos ſcilicet quibus probauit reſurrectionem mortuorum, & videns, quia benigne eis reſponderat, interrogauit eum quod primum omnium eſſet mandatum. reſpondit ei quia primum eſt omnium mandatum: Audi Iſrael: Dominus Deus tuus vnus eſt. Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Secundū autem ſimile eſt illi: Diliges proximum tuum tanquam teipſum. Maius horum mādatū aliud nō eſt. Et ait illi Scriba: Bene Magiſter in veritate dixiſti, quia vnus eſt Deus, & non alius præter eum: & vt diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine, & diligere proximum tanquam ſeipſum, maius eſt omnibus holocauſtomatibus & ſacrificijs.* Hic oſtendit ſe eſſe in opinione illorum, qui dilectionem ſacrificijs anteponebant.

a Marc. 12. 28.

Diligendus eſt Deus ex toto corde, id eſt, intellectu, ex tota anima, id eſt, tota voluntate, & in tota mente, id eſt, fortiter. Primum refertur ad Filium, ſecūdum ad Spiritum ſanctum, tertium ad Patrem. Vel tribus iſtis modis diligendus eſt Deus propter tres vires animæ, quæ ſunt, rationalitas, concupiſcibilitas, iraſcibilitas. Diligendus eſt Deus ex toto corde, id eſt, rationabiliter, vt nihil eius amori præponatur, & ex tota anima, id eſt, concupiſcibiliter: vt, quicquid virtutis eſt, appetatur; & in tota mente, hoc eſt, iraſcibiliter, vt, quod vitioſum eſt, cum fuga puniatur.

Tres modi aut gradus dilectionis.

Diligendus eſt proximus: quomodo? ſicut Deus præcepit, id eſt, ſicut teipſum, hoc eſt, ad quod teipſū, vt ſcilicet vitam, quam tibi cupis, & illi cupias, & in quantum vales, vt illam habeat, & ad illam perueniat, operam impendas. Sicut dicit Apoſtolus in epiſtola ad Galatas: b *Omnis lex in vno ſermone completur, diliges proximum ſicut teipſum*: c *Qui enim fratrem ſuum diligit*, vt ait Ioannes, *in lumine vadit, & ſcandalum in eo non eſt*. Qui enim proximum diligit, in tantum diligat, vt animam ſuam, ſi neceſſe fuerit, pro eo in periculis exponat: hæc eſt dilectio vera, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Homini Chriſtiano quantum ad affectum charitatis, omnis homo debet eſſe amicus. Notate quid Paulus dicat: d *Optabam anathema fieri à Chriſto pro fratribus meis.* O vera & perfecta charitas. Hanc charitatem à Chriſto habuit, hāc Chriſtus docuit, per exemplum oſtendit. Non docet charitas, quòd à Chriſto bonū ſit ſeparari:

De charitate proximi.

b. Gala. 5. 10.

c. 1. Ioan. 4.

d. Rom. 9. 3.

parari: ſed quantus ſit eius affectus, oſtenditur, cum optare facit etiā impoſſibilia. Charitas Chriſti eſt, & Chriſti dicitur, vt habentis, vt mandantis, vt conferentis: vnde & ipſa poſtulanda eſt ab ipſo.

Quanta verò ſit virtus & dignitas charitatis, declaratur ex eo quod Dominus dicit: *In his duobus præceptis*, id eſt, in dilectione Dei, & dilectione proximi, *vniuerſa lex pendet & prophetæ*. Si res ſuſtentans ſublata fuerit, neceſſe eſt, vt, quod appenſum eſt, cadat: ſic ſubmota charitate de corde, totum cadit à merito, etiamſi homo fecerit omnia quæ ſcripta ſunt in lege & Prophetis. Cadūt ſpiritualia; vt virtutes, cadūt & corporalia, vt opera virtutum.

Inſeram & huic loco pro exemplo, quod anno præterito retulit nobis Epiſcopus Liuoniæ de rege Daciæ, qui hodie in vinculis detinetur. Iſte, inquit, Rex tria ſibi vſurpauerat regna: videlicet Daciæ, partem Romani imperij, & Liuoniam. Regnum Daciæ iure hæreditario, terram imperij iure bellorum: Liuoniam odio Teutonicorum. Fuerat enim ſanguine peregrinorum Teutonicorum à iugo infidelitatis liberata, & Beatæ Dei Genitrici dedicata: nam vſque hodie vocatur terra Beatæ Virginis. Nocte quadam cum idem rex adhuc in gloria ſua ſtaret, vidit aliquis Monachorum prædicti Epiſcopi Beatam Virginem, & regem in loco vno, & coram eis tria ligna, quorum poſitio talis erat, vt in ſuperiori parte duo fulcirentur ab vno: & dixit ad Regem Virgo glorioſa: Benè vides ſi hoc vnum lignum ſubtractum fuerit, cadent & alia duo: Reſpondēte rege, verum eſt, lignum vnum ſubtrahitur, & ecce alia duo mox ruerunt. Monachus verò intelligens viſionem; manè retulit eam fratribus, dicens: quia citius cadet ab omni ſua poteſtate rex iſte, propter iniuriam, quam irrogauit Dei genitrici. Lignū ſuſtentans intelligens terram Liuoniæ, ligna verò ex eo pendentia, regnum Daciæ, atque Teutoniæ. Non multo poſt captus à Comite Henrico, ab vtroque ruit regno: ita enim Teutonicorum in Liuonia dominatui inuidebat, vt diceret, ſe malle regnare in ea Paganos, quàm illos. Ergò neceſſe erat, vt rueret, quem charitas non ſuſtentabat. Igitur cum vniuerſa lex & Prophetæ pendeant in dilectione Dei & proximi, certum eſt, quia legē implemus, ſi diligimus.

Liuonia Teutonicorum eſt terra B. Mariæ.

Eius inuaſorem punit B. V. Maria.

Iudæi verò quia charitatē non habēt, præuaricatores legis ſunt: vnde eis dicitur: *Præuaricatores redite ad cor.*

Diſputatio Cæſarij cum Iudæo.

Cum nuper cum quodam Iudæo de his conferrē, cœpit ille mihi opponere ſic: Seruatis legem Moyſen, vel non? cui cum reſponderem, ſeruamus, quod in ea ſeruandum eſt, ſubiunxit: ſeruatis legem Ieſu necne? Reſpondi, etiam ſeruamus. Tunc ille: Ergo Iudæi eſtis, & Chriſtiani: ergo duos Deos adoratis, ergo duas leges ſeruatis. Cui de ſingulis reſpondendum eſt: Audi inquam ô Iudæe: nos non ſumus Iudæi charactere circumciſionis, ſed virtute confeſſionis: nos confitemur Trinum & Vnū, Trinum in perſonis, vnum in ſubſtantia Deitatis: Nos non adoramus duos Deos, ſed vnū, quia ſcriptum eſt, *Audi Iſrael, e Dominus Deus tuus vnus eſt.* nos non adoramus Deum nouum, ſed æternum, quia rurſum Scriptura dicit: *f Non erit in te Deus recens.*

e. Deut. 6.

34.

ne-

Lex Moſaica quatenus ſeruetur à Chriſtianis.

neque adorabis Deum alienum. Nos Chriſtiani non adoramus Deũ alienum, ſed in lege promiſſum. Tria enim cõtinebat lex: cerimonialia, moralia, promiſſa, Cerimonialia in aduentu Chriſti ceciderunt, moralia confirmata ſunt: promiſſa adimpleta: Chriſtus enim non venit ſoluere legem, ſed adimplere: cumque Iudæus inſtaret, arguens nos de tranſgreſſione legis, reſpõdi, quod eadem hora Deus inſpirauit, quòd nunquam antea audieram: nam plures ſacerdores erant præſentes. Audi, inquam, ô Iudæe, audi: Nos de lege, vt dixi, ſeruamus quod ſeruandum eſt, moralia ſcilicet, & non cerimonialia, vt ſunt ſacrificia, oblationes, Neomeniæ, & circũciſio. Scrutare ſi aliquid horum reperias in tabulis legis: non ibi ſunt ſcripta, quia non erant perpetuanda. Scripta ſunt tamen manu Moyſis atramẽto in biblis, ſiue pellibus, & hoc ipſum propter ſignificationem, eo quòd tantum durare haberent, donec veritas appareret. Moralia verò, quæ & nos ſeruamus, in ſignum æternum, ſcripta ſunt digito Dei in tabulis lapideis.

Sabbathũ ſanctificare quid ſit.

Quòd ſi tu ô Iudæe, nos arguis de tranſgreſſione ſabbathi, quod tertiũ præceptum eſt in lege, noueris eius obſeruationem in decalogo Deum non præcepiſſe: ita ibi ſcriptum eſt: *Memento vt diem ſabbathi ſanctifices.* Ecce, non dicit tibi Deus obſerues, ſed *ſanctifices*, id eſt, ſanctè & ſpiritualiter ſabbatizes, quod nos Chriſtiani facimus. Sabbathum ſanctificare, eſt ab opere ſeruili, id eſt, peccato quieſcere. Educens Dominus Deus Iſrael, quem elegerat ſibi in populum de ſeruitute Aegypti, volens ei parcere, decem ei tantùm præcepta dedit, quæ in ſignum perpetuitatis & amicitiæ proprio digito in duabus tabulis ſcripſit, ſed quia in ipſa legis datione nimiam illius attendit ingratitudinem, in adoratione vituli conflatilis: vtpote populo duræ ceruicis, tanta adiecit præcepta, vt trecenta triginta tria computentur: Iudæi verò multò plura dicunt eſſe fortè præcepta Moyſi connumerantes.

Præcepta Iudaica 333.

Ecce hoc eſt iugum, onus ſcilicet præceptorum, de quo dicit Apoſtolus Petrus, cum quidã de hæreſi Phariſæorum, qui crediderunt, vellent Credentes Iudaiſare: *g Quod*, inquit, *tentatio Deum imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum quod neque nos, neque Patres noſtri, portare potuimus.*

g. Act. 15. 10.

In duabus ſiquidem tabulis lex ſcripta eſt propter duo præcepta charitatis, in quibus pendet vniuerſa lex: In prima tria poſita ſunt, quæ ſpecialiter pertinent ad dilectionem Dei. Nõ habebis Deos alienos, pertinet ad Patrem, quem nemo vidit vmquam. Non aſſumes nomen Dei tui in vanum, ad Filium, qui nomen eſt Patris. Memento vt diem ſabbati ſanctifices; ad Spiritum ſanctum, qui eſt requies noſtra.

Præcepta primæ tabulę de dilectione Dei.

Secunda tabula continebat ſeptẽ præcepta, quæ ad dilectionem pertinent proximi. Honorare patrem & matrẽ, non occidere, non mœchari, non furari: vel ſi quod eſt aliud mãdatum, inſtauratur in hoc verbo, diliges proximum tuum ſicut teipſum. Ecce, quantum Dominus dedit, oſtẽdimus, quod in duobus mãdatis charitatis vniuerſa lex pendet & Prophetæ. Quod de lege dictum eſt, hoc & de Prophetis intelligatur.

Secundæ, de dilectione proximi.

Con-

Congregatis autem Phariſæis cũ Saluator vni reſpondendo quæſtioné eorum ſoluiſſet,&tempore verſa vice quæſtionem faciens,interrogauit eos dicens: *Quid vobis videtur de Chriſto, cuius Filius eſt? dicunt ei; Dauid.* Dominus hic de ſe quaſi de alio interrogat: ſed vtrum illi de eius perſona,vel Antichriſti, quem futurum Meſſiam expectabant, intellexerint,non mihi conſtat. Omnibus enim,qui Prophetias nouerant, luce clarius conſtabat, Chriſtum naſciturum eſſe de ſemine Dauid. Qui verò Ieſum credebant Chriſtum,filiũ Dauid,illum nominare conſueuerát:vnde cùm aſello reſidens iret in Hieru-
h. Marc.11 ſalem *h turba quæ præcedebant, &*
9. *quæ ſequebantur, clamabant: dicentes: O ſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini.* Et cæcus
i. Marc.10 ille Ierichontinus: *i Ieſu fili Dauid*
47. *miſerere mei.* Idem legitur in eius
k. Matt.15 laude clamaſſe mulier Chananæa, k quæ Gentilis erat,rogãs pro filia ſua: volens autem Dominus audire quid legiſperiti ſentirent de perſona Chriſti, interrogatione præmiſſa ſtatim eis argumentum formauit dicens: *Quomodo Dauid in Spiritu vocat eum Dominum, dicens: dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum: Si ergo vocat eum Dominum, quomodo filius eius eſt?* Non enim ſolent patres filios appellare Dominos, ſed filij Patres: *Et nemo poterat reſpondere verbum, neque auſus fuit quiſquam ex illa die amplius eum interrogare.* Non benè ſciebant argumentari, quibus tã citò poterat concludi: multo melius beatus Petrus, qui non legiſperitus, ſed piſcator & idiota fuerat, ad ſimilem quæſtionem reſpondebat: cumque Dominus diſcipulos interrogaſſet quem ſe homines eſſe dicerent, illique diuerſorum opinionem expoſuiſſent dicit illis: *Vos autem quem me eſſe dicitis? reſpondens autem Simon Petrus* pro omnibus dixit: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Vnde tanta ſcientia illiterato? vtique ex fide: vnde ei mox dicitur: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt.* Et nos cum Petro quæſtionem Phariſæis propoſitam intelligimus, & ideò intelligimus, quia credimus. Duas in Chriſti perſona credimus naturas, diuinã & humanã: ſecundũ diuinam Dominus eſt Dauidis, ſecundùm humanam, filius Dauidis: vnde
Apoſtolus: *m Qui factus eſt ei pater,* m. Ro.1.
ſcilicet ex ſemine Dauid *ſecundum*
carnem: Ipſi Dauid dictum eſt: *n De* n. Pſ. 131.
fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam: Hinc Mariæ dicitur ab Angelo:
o Et dabit illi Dominus Deus ſedem o. Luc.1.
Dauid patris eius. Quod autem ab æterno genitus ſit à Patre, audi vocem
eius in Pſalm. *p Dominus dixit ad me,* p. Pſal.2.
Filius meus es tu: ego hodie genui te.

Vnde fratres, quia Dominus eſt, & filius Dauid; diligamus eum, vt Deum: diligamus vt proximum. Ex vtroque ei tenemur. Per naturam diuinitatis nos creauit, per naturã humanitatis nos redemit: vnde illum diligere tenemur ex toto corde, & ex tota anima, & in tota mente, & non
ſicut nos, ſed ſupra nos: *q quia ipſe* q. Pſ.99.
eſt qui fecit nos: vt ſic per charitatem viæ ad charitatem patriæ, in qua eum cognoſcemus plenè, & fruemur ſine

ſine;

fine; feliciter peruenire mereamur; ipſo præſtante, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

DOMINICA VIGESIMA POST PENTECOSTEN SECVNdum Matth.

CAP. IX.

IN illo tempore, Aſcendens Ieſus in nauiculam transfretauit & venit in ciuitatem ſuam: Et ecce offerunt ei paralyticum iacentem in lecto: Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo XXIIII. VErba Euangelica ſic diuinitus ſunt ſcripta, vt nihil ex eis ſit ſuperfluum, nihil à ſacramento vacuum. Quod verò Matthæus tam diligenter dicit, eum aſcendiſſe in nauiculam, ſicque transfretaſſe: nec tamen dicit, in quam venerit ciuitatem, cùm hoc magis videatur neceſſarium fuiſſe, quàm illud: myſterij causâ factum arbitror: vtrumque enim neceſſarium fuit, & nomen ignorare ciuitatis, & ſtatum atque modum ſcire nauigationis.

Crux eſt nauis. *Aſcendens Ieſus in nauiculam. Nauicula*, quæ formam crucis in fluctibus figurat, ipſam crucem Dominicam, quam tempore paſſionis aſcendit, deſignat. In qua *transfretauit*: quando in ea pendens atque moriẽs, perſecutiones & blaſphemias Iudæorum per patientiam ſuperauit, & dæmones illorum incentores inuiſibili virtute debellauit. *Fretum* ſignificat præſens ſæculum, in quo amaritudo eſt curarum, & fremitus perſecutionum. Cum fremit, eſſe fretum: mare dicas, quod ſit amarum: non tantùm ab hora ſexta vſque in horã nonam, in qua ſpiritum emiſit in hoc freto fuit, ſed penè ab ipſo tempore natiuitatis vſque in horam mortis in eo nauigauit. Perſecutus eſt eum Herodes adhuc in cunis vagientem, deinde Pontifices cum Scribis & Phariſæis in populis prædicantem, ex quorum vocibus tantus excitatus eſt fremitus, vt Dauid quaſi cauſam admirans clamaret: *a Quare fremuerunt gentes & populi meditati ſunt inania? Aſtiterũt reges terræ & principes cõuenerunt in vnum, aduerſus Dominũ & aduerſus Chriſtum eius.* a. Pſal. 2. Vnde & ipſe Dominus in freto nauigans dicit: *b Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.* b. Pſ. 87. 8. Quid aliud dixerim voces Iudæorum ante crucem, Chriſtũ ſubſannantium, & cum irriſione clamantium, niſi fremitus fluctuum collidentium? Qui tamen potenter trãsfretauit, cum ſpiritum in manus Patris commendans omnia tentamentorum genera ſuperauit: vox litus comprehendentis eſt: *c Cõfidite quia ego vici mundum.* c. Ioan. 16. 33.

Transfretauit, & venit in ciuitatẽ ſuam: Ciuitas Ieſu ad litteram, Nazareth, vel quælibet ciuitas Galilææ, dici poteſt: ſicut à Nazareth Nazarenus, ita à Galilæa dictus eſt Galilæus.

Tres ciuitates Chriſti. Tres tunc temporis ciuitates Ieſus habuit, id eſt conuentus electorum: primam in cœlo, mediam in mundo, tertiam in inferno. Licet *in inferno nulla ſit redemptio*, ſæpè tamen ponitur, *e* pro ſinu Abrahæ: Ecce tres e. Luc. 16. 22.

 ciui-

ciuitates refugij, quas Dominus diſtinxit Moyſi: In cœlo ciuitas eius, multitudo Angelorum, in mundo ſenatus Apoſtolorum, apud inferos animæ electorum. In hanc ciuitatem venit in ipſa die paſſionis, in mediam in die reſurrectionis, in ſupremam die quadrageſimo per gloriam aſcẽſionis. Veniens ad infernum ſecundum animam Dominus cum multitudine Angelorum ſibi obſequentium, cum eius aduentum per lucem præcedentem (ſicut legitur in Paſſione ſecundùm Nicodemum) Sancti, qui ibidem erant, perſentirent & ſinguli de ipſo, quæ in terris prophetauerant cum multa iucunditate replicarent, facta eſt deſuper vox dicens: *f Tollite portas principes veſtras & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.* Ad quam vocem cum tartarus turbatus reſponderet, *quis eſt iſte rex gloriæ?* ait Dauid: Ego nunc, quia ſupra dixi: iterum dico, *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio: Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ.* Portis infernalibus ad hoc verbum cõfractis, ingreſſus Ieſus in claritate maxima venit in ciuitatem ſuam, & impletum eſt illud Iſaiæ: *g populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: Sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis.* Ipſi enim erant Galilæi, quia de mundo tranſmigrationem fecerant in locum illum Redemptoris ſui, illic præſtolantes aduentum.

N B. Cenſetur apocrypha: eſt tamen pia meditatio.

f. Pſ. 23. 7.

g. Matt. 4. 16.

Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Non alium attendo paralyticum in ciuitate illa iuſtorum, niſi ipſum corpus electorum: quæ paralyſim contraxerat in vtroque homine ex culpa originali: moriendi neceſſitatem in corpore & in anima mortis æternæ. Paralyſis eſt diſſolutio membrorum. 1. Si non peccaſſet Adam, neque ipſe, neque eius poſteritas per mortem fuiſſent diſſoluti, ſed de paradiſo ad locum & ſtatum meliorem tranſlati. 2. In electis vero paralyſis interior per fidem & charitatem atque opera bona in hoc mundo fuerat ſanata, quo ad culpam, ſed non niſi per Chriſti ſanguinem expiari poterat, quantum ad pœnam. 3. In quibuſdam etiam in corpore ſanata eſt, qui Chriſto reſurgente ſurrexerunt; in membris diſſolutis maximam reperientes agilitatem. 4. Alij verò, ſicut & nos, ſanati ſunt in ſpe? Quid enim dixerim detentionem illarum ſanctarum animarum apud inferos, niſi quandam paralyſim? Cùm enim eſſent magnę agilitatis, non tamen inde poterant nec licuit egredi, niſi Chriſti ſanguine prius peruncti atque ſanati. Vnde Zacharias: *h Tu in ſanguine teſtamenti eduxiſti captiuos tuos de lacu, in quo non erat aqua.*

Paralyſis eſt mortalitas humana.

h. Zac. 9. 11.

Oblatus eſt idem paralyticus in lecto. *Lectus* ſignificat requiem illam electorum, quæ & ſinus Abrahæ dicta eſt, in qua quieſcendo requiem æternam per illam deſignatam, in qua nunc ſunt, feliciter expectabant.

Et videns Ieſus fidem illorum, dixit paralytico: Fili remittuntur tibi peccata tua. Peccata hic ponuntur pro pœna peccati originalis, quæ per Chriſtum, vt diximus, dimiſſa eſt, id eſt, ſanata. *Videns,* inquit, *Ieſus fidem.* Quorum? Si dixero ſanctorum Angelo-

gelorum, qui Deum & Dominũ ſuum ad conſratrum eductionem comitabantur, videtur ſtare non poſſe: eo quòd non ambulẽt in fide, ſed in ſpecie poſiti Deum facie ad faciem videant, niſi fortè fidem illorum deuotionem intelligamus: quantum tunc habuerint gaudij filij illius ſplendoris & olei, ab humana lingua fari nõ poſſe: vnde melius dicimus ipſas electorum animas, quæ ſe ſingulæ Saluatori offerebant fide propria, necnon & ipſius Christi gratia ſanitatem illam obtinuiſſe.

Et ecce quidam de Scribis dicebant intra ſe: hic blaſphemat. Blaſphemia eſt, quando id, quod Dei eſt, homo ſibi aſcribit: Qualiter Deus peccata dimittat; qualiter homo, alibi plenius diſtinxiſſe me recolo. Scribas, ſecundum præcedentem expoſitionem, hic dæmones intelligo, quorum inſtinctu Scribarum cõſilio Christus occiſus eſt: quibus & ipſe dicit: vos ex Patre diabolo eſtis: bene autem dæmones ſcribas diximus eo quòd peccata noſtra ſcribant, memoriæ tenacius illa imprimendo, vt nos propter illa accuſent in iudicio. Vnde *i* legitur in vita S. Martini dæmon, vidente Brictiõ, exceſſus populi orantis ſcripſiſſe in Eccleſia. Et bene additũ eſt, *intra ſe*; hoc eſt, in corde, quia cum dæmones ſpiritus ſint, voce loqui non poſſunt, niſi extrinſecus in aliquo ſubiecto formetur: quòd verò non omnes, ſed quidam Domino blaſphemias imponebant, ad diſputationem Sathanæ cum inferno pertinet, ſicut ex ſupradicta paſſione Nicodemi colligitur: Licet enim eadem ſcriptura non ſit autentica, non tamen continet fidei noſtræ contraria, Vox Sathanæ fuit, cum videret animam Ieſu apud inferos potentialiter agentem. Quis eſt iſte Ieſus, qui per verbum ſuum mortuos à me traxit ſine precibus? cui infernus reſpõdit, multa illi improperãs, dixitque ad Ieſum: quis es tu, qui eos, qui originali peccato aſtricti detinentur, abſoluis captiuos, & in libertatem priſtinam reuocas? quibus congruit, quod ſequitur.

Dæmones ſunt ſcribæ.

i. Apud Surium tom. 6.

Spolianti lymbum contradicunt dæmones.

Vt ſciatis autem quòd filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: tolle lectum tuum & vade in domum tuam. Dimiſſa pœna peccati originalis ſublatus eſt lectus, quia electis cum Ieſu egredientibus, Abrahæ ſinus, id eſt, locus ille requietionis eſt deletus. Electorum domus patria cœleſtis eſt, de qua Dauid dicit in Pſalmo: *k Beati qui habitant in domo tua, in ſecula ſeculorum laudabũt te.* Et Saluator in Euangelio: *l In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Domus hæc per Adam perdita, pretio ſanguinis Christi electis eſt redonata: in quorum perſona dicit Dauid: *m In domum Domini lætantes ibimus.*

k. Pſ. 83. 5.

l. Ioã. 14. 2.

m. Pſa. 121

Quod autem permiſſum eſt, *cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum, dixit: vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris? quid eſt facilius dicere dimittuntur tibi peccata, an dicere, ſurge & ambula.* Id ad hoc ſpectat, vt peccati dimiſſionem intelligamus penè euaſionem.

Sequitur: *Et ſurrexit & abijt in domũ ſuam.* In quibuſdã mẽbris ſuis reſurgẽte Christo, Eccleſia illa electorum, in vtroq; homine ſurrexit: ſicut ſcriptũ eſt: *n Et multa,* inquit, *corpora* *ſan-*

n. *Mat.* 27 52.

ſanctorum, qui dormierāt, ſurrexerūt, & exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt in ſanctā ciuitatem & apparuerunt multis. Hi Chriſto aſcendente cum cæteris ſanctis animabus aſcendiſſe creduntur in domum æternitatis ſuæ.

Videntes autem turbæ timuerunt & glorificauerunt Deum, qui dedit poteſtatem talē hominibus: Turbas eſſe puto choros Angelicos, qui viſa electorum liberatione tam potenti, timuerunt vſu reuerentiæ Deum Patrem glorificantes, qui dedit talem ac tantam poteſtatem filio hominis, vt & portas inferi confringeret, & ſuos in ſe electos poſſet liberare. Reſurgens verò ab inferis Dominus Chriſtus, venit in ciuitatem ſuam, id eſt, diſcipulorum congregationem,
o. Luc. 24. 36. Ioã. 20. 21. quibus & dixit: *o Pax vobis: Ego ſum: nolite timere:* In quibus & paralyſim inuenit, quàm ſtatim curauit. Quid dixerim paralyſim eorum, niſi crudelitatis defectum? Ita ſcri-
p. Luc. 24. 37. ptum eſt: *p Conturbati verò, & conterriti diſcipuli, æſtimabant ſe ſpiritū videre:* Quibus cum manus & pedes oſtendiſſet, adhuc præ gaudio & admiratione *non credentibus, inſufflauit eis & dixit: Accipite Spiritū Sanctum:* ſicque ſanati ſunt.

Poſſumus tamen melius paralyticum iſtum intelligere Thomam: qui cæteris credentibus adhuc credere recuſauit, qui poſt octo dies quaſi in lecto incredulitatis ſuæ Saluatori oblatus, ſignis paſſionis eius viſis tam plenè ſanatus eſt, vt dice-
q. Ibidem. ret: *q Deus meus & Dominus meus.* Si non fuiſſent Apoſtoli ciuitas Galilææ, non eis dictum eſſet in Chriſti
r. Act. 1. 11. aſcenſione: *r Viri Galilæi, quid admiramini aſpicientes in cœlum?* Aſcendens verò in cœlum Dominus ciuitatem introduxit in ciuitatem, ex duabus faciens vnam. Poſt extremum verò iudicium, quando omnibus electis dicturus eſt: *ſ venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi:* addetur ciuitas tertia: & *erit vnus Deus & vnus populus.* Quo nos perducere dignetur ipſe Dominus noſter, Ieſus Chriſtus: qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat per æterna ſæcula ſæculorum. Amen. ſ. Mat. 25. 34.

HOMILIA MORALIS DE eadem lectione.

*A*Scendens Ieſus in nauiculam *tranſfretauit, & venit in ciuitatem ſuam.* Et reliqua.

NAuem, dictū eſt ſuperius, crucem ſignare Dominicam: Tribus enim modis crux aſcenditur, videlicet in ſanguinis effuſione, in proximi compaſſione, in carnis maceratione. Quælibet harum aſcenſionum ſaluberrima eſt, dummodo propter Chriſtum fiat, & aſcendens in cruce cum Chriſto perſeueret: quia in hac expoſitione Moraliter loqui propoſuimus, etiam crucem moralem, eò quòd plures ſignificationes habeat, diſtinguere debemus: eſt enim crux voti, virtutis, virginitatis, caſtitatis, continentiæ, humilitatis, & patientiæ, veritatis, & perſeuerantiæ. Serm. XXV. Triplex aſcenſionis crucis.

In cruce duo concurrunt ligna: vnum ex trāſuērſo poſitum, quod breuius eſt, & alterum in directū, quod lōgius eſt: breuius verò, in quo Chri- Crux ſpiritualis.

ſtus

ſtus manus extendit, ſignificat in ad-
uerſis tollerantiã, aliud autẽ, in quo
corpus eius erectũ eſt, finalem in ad-
uerſis & duris perſeuerantiam. Qui
a.Galat.5. verò *a carnem ſuam cum vitijs & cõ-*
24. *cupiſcentijs crucifigit*, crucẽ aſcẽdit.

Crux religioſa
Itẽ qui ſe clauſtralis vitæ propter
Ieſum conſtringit voto, crucẽ aſcen-
dit, & Ieſus in eo: cum verò gratia
voti explendi ſe præparat, quaſi per
nauem crucis fretum intrat, & fit nõ-
nũquam, vt mox ei mare vertatur in
fretum, vt, quẽ prius amaricabat cõ-
ſcientia peccatorum, ex tunc vehe-
mentius flante ſpiritu maligno, ſen-
tire incipiat diuerſarũ procellas ten-
tationum. Timet de Ordinis tollerã-
tia, diffidit de perſeuerantia: inſur-
gunt contra eum graues fluctus, diſ-
ſuadentes amici atque cognati: fre-
munt cõtra illum dæmones inimici.

Crucis deſertores.
Et fit plerũque, vt omnibus his cõ-
ſideratis, conſcientiã ex omni parte
turbatã, à propoſito quis reſiliat, &
de cruce voti pedes affectuum retra-
hẽdo, ad litus vitæ ſæcularis redeat.
Huic congruit quod Dauid cecinit in
b.Pſa.113. Pſalmo; *b mare vidit & fugit.* Item
c.Pſ.eodẽ. quaſi conuerſus ad illum, iterũ dicit:
*c Quid eſt tibi mare, quod fugiſti, &
tu Iordanis, quia cõuerſus es retrorsũ?*
Et bene apoſtatam ſpiritualiter vo-
cat mare, quia ſæpiſſimè efficitur
magis ſæcularis, quàm ante.

Alij econtra in voto ſunt tam cõ-
ſtantes, in voti executione tam fer-
uentes, vt ſpretis tentationibus vni-
uerſis, Ieſum in ſuo pectore vehẽdo,
eius gratia feliciter transfretent, &
in ciuitatem Galileæ, id eſt, conuer-
ſionis locũ perueniant: in quo ſi diſ-
ciplina viguerit, & charitas fuerit,
meritò Nazareth, quæ interpręatur
flos, vel virgultum eius, dici poterit.

Conuẽtus ciuitas eſt.
Conuentus religioſorum ciuitas
eſt propter charitatem cohabitantiũ:
Galileæ, ob conuerſionis meritum.
Galilæa enim interpræatur trãſmi-
gratio facta. Qui in monaſterio iam
fecerunt tranſmigrationem de vitijs
ad virtutes, ſiue de virtute in virtu-
tem, habitum etiam & locum in me-
lius mutãdo: meritò viri Galilæi vo-
candi ſunt: ſicut eſt ciuitas bonorum,
de qua nunc loquimur, ita & ciuitas
eſt malorum. De hac dicit Dominus
in Oſea: *d Ego Dominus, & non mu-*
tor, & ciuitatem non ingredior. Non d.Oſeæ.11.
enim delectatur Dominus in cõgre- 9.
gationem malorum. Vnde religioſis
ſic cohabitare expedit, vt Ieſus vir-
tutibus & concordia eorum delecta-
tus per gratiam ſalutarem & iugem
conſolationem, ad eos venire, eiſque
cohabitare dignetur.

*Et ecce offerebãt ei paralyticum ia-
centem in lecto.* Medico ſemper offe-
rendus eſt infirmus. Paralyticus iſte
ſignare poteſt quemlibet in corpore
congregationis acedioſum: qui, quia
omnibus oneroſus eſt, Ieſu Chriſto
ab omnibus per orationes offerẽdus
eſt. Nulla infirmitas magis congrue-
re videtur vitio acediæ, quàm para-
lyſis. 1. Nã ſicut paralyſis, id eſt, diſ-
ſolutio membrorum hominem inu-
tilem reddit ad operandum, ita ace-
dia religioſum ad Deo ſeruiendum.
2. Sicut paralyſis corporalis eſſe po-
teſt in ſingulis membris, ita & ſpiri-
tualis. 3. Qui inuitus audit verbum
Dei: paralyticus eſt in auribus. Qui
inuitus loquitur ædificatoria, para-
lyticus eſt in lingua. Qui inuitus le-
git ſacra volumina, vel infirmos vi-
ſitat, inuitus in oculis eius eſt para-
lyſis, id eſt, diſſolutio. Qui verò inui-
tus vel tepidè Deo inclinat, vel præ-

Acedioſus eſt paralyticus.

 lato

lato paralyticus eſt in collo. Qui inuitus onera leuat, vel alios ſupportat, paralyticus eſt in dorſo, & in humeris. Qui inuitus laborat, paralyticus eſt in manibus ſuis. Qui inuitus ambulat ad oratorium, ſiue ad alienũ imperiũ, paralyticus eſt in pedibus. Qui inuitus ſurgit de lecto, quando ſigna pulſantur matutinalia, paralyticus eſt in lateribus. Sic in quocumque membro homo magis apparuerit vitioſus; in illo eſt paralyticus.

Exoſus Deo eſt acedioſus.

Quantum hoc vitium execretur etiam Deus, ſatis oſtendit cum dicit e *Vtinam eſſes calidus vel frigidus, ſed quia tepidus es, incipiam te euomere de ore meo.* Sicut cibus tepidus nauſeã prouocat edenti, ita acedia Deo: Hinc Salomon torpentem excitat, & dicit: f *Vſque quo piger dormis, quãdo conſurges à ſomno?* Vt ait Seneca, *maxima iactura eſt, quæ per negligẽtiam fit.* Acedia morbus eſt animæ valde periculoſus, luxuriam parit, gulã nutrit, detractiones ſeminat, iurgia inſtaurat: hæc clericum arcet à ſtudio, Monachũ eijcit à clauſtro. Quòd autem hoc vitium ex immiſſione diaboli ſit, ſubſequens exemplum oſtend t.

e. *Apoc.* 3. 15.

f. *Pro.* 6. 9.

Acedia eſt ex dæmone

Exemplũ ob ſudorẽ non ſurgentis ad matutinas

Monachum quendam diabolus, ſicut exitus probauit ita acedioſũ reddiderat, vt quotiens eſſet ad matutinas ſurgendum, ſtatim ex quadã puſillanimitate, & timore vigiliarũ ſudore perfunderetur, putãs eſſe ex infirmitate iacuit, veſtibus ſe operuit, g *& ſicut oſtium*, ſecũdum Prouerbiũ Salomonis, *voluitur in cardine ſuo: ita piger ille vertebat ſe in lecto ſuo.* Nocte quadam ad ſigna nolarum cęteris ſurgentibus, cum ille ſe nunc erigeret, nũc reclinaret, audiuit de ſub lecto vocem quandam incognitam clarè ſatis dicentem ſibi: Noli ſurgere, noli ſudorem tuum interrumpere, quia non expedit tibi. Tunc primum ſentiens ſibi à diabolo diu illuſum, à phantaſtico illo ſudore ſe excuſſit, nec poſtea tanto torpori facilè conſenſit.

g. *Pro.* 26. 4.

Acediæ effectus.

Peſtis acediæ orationes, pſalmodiam, ſacras lectiones, ieiunia, necnon & cætera opera ſpiritualia Monachis acida reddit, & inſipida. De acedia naſcuntur malitia, rancor, puſillanimitas, deſperatio, torpor circa præcepta, euagatio mentis circa illicita. Ecce tales ſunt ſpecies huius miſerrimæ paralyſis.

Remedium.

Et fit nonnunquam vt propter fratrum orantium fidem atque deuotionem talis morbus in patiente ſanetur. Et quia acedia mortale peccatum eſt, neceſſe eſt vt frater acedioſus prius ſanetur in mente, quàm in corpore. Charitas enim feruorẽ excitat etiam in corpore; qui paralytico medicinalis eſt. Vnguento calido vtuntur paralytici, cùm frigiditas in cauſa eſt.

Infirmis compatiendum eſt.

Quòd verò quidam de Scribis dixerunt intra ſe: *hic blaſphemat*; ad eos pertinet, qui minus credunt infirmantibus, cum ſe à vitio poſt viſitationem diuinam excuſauerint, niſi foris etiam in opere demonſtrent. Quando frater aliquis de vitio pigritiæ ſæpè correptus, iam ſanatus intrinſecus, in capitulo reſponderit: Deus nouit, libenter me de hoc emendarẽ, ſi poſſem, iam Deus dedit voluntatem, ſed ſola deeſt poſſibilitas: nec aliud eſt in cauſa niſi infirmitas tantum: quidam tam duri ſunt vt huiuſmodi pati, neque eorum verbis

bis credere poſſint. Tales quaſi gratiæ, per quam ſanati ſunt, blaſphemiam imponunt.

Se ementientibus congaudendum.

Quòd ſi gratia Ieſu cooperante ſcandalum illud fuerit amotum, ita vt frater, prius negligens & deſidioſus fortis fiat ad laborem, ſtudioſus ad lectionem, in oratione & pſalmodia feruidus; ad obedientiam paratus, ad omnem deuotus diſciplinam, quid aliud dicit ei Ieſus, niſi quod paralytico dixit, *ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam*: huiuſmodi enim operibus proficiendo itur in domum cœleſtem.

Deuſque benedicẽdus.

Et quia Pater æternus tantam poteſtatem dedit Filio, vt talia in ſuis membris operari poſſit, & operetur, ipſam timeamus & glorificemus, eius benignitati ſupplicantes, vt omnes animæ noſtræ paralyſes ſanare dignetur, quatenus læti & alacres ſic in via præſentis vitæ ambulare poſſimus, vt per eum in domum patriç cœleſtis feliciter peruenire mereamur. Amen.

DOMINICA VICESIMAPRIMA POST PENTECOSTEN, SECVNDVM Matth.

CAP. XXII.

IN illo tempore, dicebat Ieſus turbis parabolam hanc. Simile factum eſt regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias Filio ſuo. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM LECTIONE.

Sermo XXVI, *De cogitationum euagatione recolligenda.*

DIuerſa nuptiarum genera ſacra nobis oſtendit ſcriptura.

1. Sunt nuptiæ carnales, 2. & ſunt nuptiæ ſpirituales. 3. Item ſunt nuptiæ cœleſtes: 4. & ſunt nuptiæ ſupercœleſtes. Nuptiæ carnales fiunt inter maſculum & fœminam: nuptiæ ſpirituales inter Chriſtum & Eccleſiam militantem: nuptiæ cœleſtes inter Chriſtum & Eccleſiam triumphantem: nuptiæ ſupercœleſtes celebratæ ſunt in vnione verbi & naturæ humanæ.

Nuptiæ quadruplices.

1. De nuptijs carnalibus ſcriptum eſt in Euangelio: *a Facta ſunt nuptiæ* in Chana Galileæ. a. Ioan. 2.

2. De ſpiritualibus verò Chriſtus ſponſus loquitur in Iſaia: *b Sicut ſponſo alligauit mihi mytram, & ſicut ſponſam decorauit ornamento.* Item Apoſtolus credentibus dicit: *c Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* b. Iſai. 61. 10. c. 2. Cor. 11. 2.

3. De nuptijs cœleſtibus Ioannes dicit in Apocalypſi: *d vidi ciuitatem ſanctam Hieruſalem nouam deſcendentem de cœlo, à Deo paratam ſicut ſponſam, ornatam viro ſuo.* Ipſa eſt cœleſtis Eccleſia, quam alibi vocat ſponſam Agni. d. Apoc. 21. 2.

4. De nuptijs verò ſupercœleſtibus Dauid cecinit in Pſalmo: dicens: *e In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.* Nam omnibus his modis Deus Pater nuptias Filio ſuo fecit, ſicut à multis expoſitum eſt. e. Pſ. 18. 6.

Cur Chriſtus etiam adſit.

Qui etiã ad nuptias carnales venit, 1. vt illas ſua præſentia ſanctificaret: 2 & quãtũ ei caſtũ placeret matrimonium, manifeſtaret. 3. vel vt nuptias ſpiri-

ſpirituales per illas ſignificaret.

Chriſtus facit nuptias Spiritus cũ Sapiẽtia, ſed cœleſti.

Nuptijs his ſimile eſt regnum cœlorũ. Quod, inquis regnum cœlorũ? Regnum de quo diſcipulis dicitur : *f regnum cœlorum inter vos eſt.* In hoc regno Chriſtus, qui eſt homo per aſſumptam naturam, & rex per Deitatis gloriam, cuilibet filio ſuo adoptiuo nuptias facit inter eius Spiritum & Sapientiam : non vtique ſapientiã quę à ſaperedicta eſt, quam multi habent reprobi, ſed ſapientiam meritoriam, quę à ſapore ſibi nomen vendicat, quæ prima eſt in donis Spiritus S. Hanc multi idiotæ & anus inueteratæ quandoque habent, & ſcholaſtici litteratiſſimi non habent.

Hæ ſunt fœlices.

g. *Pro.* 4. 8.

Quãtæ ſit fœlicitatis & gratiæ copulari ſapientiæ, Salomon tibi homo oſtendit, cùm dicit : *g Arripe ſapientiam, & exaltabit te. glorificaberis ab ea, cùm eam fueris amplexatus: dabit capiti tuo augmẽta gratiarum, & corona integra proteget te.* Quoties cũ dulcedine & iocũditate pſallitur, legitur, oratur, meditatur, vel cœleſtia contemplãtur, toties inter ſpiritum & ſapientiam nuptiæ celebrantur. Ad harum nuptiarum ſolẽnitatem Dauid omnia interiora ſua inuitat, dicens : *h Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius.*

Fiunt per cogitationes.

h. *Pſa.* 102. & 103.

I. Inuitatio.

Vnde & factis nuptijs benè ſequitur: *Et miſit Rex ſeruos ſuos vocare inuitatos ad nuptias, & noluerunt venire.* Multæ & variæ cogitationes de vno corde exeũt, ſed non poſſunt ſimul ineſſe. Impoſſibile eſt eodem momẽto diuerſa poſſe cogitari: quantũ nuptiarum tempus, in quo ſpiritus coniungitur ſapientiæ, dulcedo orationis, meditationum, vel contẽplationis minuatur per extrauagãtes cogitationes, experti melius norũt: propter quod gratia cooperãs mittit ſeruos ſuos, i. animi affectiones, quibus reuocentur. Non iſta dico, quòd bonum ſit cogitationes, vel inutiles ſemel emiſſas, ad cor reuocare, ſed cor ab illis euacuare, & in melius cogitatus ipſos commutare. Hoc eſt enim venire ad nuptias, dum mens inutilibus occupatur, poterat interim vtilia meditari; mittit dolorem, mittit timorem, mittit pudorem, quibus ad mentem extrauagantia, quibus ad ſaporem inſipida, quibus ad rationem ea, quę ſine intellectu ſunt, reuocentur.

Euagantes cogitationes inuitãtur per affectiones.

Hæ [illegible] ſunt [illegible]

Sed licet hoc triplici famulatu anima afficiatur adeò, vt de culpa doleat, de pœna timeat, & de ipſo vſu erubeſcat, non tamen quandoque poteſt ab ipſis turpibus & inutilibus cogitationibus liberari : vnde benè dictum eſt, *& nolebant venire.*

II. Inuitatio Affectus demulcentes.

Iterum miſit alios ſeruos dicens: dicite inuitatis : Ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occiſa, & omnia parata, venite ad nuptias. Cum non proficit per affectus territantes, mittit affectus demulcentes, gaudiũ videlicet, ſpem, & amorem.

Infirmitas humana eſt magna ad cogitationes.

Sed, heu, tanta eſt infirmitas naturæ noſtræ, vt nonnunquã neque gaudio promiſſæ gloriæ, neque ſpe futuræ vitæ, neque amore iuſtitiæ à cogitatu ſuperfluo ad internam dulcedinem mẽs queat reuocari. Et quid dicam de tempore priuatæ orationis, ſiue pſalmodiæ? cum tempore diuini ſacrificij, vbi etiam perſonaliter in ſuo ſacramento ſponſus coniungitur ſponſæ, Chriſtus ori humano, vbi eius carnem reficitur, & reficiendo eidem incorporatur; cogitationes inordi-

ordinatæ mentem conturbent. Huiuſmodi cogitationes ſacra ſcriptura appellat *h muſcas morientes, quæ extinguunt ſuauitatem vnguenti*, id eſt, dulcedinem deuotionis.

h. Eccl. 10. a.

At ſæpè non recolliguntur.

Illi, inquit, *neglexerunt*. Quando cogitationes extra vagantes gratiæ reuocanti non obediunt, quid aliud agunt, niſi quòd ad nuptias venire negligunt? ipſis per Prophetam dicitur: *i Præuaricatores redite ad cor.*

i. Iſai. 46. 8.

Nec memoria ſanctorum.

Per *tauros* non inconuenienter intelligimus memoriam Apoſtolorū, ac martyrū, Petri ſcilicet, Pauli, Andreæ, Stephani, Laurentij, Vincentij, & aliorum pro Chriſto occiſorum: quos dum per memoriam edimus, palato cordis cibum ſuauiſſimum ingerimus.

Nec ſanctarum

Altilia verò volatilia ſunt ſaginata, & ſignificant ſacras virgines, qualis fuit Agnes, Cecilia, Lucia, & aliæ quamplures, quæ pro amore cœleſtis ſponſi ſanguinem ſuum fuderūt, per vitā cœlibem mūdo ſuperiores.

Nec Scripturar im lectorum.

Et bene additum eſt, *& omnia parata*: quia animæ contemplanti magnam materiā Deus præparauit, non ſolùm martyres & virgines, ſed & beatorum Angelorum ordines, necnon & Patriarcharum, Prophetarū, Confeſſorum, & aliorum electorum geſta, dicta, vel ſcripta in nuptijs noſtris ponitur.

Et abijt alius in villam ſuam, alius verò ad negociationem ſuam. Videte miſeriam humanam: ad ſæcularia per cogitationes vltro dilabimur, & ad ſpiritualia etiam per terrores ſiue promiſſa inuitati, renitimur. Per villam & negociationem, ſæculares actiones deſignantur, in quibus quādoque tanta eſt delectatio, vt, dum

Vagantur igitur per ſæcularia.

mens perſcans cogitationes, vt eſt memoria Dominicæ paſſionis, illas depellere laborat, contra propoſitū diutius eis inhæreat: ex quibus quaſi contumelijs affectos occidit; dum ſpiritualia per delectationem trahētes ad ſæcularia, quicquid in eis iocūditatis fuerat, illā horā extinguunt.

Rex autem, cùm audiſſet, iratus eſt, & miſsis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum ſuccendit. Rex iſte Chriſtus eſt, qui nos per gratiam regit, & per fidē in cordibus noſtris regnat, qui vitijs iraſcitur, vt naturæ parcat. Vitia dico motus vitioſos, qui nos, vt dictū eſt, frequenter impugnant & contumelijs afficiunt: contra quos exercitus virtutum mittit, vt vim vi opprimēdo, motus malos bonis compeſcat. Quicquid enim aufert vel extinguit motum gaudij ſpiritualis, ſpei cœleſtis, & diuini amoris in corde meo, homicidam illud iudico.

Sed Chriſtus donis gratiarum obruit malos motus.

Et ciuitatem illorum ſuccendit. Habent mali motus ciuitatem ſuam, id eſt, peccati fomitem: vnde exeunt, & ad quem, quaſi ad ciuitatem per conſuetas cogitationes recurrunt, verbi gratia: Si fuit quis ante conuerſionē agriculturæ deditus, poſtea etiā nolens & dolens mente recurrit ad villam: ſi negotiator ad forum: ſi mœchanicus, ad artem conſuetam, ſicque de cæteris. Si fuit luxurioſus, frequētius cogitat de fœminis, ſi prædo, de rapinis: ſi miles, de militia: ſi vſurarius, de vſura: atque in hunc modum ſingula vitia habēt ciuitatem. Quod noua teſta capit, inueterata ſapit. Quorum ciuitatē Chriſtus, cum vult ſuccedit, quia igne zeli ſui ſic cor inflammat, vt de prædictis vitijs menti etiam cogitare non libeat. Sequitur.

Occaſionesque cogitationū zelis immiſſo vertit in amorem Dei.

III. Inuitatio.

Tunc ait ſeruis ſuis: Nuptiæ quidē paratæ ſunt, ſed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Fit plerumque, vt vno tempore in cogitationibus friuolis compeſcēdis gratia eo ordine, quo diximus, quaſi repulſam patiatur, per quam tempore alio facillimē ſubijciuntur.

Quod verò ſequitur: *ite ad exitus viarum, & quoſcunque inueneritis, vocate ad nuptias:* Multa conſideratione dignum eſt. Nullam hic facit exceptionem.

Et egreſſi ſerui eius in vias, congregauerunt omnes, quos inuenerunt, bonos & malos, & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium. Ecce Rex iubet iri ad exitus viarum, & ſerui in ipſis vijs occurrentes colligunt. Benè intellexerunt ſerui voluntatem Domini, neque de inobedientia culpantur. Viæ ſunt actiones humanæ, quas ad Deum dirigi Dauid exoptat, cùm dicit: k *Vtinam dirigantur viæ meæ,* id eſt, actus præſentis vitæ, qui per ſe tortuoſi ſunt, *ad cuſtodiendos ſermones tuos.*

Affectus iubet examinare actiones humanas.

k. Pſ. 118. 5

Earumque fines.

Exitus viarum ſunt fines actionū: de quibus quidam ait: *Exitus acta probat.* Nec dicit Dominus vt ad inuia, ſed ad exitus viarum eant: quia quicquid agere intendat, finis ipſius actionis manifeſtat. Ad has vias ſerui egrediuntur, cùm per cordis affectus opera ipſa diſcernuntur.

Eas iudicare dolēret.

Benè autem Dominus ſeruos ad exitus viarum deſtinat, ſed ipſi in ipſas vias vadunt, quia cum Deus opera finalia iudicet, vel remuneret, ſecundum illud, *qualem te inuenero, talem te iudicabo:* homo tamen in omnes vias, id eſt, actus vitæ præſentis & præteritæ, per timorem & dolorem intrare debet, & diligenter diſcutere, qualiter ab ineunte ætate vixerit, eaque conſiteri. Vnde ſcriptum eſt; m *Reuela Domino viam tuā.* Quantum ex hoc boni conſequatur, alibi oſtendit, cum dicit: n *Vias meas enuntiaui*, peccata mea confitendo, *& exaudiſti me*, eadem mihi remittendo. In vijs actionum noſtrarum, non ſolùm bona, ſed & mala à nobis commiſſa congreganda ſunt. Mala, ne animus de iuſtitia extollatur, bona, ne per deſperationem frangatur: ſicque implentur nuptiæ diſcumbentium.

Et conſiteri.

m. Pſ. 36. 5

n. Pſa. 118. 26.

Sic cōgregantur bonæ in ſpē, malæ in pœnitentiam.

IIII. Luſtratio.

Intrauit autem Rex vt videret diſcumbentes. Licet in nuptijs noſtris, vbi ſpiritui copulatur ſapientia, Chriſtus ſemper ſit præſens per eſſentiam, præſens etiam per gratiam, intrat tamen frequenter per ſuauiſſimam viſitationem. Intrans quid dicit? o *Cōmedite amici, & inebriamini chariſſimi.* Comeſtio ad dulcedinem interni ſaporis, & inebriatio ad guſtum contemplationis pertinere videtur.

Ad eas intrat Chriſtus per conſolationem

o. Cāt. 5. 1.

Videt epulantes,

Exemplū.

Legitur ſancta Brigida dulcedine verbi Dei, quòd ei miniſtratum eſt à Patricio Epiſcopo cum multis alijs vſque in diem tertium ſic paſtā fuiſſe, vt cibum corporalem ſumere obliuiſceretur. Magna ibi gloria eſt, magnumque in illo triclinio tripudium, vbi ſapientia cum fratribus ſuis, intellectu ſcilicet, conſilio, & fortitudine, ſpiritu ſcientiæ & pietatis, ac ſpiritu timoris Domini, cum ſororibus, fide, ſpe, & charitate, in nuptijs diſcumbit. Ad has, inquam, nuptias frequenter ingreditur Rex, vt videat diſcumbentes, hoc eſt, vt motus virtutū ordinate ſe habeant

Et quietus ac conſedes.

Et vi-

Et vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali & ait: Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? Videtur mihi homo iſte ſignificare poſſe motum rancoris, ſeu indignationis, qui nonnunquam etiam iuſto ſubrepere ſolet, ex infirmitate naturæ, ſiue diabolica immiſſione. Veſtis nuptialis, charitas eſt, per quam idem motus veſtiri debet, ne eius indecentia foris in vultu appareat: cùm humanum ſit iraſci, ſtudeat tamen perfectus maximè eundẽ motum ſigno, vel opere charitatis ſuperueſtire. Non enim Rex homini improperauit ingreſſum, ſed quia decorem veſtis nuptialis in illo non vidit.

Videtrancorem.

Nudum à charitate.

Amice, inquit, *quomodo huc intraſti?* primus motus, & homo eſt, & amicus. Homo, quia ex infirmitate naturæ, amicus, quia Deo contrarius non eſt. Vnde nobis in Pſalmo dicitur: *p Iraſcimini & nolite peccare.* Quod naturæ eſt, permittit, quod vitij, interdicit.

Primi motus vocantur amici.

p. Ephe.4. 25.

At ille obmutuit. Semper in nobis obmuteſcat rãcor cordis, ne in ſigna vel in verba prorumpat, quia ſcriptum eſt: *q Qui dixerit fratri ſuo racha, reus erit concilio.* Quidam in Vitas patrum ſic legitur repreſſiſſe cordis indignationem contra fratrem conceptam, ne eum verbis obiurgaret; vt ſanguis fieret in ore eius. Certè veſtis ibi apparebat nuptialis, quia *r charitas patiens eſt, benigna eſt.* Ne autem motus in iuſto mortalis fiat, & ille meritum ſuum perdat, tunc dixit rex miniſtris: *Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores.* Habet gratia miniſtros ſuos operi huic ſatis idoneos: magnanimitatem videlicet, & fortitudinem. His rancor cordis ligandus eſt in pedibus, id eſt, cohibendus, ne per affectum eat in conſenſum interiorem, & in manibus, ne actum adijciat exteriorem, per quos etiam omninò eijciendus eſt, quia *r ira viri iuſtitiam Dei non operatur.* Nihil plus turbat ſtatum contemplationis, quàm rancor cordis.

Obmuteſcat rãcor.

q. Matt.5. 22.

r. 1. Cor.13 4.

Ligatus eijciatur, ne ei opus noſcat.

r. Iacob.1. 20.

Et, quia peccato non caret, & purgatione indiget, mittendus eſt in tenebras exteriores, ne filijs lucis, id eſt, virtutibus tenebras ingerat interiores. Et quid dixerim hic tenebras exteriores, niſi confuſionem, quæ eſt in confeſſione? Quidam ſic erubeſcunt, quando peccata confitentur verecunda, licet etiam minima ſint, vt caliginem oculorum ad litteram patiantur. Tales tenebræ in confitente luminoſæ ſunt, quia *s ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Quod autem ſequitur.

In ſecretũ confeſſionis.

ſ. Pſ.138. 2.

Ibi erit fletus & ſtridor dentium, ad ſatisfactionem pertinet. Maximè pro venialibus peccatis orationes nobis iniunguntur in confeſſione, quia per dentes & labia verba formantur, non inconuenienter per dẽtes ipſa orationis verba figurantur. Stridor dentium, inſtantia orationis eſt. Orantes ſæpè dentibus ſtrident. Fletus ſignificat lacrymas, quib. oratio rigatur, & culpa mundatur. Seq.

Ibi cũ attritione ſatiſfactio eſt.

In oratione.

Multi autem ſunt vocati, pauci verò electi. Clauſula hęc & de perſonis; & de cogitationibus exponi poteſt. 1. Cum multi ſint in Eccleſia actiui, pauci tamẽ in ea reperiuntur cõtemplatiui. Et cum ad nuptias contemplationis multi inuitentur, pauciſſimi tamen admittuntur. Idem conſiderate

Contẽplatiui pauci.

Cogitationes ſunt innumeræ: at paucæ guſtant dulcedinem.

derate in cogitationibus: cùm nulla ſit hora, & vix punctum aliquod, in quibus mens cogitare ceſſet, atque in ipſis cogitationibus pro deuotione nonnunquam ſatis laboret; vix vna ex mille ad guſtum ſupernæ dulcedinis eligitur: vnde Dauid dicit; *c* *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine quam abſcondiſti timentibus te.* Dulcedo ſpiritualiū nuptiarum multa eſt, & magna, ſed propter raritatem guſtantium abſcondita.

c. Pſ. 30. 20

Exēplum Quanta dulcedo Ieſu.

Hoc benè experimento didicerat, beatæ memoriæ Dauid Monachus de clauſtro, qui ait: Si nihil amplius gloriæ haberet Dominus Ieſus, niſi quantum mihi oſtendere dignatus eſt in hac vita, nimis eſſet: in cuius conuiuio ſic inebriatus eſt, vt mente excederet, &, quod circa ſe foris ageretur, penitus ignoraret.

Igitur fratres chariſſimi, ſic nuptias Chriſti ſpirituales ſtudeamus perguſtare, veſtem nuptialem, id eſt, charitatem fictam in animo, quam in opere ſeruare, vt in aduentu ſponſi cum illo ad nuptias perpetuas mereamur intrare: ad quas nos perducat qui in Trinitate perfecta viuit & regnat: Amen.

DOMINICA VIGESIMASECVNDA POST PENTECOSTEN SECVNDVM Matth.

CAP. IIII.

In illo tempore, erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum: hic cum audiſſet, quia Ieſus adueniret à Iudæa in Galilæam: abijt ad eum, & rogabat eum, vt deſcenderet, & ſanaret filium eius. *Et reliqua.*

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo XXVII. De tentatione. Chriſtianus Rex eſt.

Regulus iſte ſignare poteſt quēlibet in ſæculo fidelem, circa regimen propriæ ſalutis nimus feruētem. Per Apoſtolum Petrum credentibus dicitur: *a Vos autem genus electum, regale ſacerdotium.* Et Dominus ipſe dicit: *b Regnum cœlorum intra vos eſt*: quòd ſi reges ſumus, & regnum cœlorum intra nos eſt, ſtudeat vnuſquiſque noſtrum ſic illud regere, vt poſt diem iudicij Chriſto ſummo Regi æternaliter poſſit conregnare.

a. 1. Petr. 2. 9.
b. Luc. 17. 21.

Cor regnum.

Regio latiſſima *cor* eſt humanum, ſecundum quantitatem charitatis dilatatum, & in quatuor tetrarchas diuiſum. Primam ſibi vendicat iuſtitia, ſecundam prudentia, tertiam fortitudo, quartam temperantia.

Subditi virtutes & dona.

In regno iſto innumerabiles *ciues* ſunt, per virtutes politicas: *milites*, per dona gratuita: *militia* per virtutum exercitia *c Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Sicut milites defendere regionem debent, ne hoſtes aliquam faciant irruptionem, ita & virtutes à vitiorum incurſione. Qui verò regnum ſibi cōmiſſum tepidè regit, non Rex, ſed regulus dicendus eſt: nec mirum ſi filius eius infirmatur.

c. Iob. 7. 1.

Quis eſt *reguli filius*, niſi *hominis ſpiritus.* 1. Prius factus eſt homo ſecundùm carnem, deinde infuſus eſt ſpiritus quaſi proles gratiæ, &, ſi in illa ſteuiſſet, hæres æternæ gloriæ. Duplex

plex fuit ſtatus Adæ, ante lapſum. In primo per naturalia poterat ſtare, ſed non proficere: in ſecũdo per gratuita, quæ ſuperaddita ſunt, vtpote milites ciuibus, ſtare poterat, & proficere. 2. Si verò ſpiritus non eſſet hominis filius, nequaquam in oratione ſua dixiſſet Auguſtinus: *Domine Ieſu Chriſte, qui miſertus es regulo oranti pro filio ſuo: miſerere & mihi oranti pro ſpiritu meo, quem nemo ſanare poteſt præter te Domine.*

Cumque dixiſſet Euangeliſta, *erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur*, locum infirmitatis, & per locum cauſam oſtendit, cum illicò ſubiunxit: *Capharnaum*, villa conſolationis vel pinguedinis, vel pulchritudinis, ſignificans pręſens ſæculum, in quo eſt multiplex amicorum liberorum, & conſanguineorum conſolatio, diuitiarum poſſeſſionumque craſſitudo, dignitatum ſiue ſpecierũ pulchritudo. Multa ſunt oblectamẽta huius ſæculi tam in elementis, quã in formis, necnon & ædificijs, atque alijs rebus innumeris, quæ præparãtur vſibus humanis: ex quorum delectationn febrem multiplicem ſpiritus contrahit humanus: cõtrahit, inquam, dolorem odij, liuorem inuidiæ, tumorem ſuperbiæ, calorem luxuriæ, nauſeam gulæ, phreneſim iracundiæ, conſtipationem obſtinationis, pallorem hypocriſis, hydropiſim cupiditatis, paralyſim tenacitatis, leprã duplicitatis, lethargiam ingratæ obliuionis, caducum morbum recidiuationis. Ecce tales ſunt febres animæ, vt febris pro diuerſis ſpiritus infirmationibus ponatur, in quibus ſpiritus per cogitationes diſtempeпatur, per delectationes infirmatur, conſenſu moritur, conſuetudine fœtet.

Mundi oblectamẽta ſeu tentationes.

Cauſant peccata.

Quiſquis filium ſuum, id eſt, ſpiritum aliqua ex prędictis febribus vexari ſenſerit; vt conualeſcere valeat, medicum requirat, paſſionis modum exponat, medicinam accipiat. Medicus iſte confeſſor eſt, qui Ieſum per gratiam adiuuantem tentationis acceſſione à Iudæa ducit in Galilæam, id eſt, in cor quod valde inquietum eſt, *d nec vmquam in eodem ſtatu permanet.* Galilæa enim rota interpretatur.

Medenda per cõfeſſionem.

d. Iob. 14. 2

Cũ audiſſet, inquit, *quia Ieſus adueniret à Iudæa in Galilæam, abijt ad eum, & rogabat eum, vt deſcenderet, & ſanaret filium eius.* Iudæa interpretatur confeſſio. Magna eſt virtus confeſſionis, & magnum antidotum contra feruorem tentationis, atque inuitatorium quoddam gratiæ ſalutaris: Ieſus enim Saluator, vel ſalutaris interpretatur: confeſſio vim tentationis eneruat, & vires reſiſtẽdi tentato ſubminiſtrat: Confeſſio oris patulas efficit aures cordis, ita vt ſalutis ſuæ vocem audiat, eiuſque aduentum facillimè deprehendat. Vox confitentis eſt: *e audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem ſuam*, id eſt, virtutes, meo regimini commiſſas, *& ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui conuertuntur ad cor.*

Cuius vis magna eſt contra tẽtationes.

e. Pſ. 84. 9.

Galilæa etiam interpretatur tranſmigratio facta, ſignificans cordis cõuerſionem vel de malo ſtatu ad bonum, vel de bono ad meliorem; vel de meliore in optimum. Senriens in ſe homo gratiam operantem ex virtute confeſſionis, ire debet ad Ieſum toto cordis affectu, & rogare per

Sed vera adſit conuerſio.

Et Chriſti inuocatio.

ſupplicem orationem, vt deſcendere, id eſt, ſibi condeſcẽdere dignetur, contra æſtum vitiorum, ſpiritui conferendo ſubſidium.

Principio tẽtationis.

Incipiebat enim mori. Quando delectatio ad conſenſum peruenit, tũc mori incipit, in qua ſi fecerit moram, extinguetur per mortale.

Et abſit puſillanimitas.

Quod verò Ieſus reſpondit, *niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis*: ad eos pertinet, qui tantæ puſillanimitatis ſunt, vt ſe proiectos à Deo æſtiment, dum tentãtur, nec ſanari poſſe, nec manifeſtis indicijs ſe diuinitus viſitatos experiãtur. Quod ex verbis reguli colligitur, qui reſponſionem Ieſu ſurda aure percipiens; ait:

Adſit inſtãtia orationis.

Domine deſcende priuſquam moriatur filius meus. Ac ſi dicat: Tentationes, quas patitur ſpiritus meus, ſæpius confeſſus ſum, nec criſim fecit, niſi vehementiam febris eius cõpeſcas, nihil ſupereſt, niſi vt voluptati conſentiatur. Nouimus quoſdam in ordine noſtro tam grauiter tentatos, vt, ſi non fuiſſet celerius tentatio eorum ſedata, nec vna hora diutius ſtetiſſe: hoc enim eſt, quod ſequitur: *vade, filius tuus viuit.*

Inde ſpes veniæ certificatur quaſi.

Ieſus in corde non loquitur ſine effectu. Si Ieſus in corde loquitur per inſpirationem, & fides eſt ex auditu, neceſſe eſt vt ſermoni eius credatur.

Tentatio non necat ſola.

Vade, inquit, *filius tuus viuit.* Vade proficiẽdo, quia ſicut deſideraſti ceſſante tentatione, quieſcet ſpiritus tuus. Non te terreant delectationes, quia quamdiu anima, id eſt, intentio animi recta eſt & bona, etiam ſi mille tẽtationum febribus vexetur tuus ſpiritus, mori non poterit.

Exẽplo ſit Iob.

Recordare Iob ſic à Sathana percuſſum, vt à planta vſque ad verticem non eſſet in eo ſanitas: Iob ſignificat ſpiritum humanũ, ſanies vulnerum delectationem malarum tentationum. Sed quãdiu in ſpiritu vigent amor boni, & odium mali, quaſi anima eius Dei gratia ſeruatur illæſa: delectationes enim quàm diu non placent, licet carnem demulceant; ſpiritum necare non valent.

Arcenda eſt tamen.

Sunt tamen abradendæ teſta pœnitentiæ: Iob enim ſaniem vulnerum teſta radebat. Quantus verò in tentationibus ſit prouentus, & in illarum amotione quoddam detrimentum meritorum; mox oſtenditur, cùm ſubiungitur.

Iã autẽ eo deſcendẽte, ſerui occurrerũt ei, & nunciauerũt dicentes, quia filius eius viueret. Supradictum eſt de regulo, quòd credens ibat. Credendo itur, quia in fide proficere, ire eſt.

Carentia tẽtationis facit deficere.

Sed ſunt quidam quorum ſpeciem regulus iſte tenet, quibus videtur quòd ceſſante tentatione proficiant, cum magis ex hoc deficiant, importunis orationibus materiam merendi ſibi ſubtrahendo. Vnde & ſignanter poſitum eſt: *iam eo deſcendente.* Sicut aſcẽſus pertinet ad profectum, ſic deſcenſus ad defectum. Tentatio hominem efficit humiliorem, & ad omne opus bonum feruentiorem. Vnde Apoſtolus dicit: *f ſufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.*

f. 2. Cor. 12. 9.

Obiectio. Tentatio eſt periculoſa.

Sed dicit regulus, id eſt, imperfectus; periculoſa eſt tentatio, eò quòd in illa nonnũquam magna atque maior ſit delectatio. Febris vehemens & longa patientem extinguit.

Reſponſio Ita beſtialis.

Fateor fratres, ſi tentatio tamen fuerit voluptuoſa, & non laborioſa, certum eſt quòd ſit periculoſa, quia mors ſecus introitum delectationum poſita eſt. Talis tentatio beſtialis eſt. Vnde Apo-

g.1.Cor.10
13.
At nō humana.

Apoſtolus dicit: *g Tentatio vos non apprehendat, niſi humana.* Humana eſt, cum delectationi, quæ ex ſenſualitate ſurgit, rationis motus reſiſtit: de qua mox ſubditur.

h.Ibidem.

h Fidelis autem Deus qui non patietur vos tentari ſuper id, quod poteſtis: ſed faciet cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere. Febris enim quotidiana, ſiue tertiana, ſi moderata fuerit, medicinalis eſt, & ſanitatis effectiua. Habet enim febricitans tēpus laboris, & tempus quietis. Sed tempus laboris vtilius eſſe dignoſcitur, quia per vehementiam acceſſionis materia malè digeſta decoquitur. Hinc quidam per cibaria cholerica ſibi febres excitant, quatenus ſaniores fiant.

Aliqua prodeſt.
Simile.

Nulla tamen cauſanda eſt.

Quod quidam perfectorum ſpiritualiter intelligentes, tentationes ſibi leguntur excitaſſe, vt illis reſiſtēdo amplius proficerent in merito. Caueant tamen imperiti medici, quia ex facili tentationis febris inducitur, ſed non abſque multo labore, & charitatis periculo nonnunquam eijcitur. Quidam medicus terræ noſtræ peritiſſimus, cùm ſanitatis gratia tres ſibi acceſſiones tantum facere proponeret, per integrum pene annum ſic febribus vexatus eſt, vt vſque ad mortem deueniret.

Exemplū & ſimile.

Serui intētatio.e fidi.

Serui autem, quos ad filij febricitantis cuſtodiam regulus reliquerat, duo ſunt animi affectus: timor ſcilicet & ſpes. Timor ſemper ſollicitatur, ne in tentatione ſpiritus deficiat: ſpes vt conualeſcat, ceſſante tentatione anhelat.

Interrogauit ergo horam ab eis, in qua melius habuerat. Et dixerunt ei: quia heri hora ſeptima reliquit eum febris. Septenarius numerus eſt quietis, eò quòd die ſabbathi Deus ab opere ſuo quieuerit, & ſabbatiſmus in eo celebretur: necnon & propter ſeptem dona Spiritus Sancti, per quæ ſpiritus hominis quieſcit ab omni opere ſeruili, id eſt, peccato. Septima hora incipit dies deſcendere, &, ſicut ſupra dictum eſt, ceſſante tentatione fit quædam ſolis, id eſt, charitatis in animo declinatio: eò quòd aſcenſionis ſcala, id eſt, merendi materia illi ſit ſublata.

Remittente tētatione remittit materia merendi.

Sacerdos quidam, alicuius nobilis & honeſtæ religioſæque matronę cappellanus erat: qui cum grauiſſimè pateretur ſtimulū carnis, neſcio vtrū de ea, ſiue aliqua puellarū eius delectationis vehementiſſimè ardorem ſuſtinere non valens, & ſi libidini ſatisfaceret, ſpiritus ſui, vtpote filij mortem timēs, ſe ipſum eunuchizauit: quod poſtea ex pallore vultus domina deprehendens exclamauit: Quid feciſti, ò miſerabilis homo, quid feciſti? materiam per quā Deo ſeruire habueras, tibi ſubtraxiſti. Bene intellexerat quod per certamē tētationis plurimum meritū accreſcat.

Exemplū ſeſe caſtrātis.

Cognouerat ergo Pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Ieſus, filius tuus viuit. Ecce quomodo quæ dicta ſunt, concordant. Hora ſeptima deſcendit, & eadem hora ſanato filio, centurio, licèt ſanationem eius ignorauerit, legitur deſcēdiſſe. Quod qualiter intelligendum ſit, ſupra expoſitum eſt.

Et credidit ipſe, & domus eius tota. Domus noſtræ, corpora noſtra ſunt: vnde Iob: *i Qui habitatis in domibus luteis.* Corpus humanum quinque feneſtras habet, id eſt viſū, audi- i.Iob.4.19

auditum, olfactum, guſtum, & tactū: Et quia in Capharnaum aer corruptus eſt, ne ſpiritus ex eo aliquam febrem contrahat, claudendæ ſunt feneſtræ ſenſuum exteriorum, quia ſecundùm Prophetam k *mors ingreditur per feneſtras noſtras.* Primùm febris ingreditur per delectationem: deinde mors per conſenſum.

k. Iere. 9. 21.

Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Ecce mors. Domus etiam ponitur pro familia: quando in tentatione oramus, ipſaque ceſſat, exauditos nos credimus: &, vt nobis vtile ſit exaudiri, ſemper in nomine Ieſu petamus, vt per eius gratiam ad cœleſte regnū, vbi vita eſt ſine morte, & ſanitas ſine infirmitate, peruenire mereamur. Quod nobis Dominus Ieſus Chriſtus donare dignetur, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat per infinita ſæcula ſæculorum: Amen.

l. Matt. 5. 28.

DOMINICA VICESIMATERTIA POST PENTECOSTEN.

SECVNDVM Matth.

CAP. XVIII.

IN illo tempore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis. *Simile eſt regnum cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis: Et cum cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei vnus, qui debebat decem milia talenta.* Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

PEr omnes ferè parabolas ſuas Saluator exempla ſumere conſueuit de rebus vnanimis, viſibilibus, caducis, & humanis: vt mentem humanam earum conſideratione erigeret, per intellectum ſpiritualem, de minimis ad maxima, de viſibilibus ad inuiſibilia, de tranſitorijs ad æterna; de actibus humanis ad diuina. Cum *ſimile* dicit *regnum cœlorū homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis* oſtendit, quòd ipſe, qui Rex eſt & Dominus omniū, per diuinitatem, & homo per aſſumptam naturam, de talentis nobis cōmiſſis (ſicut etiam ex alia eius parabola colligitur,) rationem ſit poſiturus, & eodē modo, quo & nos cū fratrib. ipſe nobiſcū ſit acturus: hoc enim finis huius lectionis declarat.

Sermo XXVIII. Ignoſcente Deo, ignoſcendum eſſe & proximo.

Simile eſt regnum cœlorum. Regnum cœlorum præſentem Eccleſiam ſignificat, in qua Chriſtus Rex cœlorum innumeros ſui nominis profeſſores ſeruos habet. In *ſeruo iſto* vno, qui Domino oblatus eſt, omnes ſunt deſignati, qui multis grauibuſque peccatis tenentur obligati. *Talenta* hoc in loco ſignificant peccata: vnde in Zacharia, *a* iniquitas ſedet ſuper talentum plumbi. Talenta ſunt debita, debita verò peccata: debitores verò peccatores. Hinc in oratione Dominica quotidie dicimus Deo: *b Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitorib. noſtris.*

Summa Euangelij.

a. Zach. 5.

b. Mat. 6. 12.

Talētum eſt genus ponderis, & de graui vtique metallo maximè fieri ſolet: ſua ponderoſitate peccatum exprimens mortale. Nihil illo vilius, nihilque grauius, quia cùm maſſa omnis corpus quodlibet nonniſi ad terram, quæ in elementis infima eſt, depri-

Peccatum mort. eſt graue.

deprimat;peccatum mortale in infernum animam detrudit: necnon & corpus cum reſurrexit.

Nec vacat à ſacramento,quod in ſumma debitorum ponit *decem milia talentorum*. In denario ſumma diuinæ legis cõſiſtit. millenarius numerus eſt finitus, & ſæpe ponitur pro infinito. talentum ponderoſum eſt. Qui verò contra legem Dei ſæpe, & grauiter peccauit, apud illum decem milium talentorum debito ſe obligauit. Adulteria, periuria, homicidia, furta, ſacrilegia, & huiuſmodi peccata grauia; quid aliud ſunt niſi talenta animæ importabilia?

Quicquid enim peccamus, Deo debemus. Vnde Dauid dicit: c. *Tibi ſoli peccaui*. Cum tunc in proximum grauiſſime peccaſſet. Quia Deus peccatum æternaliter punit,ſi hic punitum non fuerit; ſoli Deo peccaſſe ſe dicit. Vel ideo,quia pœna,quã infligere poteſt homo, nulla eſt reſpectu æternæ pœnæ.

Vix aliquis adeo peccator eſt,quin aliquando offeratur Deo per accuſatricem conſcientiam. Sed cum nõ habet vnde reddat; neque in corde contritionem,neque in ore confeſſionẽ; iubet eum Dominus venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habet; & reddi. Vnicuique homini quaſi vxorem Deus rationem ſociauit: ex qua, mediante eius gratia, filios, id eſt, opera meritoria procreare poſſit. Sed fit plerunque, vt, cum homo dona diuinitus accepta in vſus malos conuertit, talenta ſemper augendo, id eſt, peccatum peccato adijciendo, iuſto Dei iudicio tanta in eo ratio inuoluitur caligine; vt nec de bono cogitare, ſiue ad bonũ moueri poſſit. Ecce,ſic Deus peccatum peccato punit.

Sentiens homo tali modo rationem & motus eius d. ſub peccato venundari, & quaſi carceri obſtinationis iam iam deputatos; ſolâ Dei miſericordia tactus,dum cõſiderare incipit vnde ſit lapſus,ſiue ad quantam neceſſitatem deuolutus, procidat ad pedes Ieſu, oret, & dicat: *Patientiam habe in me; & omnia reddam tibi*. Non enim e. in iuſtificationibus meis proſterno preces ante faciem tuam:ſed in miſerationibus tuis multis. *Quoniam iniquitatem meam annunciabo* in confeſſione; *& cogitabo pro peccato meo* in ſatisfactione.

Miſertus autem Dominus ſerui illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit. Quare dimiſit? Quia propoſitum confeſſionis, & pœnitentiæ in illo vidit. Quod verò voluntas Deo ſufficiat ad culpam relaxandam, teſtis eſt pſalmiſta, qui dicit: *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitias meas Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei*. Bis ibi poſitum eſt; *dimiſit*. Dimiſit ſeruum, ne venderet: dimiſit debitum ne exigeret. Vel, bis poſitum intelligamus, propter culpam, & pœnam. Vnde & in ſequentibus ingrato dicitur: *Serue nequam omne debitum dimiſi tibi*.

Egreſſus autem ſeruus ille,inuenit vnum de conſeruis ſuis; qui debebat ei centum denarios. Debitum centum denariorum deſignat peccata venialia, atque minora: vt ſunt verba aſpera, ſigna vel opera, quibus prouocari poteſt infirmitas huma-na.

Marginalia (left column): [?] cõtra Decalogũ & inſinuæ malitiæ. — Debitorẽ facit Deo ſoli. — c. Pſal. 50. — Impœnitentem facit peccatũ peccato addere.

Marginalia (right column): At ſi oret veniam accipit. d. Rom. 7. 14. — Adſit autẽ dolor & Confeſſio. e. — Ad Voluntatem nõ peccandi primum acquieſcẽte Deo. — f. Pſ. 31. 5. — Offenſa hominis in hominẽ eſt venialis. ideoq. hoc magis dimitten da

na. Quod ſi ego Deum offendi per adulterium; quid illi debeo, niſi talentum? Si vero frater meus me exaſperauit per verbulum, ſiue ſignū, quid mihi debet, niſi denarium? Et ſi ego illi non dimitto quod minus eſt; quomodo mihi dimittet Deus quod maius eſt? Ipſe enim dicit. g. *Dimittite & dimittemini.*

g. *Luc. 6. 37.*

Deus bonus, homo malus.

Huius verbi ſeruus immemor, *tenens ſuffocauit conſeruum ſuum, dicens: Redde quod debes.* Conſiderate fratres, quanta ſit bonitas Dei ad malitiam noſtram. Ad primam ſupplicationē multa & magna debita ſeruo dimiſit. Qui dimiſſus, miſericordiæ immemor, conſeruum pro modico debito, qui per omnia eadem humiliatione, ſupplicatione, & pollicita ſatisfactione miſericordiam eius implorarat; quã ille ſui Domini: tenuit, ſuffocauit, & incarcerauit.

Ita ibi ſcriptum eſt: *Procidens conſeruus eius rogabat eum, dicens. Patientiam habe in me; & omnia reddam tibi. Ille autem noluit: ſed abiit, & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum.* Hic oriri videtur quæſtio ſatis perplexa. Quomodo dimiſit Deus ſeruo ſuo debitum decem millium talentorum; ſi ipſe non prius dimiſerat conſeruo debitum centum denariorum? Ad quod dici poteſt; quod dimiſerat, vt dimitteretur: & quia ſæpe h. *mors intrat per feneſtras* oculorum; poſtea viſo conſeruo, conſcientiâ per contritionem ſanatâ ſic exulcerata eſt, vt durius dimiſſa repeteret. Ecce exemplum.

Dimittitur nobis vt dimittamus.

h. *Iere. 9. 21.*

Ante paucos annos, in villa quadam diœceſis Traiectenſis, quæ Holchom dicitur; duo ruſtici inter ſe inimicabantur. Qui poſt plenam reconciliationem quaſi amici ſimul nemus ingreſſi, ſuadente diabolo, actum eſt, vt vnus cui nomen erat Hildebrandus, antiquę memor malitiæ, aduerſus alterum inſurgeret, eumque occideret. Propter quod rotali pœna plexus eſt. Cuius immiſericordia ſic motus eſt miſericors Deus; vt voluntatem ei confitendi non concederet: cum tam à ſacerdote, quam ab Aduocato villæ ſatis ad hoc hortaretur. Qui poſt mortem ſacerdoti ſuo apparens, dicebat, ſe carceri infernali & incendijs æternis deputatum, maxime quia contempſerat medicinam confeſſionis. Quia ſeruus iſte nequam egreſſus fuerat à miſericordia, non inuenit miſericordiam.

Exemplum [illegible] fictæ [illegible] mittere [illegible]

Ideoque ſine pœnitentia moriens

Ac damnati.

Per hoc quod dicitur: *egreſſus ſeruus ille*, ſicut exponit Abbas noſter Dominus Hēricus, innuitur eius culpa, vt ſit ſenſus: Egreſſus à Deo per iniuſtitiam, vel à iuſtitia per conceptam malitiam. Sic ſcriptura dicit Cain egreſſum foras à Domino i. quando occidit Abel fratrem ſuum. Sequitur:

Quid ſit: Egreſſus a Domino.

i. *Gen. 3.*

Videntes autem conſerui eius, quæ fiebant, contriſtati ſunt valde: & venerunt & narrauerunt Domino ſuo omnia, quæ facta fuerant. Conſerui noſtri, ſancti ſunt angeli: teſtante Apoſtolo qui ait: k. *Nonne omnes adminiſtratorij Spiritus ſunt: miſſi propter, eos, qui hereditatem capiunt ſalutis?* Ipſi enim circa nos ſunt, ipſiſque commiſſi ſumus. Qui ſicut de ſalute noſtra lætantur; ita

Angeli noſtri conſerui.

k. *Heb. 2. 14.*

&de

Dolent de peccatis noſtris. I.Iſa.33.7.

& de malis noſtris contriſtantur. Vnde in Iſaia: I. *Angeli pacis amare flebunt*. Sic enim de malis actibus noſtris dolent, flent, & contriſtantur, vt gaudium internum quod eis ineſt ex diuina contemplatione, nullatenus in eis minuatur. Qui hominibus nonnunquam apparentes, quantum Deo opera noſtra bona placeant, vel mala, diſpliceant, ipſo vultu manifeſtant. Ex quibus de pluribus vnum ex Vitis Patrum proferam exemplum.

Gaudent de bonis.

Exemplū vnum de vtroque.

Beatæ memoriæ Paulus ſimplex diſcipulus Antonij Magni, cum aliquando veniſſet in monaſterium viſitādi gratia, & ſinguli fratres intrarent eccleſiam ad Miſſas; per acceptam gratiam vidit facies eorum claras & ſplendidas, & vniuscuiuſque angelum gaudentem cum eis. Ex quibus vnum tamen contemplatus eſt nigrum & obſcurum corpore toto; & dæmone. ex vtraque parte eum tenentes atque trahentes ad ſe ipſos, capiſtro in naribus eius miſſo: ſanctum vero angelum delonge lugubrem triſte ; que ſequentem eum. Quo viſo, cum lacrymando pectus tunderet; nec tamen fratribus inquirentibus tunc cauſam exponeret: poſt Miſſam omnibus exeuntibus vidit eundem prius nigrum & obſcurum exire de eccleſia clarum quidem vultu, candidum corpore: dæmones autem, qui eum ante tenebant, poſtea delonge ſequentes: ſanctum vero angelum iuxta ipſum ambulantem, lætum, & propinquum, & gaudentem ſuper eum valde. Paulus vero hæc videns exiliuit gaudens, & Deum benedicens: fratribusque conuocatis rem per ordinem omnibus recitauit. Intellexerat enim tum ex diuina reuelatione, tum ex ipſius hominis confeſſione; quod gementi, confitenti, & ſatisfactionem pollicenti miſericors Dominus multa milia talentorum dimiſiſſet. Vixerat idem homo multo tempore in fornicatione.

Quod angeli ſancti opera noſtra bona nuncient Domino, exemplum habemus in Tobia de Raphaele Archangelo. Quomodo autem peccata noſtra narrant Domino, exemplum non occurrit; niſi forte eorum narrare intelligamus hoc ipſum, quod illorum ſuggeſtioni non obeditur. Deum enim nihil latet. Sicut vbique eſt per eſſentiam: ita & per cognitionem.

Bona Deo nunciant noſtra.

Sancti Angeli non ſunt accuſatores: ſed interceſſores. Sathan vero cum angelis ſuis Apoſtaticis, ſicut Iohannes dicit in Apocalypſi, accuſator fratrum noſtrorum eſt: accuſans illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte. Cui valde placet, cum inter nos accuſationes mutuæ non fiunt, vt ipſe exceſſus noſtros in extremo Capitulo coram Abbate diſtricto & æquiſſimo accuſare poſſit, & proclamare.

Non accuſant de malis. quod hoc ſit dæmonum.

Vnde fratres, in charitate in Capitulo noſtro inuicem nos accuſemus, & cum patientia proclamemus: ne inuidus ille accuſator inueniat, quod in illo generali conuentu contra nos proponat.

Ergo noſtri ſimus accuſatores ipſi.

 Nul-

Et accuſatores mutui in charitate.

Nullus enim fratrum alium de iniuria ſibi illata proclamare debet: ſed propter Deum, cuius ipſe debitor fuit, & eſt fortè, ipſam culpam non ſolum ore, ſed & de corde dimittere: maximè ſi ſe cum verbis ſupplicibus coram ipſo humiliauerit.

At non vindictæ cupidi.

Quod ſi dixerit, non ei ignoſcam, niſi dignè fuerit correctum; etiam prælatum ſua impatientia ad illius afflictionem impellens: quid aliud facere videtur quam conſeruum tenere, ſuffocare & incarcerare? Quid ex hoc ſequatur, quiſquis talis eſt, audiat.

Tunc vocauit illum Dominus ſuus, & ait: Serue nequam: omne debitum dimiſi tibi quoniã rogaſti me. Nõne ergo oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Quemlibet ſuum ſeruum ad rationem reddendam Dominus vocat. Nec licet, vt ait Auguſtinus, vno momento animæ diutius morari in corpore, cùm illam iuſſer exire. O quam terribilis erit hora illa ſeruo malo; in qua ei m. eadem menſura remetietur, qua conſeruis ſuis menſus eſt? Quæ erit illa menſura? n. *Iudicium ſine miſericordia.* Vnde fratres, valde o. *beati ſunt miſericordes* in hoc mundo per meritum; *quia miſericordiam conſequentur* in illa hora terribili per cœleſte præmium.

m. *Luc.* 7. 38. Quia miſericordi fit miſericordia. n. o.

Quod vero Dominus dicit: *omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me:* ſic dictum videtur: quaſi orando meruerit iuſtificari ſeruus ille. Cui obuiat quod ſcriptum eſt. p. *peccatores Deus non audit.* Vnde ita intelligi videtur, vt in procidendo ad pedes Domini, ſit iuſtificatus: ſeque in oratione quaſi iuſtus exauditus. Humilianti ſe dicitur. q. *Humilem ſpiritu ſuſcipiet* gratia. In charitate orantibus: *petite & accipietis.* Acceperat iſte per humiliationem remiſſionem debiti, quantum ad culpam: orando vero quantum ad pœnã: Sicque totum dimiſſum eſt ei. Et quia tantæ gratiæ ingratus extiterat; conſeruum pro debito leuiori tenendo, ſuffocando, & ſine miſericordia carceri mancipando: audite quid ſequatur.

Etiam peccatores audit Deus. p. *Ioan.* 9. 31.

Dimittit culpam humiliantibus, pœnam orantibus. q. *Prou.* 29. 23. r *Matt.* 7. *Luc.* 11.

Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus: quoadvſque redderet debitum vniuerſum. Tortores ſunt dæmones, qui animam ſuſceptam in carcerem inferni detrudunt: illic cum tormentis pœnam exigentes pro peccatis. Exigunt enim a talento vſque ad nouiſſimum quadrantem. Hoc eſt pœnam pro omni mortali vſque ad minimum veniale. Et quia non erit ibi tempus pœnitentiæ, torquebunt miſeram animam ſine fine. Cum Deus ſemper puniat citra meritum; per hoc tamen quod dicitur *quoadvſque reddat vniuerſum debitum:* videtur ei, qui non fecit miſericordiam; iudicium nec non & tormentum fieri ſine miſericordia.

Ingratos atque immiſericordes damnat æternum.

Propter quid ſimilitudinem iſtam præmiſerit, patenter oſtendit cum concludit: *Sic & pater veſter cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* De cordibus, dicit, vt omnem fictam excludat indulgentiam. Quantum Deo placeat vel quantus ex hoc animæ fructus proueniat, ſi homo homini in ſe peccanti, propter Deum dimit-

dimittat; ſubſequens exemplum manifeſtat.

Exemplũ dimittendi ex corde. Nondum annus dimidius elapſus eſt, quod caſus iſte contigit in Hollandia. Tres germani viri, admodum honeſti, ex improuiſo inimicis ſuis occurrerunt. Ex quibus duo mox ab illis occiſi ſunt: tertius vero vſque ad mortem deductus. Qui cum illis abeuntibus adhuc ſpiraret venit ſacerdos: locutus eſt ille, & confeſſus. Cui cum diceret Sacerdos: dimitte occiſoribus tuis; vt Deus qui dicit, *dimittite, & dimittemini*, dimittat tibi peccata tua. Reſpondit ille: Quomodo potero hoc facere? En, vt vides, duos fratres meos iuxta me occiſos intueor: me autem vſque ad mortem vulnerauerunt? Illo cum inſtantia ſuadente, iterum reſpondit. Si mortuus fuero; Deus eis dimittat: Si vero conualuero; ego vindicabo. Cui ſacerdos. Deus præcepit *vt de corde* dimittatur. Et adiecit: Ego tibi dico in veritate, quæ Deus eſt: ſi non dimiſeris eis; mox, vt exſpiraueris, ibis in gehennam. Si vero illis dimiſeris propter Deum, faciens de neceſſitate virtutem: Deus tibi dimittet omnia peccata tua; & eris hæres vitæ æternæ. Ad quod verbum mox homo compunctus, ait: Ego de corde illis dimitto: & ſi Dominus conceſſerit vitam, ego omnes conſanguineos meos & amicos, ne vindicent, quantum potero ſine ſimulatione inducam. Sicque poſt paululum defunctus eſt.

Sicque mortui, at tenuiſcentis, demũ beati. In ipſa hora mortis de caſtro vicino magna claritas ſuper caput eius viſa eſt. Et ecce, poſt horam anima ad corpus reuertente; loqui cœpit homo ad circumſtantes, & teſtificari, quam ſalubre ſit ignoſcere inimicis. Deputatus, inquit, eram pœnis infernalibus; ſed quia occiſoribus meis dimiſi ex corde culpam: cum tamen me vindicare non poſſem; Chriſtus ocyus me recipiet in æternam quietem. Idcirco enim redire permiſſus ſum vt iſta vobis intimarem: & vt ſciatis vera eſſe, quæ dixi: ecce, mox morior, & paradiſi ianuas ingredior. Quod & factum eſt. Hæc mihi relata ſunt â magiſtro Iohanne Abbate ſancti Trudonis, qui eodem tempore crucem in partibus illis prædicauit.

Epilogus. Quia iam ſatis probatum eſt tam ſententijs, quam exemplis; quam ſit periculoſum iniurias vindicare, ſiue rancorem in corde ſeruare: quam vt ſe etiam propter Chriſtum vtrumque dimittere; ſtudeat vnuſquiſque noſtrum, non ſolum fratri ſed & omni homini in ſe peccanti dimittere, vt coram ſuperno iudice de peccatis ſuis rationem redditurus dicere poſſit: Ecce Domine, impleui, quod iuſſiſti: redde nunc quod promiſiſti. Tunc illa merces repenſabitur, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quam præparauit Deus diligentibus ſe. Amen.

HOMILIA MORALIS DE eadem lectione.

Sermo XXIX. S*imile eſt regnum cælorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis.* Et reliqua.

SI regnum cœlorum intra nos eſt; conſtat, quòd ea, quæ ſuperius dicta ſunt de Chriſto, & Eccleſia, diuerſiſque perſonis Eccleſiæ, in vna perſona concurrere, & de ipſa poſſint exponi. Vnde & de pluralitate ad ſingularitatem tranſit dicens: *Et cum cœpiſſet ponere, oblatus eſt ei vnus qui debebat decem millia talentorum*. Duobus modis, fratres dilectiſſimi, efficimur debitores Dei. In baptiſmo per fidem; peccando per culpam. De vtroque debito CHRISTVS in extremo iudicio ponet nobiſcum rationem. De collatis donis exigit vſuram, id eſt, virtutum operationem: de illicitè commiſſis vel omiſſis, infligit pœnam. *Reddet vnicuique ſecundum opera ſua.*

Debitores ex baptiſmo, & ex culpa.

a Apo. 22. 12.

Igitur poſiturus rationem cum ſeruis ſuis rex, quid dicturus eſt debitori bono? b. *Serue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis; ſuper multa te conſtituam: intra in gaudium* Domini tui. Malo debitori quid dicet? *Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi: quoniã rogaſti me. Nonne oportuit te miſereri conſerui tui; ſicut & ego tui miſertus ſum?* Deinde quid ſequitur? *Tradet eum tortoribus*, id eſt, dæmonibus; *quo aduſque reddat omne debitum*; id eſt, plenam pro peccatis recipiat pœnam.

Bono præmiũ nequã tortura dabitur.

b Mat. 25. 25.

Et valde ſollerter conſideranda eſt ſumma debitorum: quare videlicet Dominus in debito ſerui ſui ponat numerum decem milium talentorum; & in debito conſerui ſummam centum denariorum. Duo currus inueniuntur in diuinis ſcripturis ſibi inuicem omnino contrarij & oppoſiti. Currus Hebræorum; & Currus AEgyptiorum. Primum regit Moyſes, id eſt, Chriſtus: ſecundum Pharao, id eſt, diabolus. Sed currus Chriſti igneus eſt, c. & leuat animam ad cœlum ſurſum: currus Pharaonis plumbeus eſt trahens animam ad infernum deorſum. In curru Chriſti, quatuor rotæ ſunt, iuſtitia ſcilicet, prudentia, fortitudo, temperantia. Equi vero, currũ trahentes, tres ſunt virtutes capitales, id eſt, fides, ſpes, & charitas. In curru diaboli quatuor rotæ ſunt: acedia, auaritia, gula, luxuria. Equi autem, ſuperbia, ira, inuidia.

Numerus vtriuſque debiti myſticus.

Notandi currus duo

c 4. Reg. 2. 11

Chriſti.

Et diaboli.

Quilibet horum curruum d. *decem milium multiplex*. In curru Dei propter obſeruationem decalogi vniuerſitas eſt virtutum; in curru vero diaboli ob præuaricationum malum, innumerabilis adhæret turba vitiorum per millenarium deſignatorum. Millenarius vniuerſitatis eſt numerus, omnium numerorum terminus.

d Pſal. 67. 18.

Numerus decem milium quid.

In hoc numero decem milium egregium adhuc elucet ſacramentum, per quod & cognoſceretur, quo ordine anima obligetur debito tot talentorum. Denarius vero componitur ex duobus quinarijs: qui per ſe multiplicatus ſurgit in centenarium. Qui ſi in ſeipſum multiplicatus fuerit, ex ſe decem milia gignit. Sicque de medio ex multiplicatione emergit numerus vnus, id eſt, centenarius. Primus

Alia interpretatio Protaſis.

mus quinarius repræſentat ſenſualitatem, propter quinque ſenſus exteriores: ſecundus quinarius rationi congruit, ob quinque ſenſus interiores.

Apodoſis. ſenſuū exteriorum peccata ſūt venialia: at interiorū mortalia.

Debita talentorum peccata ſunt. 1. Quamdiu enim peccatum tenetur infra quinarium ſenſualitatis; iudicatur veniale; 2. cùm verò terminos eius tranſcendens in ratione per conſenſum moram fecerit, iudicatur mortale. Vt dicunt doctores, 1. moroſa delectatio; cùm ratio dicit, quod mala ſit; & non repellitur, cùm poſſit repelli; mortalis eſt. 2. Cùm delectationi conſenſus iungitur; quaſi ex duobus quinarijs denarius perficitur. Rurſus denarius centenarium gignit, cùm conſenſui opus accedit. Item quaſi decem millia multiplicando procedunt ex centenario; cum operi malo peccandi ſuccedit conſuetudo. Ecce tres mortui quos Dominus legitur ſuſcitaſſe in Euangelio: videlicet e. in domo, in f. porta, in g. ſepulchro. Denario igitur anima obligatur per conſenſum; centenario per actum; millenario per conſuetudinem.

Nota gradus peccatorum mortaliū.

e Matt. 9. 24.
f Luc. 7.12.
g Ioan. 11. 43.

Talis aliquando offertur Domino per morſum conſcientiæ: à quo iubetur venundari cum vxore & filijs, debitumque vniuerſum reddere, id eſt, pro peccato pœnam ſuſcipere. Virum verò, rationem; vxorem, ſenſualitatem; filios, motus ex his ſurgentes intelligamus. Quæ omnia ſeruituti ſubijciuntur, dum peccatum peccato punitur. Quod Deus peccatum peccato puniat, audi Apoſtolum. h. *Et ſicut*, inquit, *non probauerunt Deum habere in notitia: tradidit illos Deus in reprobum ſenſum*, & cætera.

Supremus eſt, peccatum peccato puniri.

h Ro. 1.28.

Sed quid fecit ſeruus ille? *Procidit ad pedes Domini*, per timorem ſeruilem; *orans eum* per operis abſtinentiam. Et quid orauit? *Patientiam habe in me*, per gratiæ infuſionem: *& omnem debitum reddam tibi*, per liberi arbitrij appoſitionem; quia per motum, ex his duobus ſurgentem, merebor contritionem cordis; per quam, quantum ad delendam culpam, tum recipies ſatisfactionem, & ego remiſſionem.

Via tamen reſipiſcendi eſt.

Notum eſt, quatuor eſſe iuſtificationes animæ, quæ ſimul inſunt tempore; licet vna alteram naturaliter præcedat. *Prima* eſt gratiæ infuſio. Hanc non meremur; nec ea meremur. *Secunda* eſt motus ſurgens ex gratia & libero arbitrio. Hæc eſt denarius compoſitus ex geminato quinario. Hanc non meremur; ſed ea meremur cordis contritionem, tanquam centenarium per denarij multiplicationem. Per *tertiam* iuſtificationem, id eſt, contritionem cordis, meremur *quartam*, ſcilicet remiſſionem peccatorum, tanquam decem millia talentorum. ſed ea nihil meremur; quia penes contritionē merendi vis conſiſtit.

Per quatuor iuſtificationes. 1. Gratia infuſa eſt. 2. Cooperatio arbitrij 3. Cōtritio 4. Remiſſio.

Ducimur tamē per illam ad millenarium, ſcilicet numerum finitū, id eſt, vniuerſitatem virtutum: & hoc quantum ad habitum. Sicque cur-

Contritio mergit vitia.

currus Pharaonis cum exercitu decem milliũ vitiorum à curru Chriſti, qui decem milibus multiplex eſt, id eſt, perfectione virtutum fertur in profundum. Hinc Dauid loquitur ad Chriſtum i. *Cadent à latere tuo mille, & decem milia à dexteris tuis*. In cuius typo k. Dauid decem milia percuſſiſſe legitur in milibus ſuis, id eſt, vniuerſa vitia virtutibus ſuis.

i *Pſal. 9 7.* k *1. Reg. 18 7.*

Multum nos terrere debet exemplum huius nequam. Immemor tantorum beneficiorum, id eſt, decem milium talẽtorum ſibi dimiſſorum, conſeruum, centum denariorum ſolummodo debito ſibi obligatum, tenuit, ſuffocauit, & incarcerauit. vnde non immerito immiſericordẽ finali charitate priuauit Dominus; gratiam, per quam ſatisfacere poſſet, non apponendo. Per talem ingratitudinem omnia reuertuntur peccata, quæ prius ſibi gaudebat dimiſſa, non ſolum actualia; ſed, vt Autoritas dicit, etiam originalia, Per quæ traditur peccator in præſenti nonnunquam paſſionibus l. ignominiæ; vel morſui peſſimæ cõſcientiæ; & in futuro æternaliter cruciandus tradetur miniſtris gehennæ.

At relapſus in peccatũ reducit quaſi peccata dimiſſa.

l *Ro. 1. 26.*

Denarius verò, quia inſignitur ſimilitudine Regis, peccatum exprimit veniale: cuius debito anima non recedit à Dei ſimilitudine. Talentum vero, quod ponderoſum eſt, & ſine forma, mortale peccatum deſignat; quo anima ſimilitudine totius Trinitatis, ad quam facta eſt, ſecundum virtutes ſe priuat.

Quare autem centum ponat denarios; illa ratio poteſt aſſignari.

Non dimittenti nõdimittitur.

Centenarius duos habet quinquagenarios: qui numerus propter iubilæum remiſſionem ſignificat peccatorum. Si frater in fratrem peccauit, & ille ei rancorem de corde, & ſigna rancoris, culpam ſcilicet, & pœnam dimiſerit; quaſi quinquagenarium duplicatum illi impendit. Quod ſi nõ dimiſerit, quod modicum eſt, & veniale; nec illi Deus dimittet non dico mortale; ſed nec minimum veniale. Quotidie clamamus in oratione Dominica: *dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Quod ſi non dimittimus; ore proprio nos condemnamus, & ad damnationis cumulum peccatorum talenta multiplicamus. Propter quod remittamus de cordibus; vt & pater cœleſtis remittat nobis, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui cum eo, & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Et vice verſa.

DOMINICA VICESIMA QVARTA POST PENTEC. ſecundum Matthæum, CAP. 22.

IN illo tempore: *Abeuntes Phariſæi inierunt conſilium, vt Ieſum caperent in ſermone.* Et reliqua.

Sermo XXX.

HOMILIA DE EADEM lectione.

De odio phariſaico in Chriſtũ. De veritate quadruplice.

VErba captioſa, necnon & inſidias multifarias Scribarum atque Phariſæorum in Saluatorem S. Iacob patriarcha benè in ſpiritu ſancto præuiderat; quando moriturus omnes filios ſuos congregauit, & quid

& quid eis, ſiue de eis futurum eſſet, ſpiritu prophetico prædixit. à

a. Geneſ. 49. 1.

Congregamini, inquit, *& audite filij Iacob: audite Iſrael patrem veſtrum. Congregamini, vt annunciem, quæ ventura ſunt vobis diebus nouiſſimis.* Cumque veniſſet ad Symeon & Leui, malitiam ſeminis eorum deteſtans ait: *Symeon & Leui vaſa iniquitatis bellantia: in conſilium eorum non veniat anima mea: & in cœtu eorum non ſit gloria mea. Quia in furore ſuo occiderunt virum. & in voluntate ſua ſuffoderunt murum. Maledictus furor eorum; quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura.* De Symeone orti ſunt Scribæ: de Leui vero ſacerdotes & phariſæi: quorum inſtinctu & conſilio Chriſtus occiſus eſt.

Origo & maledictio Scribarum & Phariſæorum.

Iudæorum acerbitas in IESVM.

Ipſe eſt vir & ſponſus Eccleſiæ: quem bene in ſpiritu Zacharias vidit, & agnouit, cum ait. b. *Ecce Vir Oriens nomen illi.* Ipſe eſt murus & antemurale eccleſiæ: ſecundum illud Iſaiæ: *Vrbs fortitudinis noſtræ Syon Saluator ponetur in ea murus, & antemurale.* Ieſus enim Saluator interpretatur. Quam pertinax fuerit furor eorum, & indignatio quam dura; vt virum hunc in verbo vel in facto caperent, ipſumque murum fortiſſimum per mortem deijcerent, non ſolum ex præſenti loco, vbi cum Herodianis diſcipulos ſuos mittunt perpenditur: ſed ex alijs locis plurimis; maxime tempore paſſionis, quando multa falſa teſtimonia contra eum propoſuerunt, vt morti traderent, ſicut & fecerunt. Notate quid dixerint, vel quid in ore diſcipulorum poſuerint.

b. Zach. 6. 12.

c. Iſa. 26. 1.

Magiſter, inquiunt, *ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces; & non eſt tibi cura de aliquo? Non enim reſpicis perſonam hominum. Dic ergo nobis: Quid tibi videtur? Licet cenſum dari Cæſari, an non?* Laudatio fraudulenta; & interrogatio deceptoria. Accuſat vos, ò Phariſæi, præſentia Herodianorum. Intentio veſtra fuit, vt, ſi diceret, cenſum Cæſari non eſſe dandum: mox Herodis ſatellites quaſi reum maieſtatis tenerent, & tanquam murum inualidum tormentis impingerent atque deijcerent. Quod ſi cenſum Cæſari dandum indicaret: à vobis vanus, irreligioſus, & abſque Dei timore iudicaretur. Attamen non quid iniqui intenderint; ſed quid de Chriſto dixerint, conſideremus.

Intentio q. captionis.

Magiſter, aiunt, *ſcimus, quia verax es*, & cætera. In quatuor ſpecialiter his verbis ab inimicis ſuis Chriſtus commendatur: videlicet, quia verax fuerit in cõmuni locutione verus in prædicatione contẽptor munerum: & ſine omni acceptione perſonarum. Quatuor iſta in quolibet homine, Prædicatore maximè, valde ſunt rationabilia. Quod Dominus nõ ſolum in doctrina ſua; ſed & in verbis communibus verax fuerit, ipſe ſibi teſtis eſt cum ait. d. *Cælum & terra tranſibunt; verba autem mea non tranſibunt.* Quam vera, immo quam ſalutifera eius fuerit doctrina; iterum ipſum audiamus. *Verba*, inquit. *quæ ego loquor, Spiritus ſunt vita.* 3. Quod nulla illi cura fuerit vel de re temporali, ſiue de commodo corporali; ſatis oſtendit, cum regnum oblatum fugit; f. paupertatem diuitijs præferens. 4. Et qui ſcribas, Phariſæos, &

Verax Chriſtus in quatuor

d. Mat. 24. 35.

e. Ioan. 6. 36.

f. Ioã. 6. 5

Iudæorum pontifices tam durè arguit; conſtat, quod perſonarum acceptio in illo nulla fuit.

Homines autẽ mendaces vel in doctrina. Quidam vero in communi ſermone ſatis ſunt veraces: ſed in doctrina mendaces. Quod dicunt, dicere intendunt: quæ promittunt, ſoluunt: ſed vera non prædicant. Tales ſunt quidam hæretici, de quibus dicitur: g. *caupones veſtri miſcent aquam vino*. Vt efficacius decipiant, vera falſis immiſcent. Alij

Vel in Sermone. verò econtra, vera docent, hæreſim abhorrẽtes: ſed in verbis communibus ita ſunt inconſtantes; vt, quicquid dicant vel promittant, non eis credatur. Hi non conſiderant ſcripturam dicentem: h. *os, quod mentitur, occidit animam*. Item i. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*. Alij autem in vtroque, ſermone ſcilicet communi, & doctrina admodum veraces ſunt: ſed ita auari, vt vel vera loqui, ne munere priuentur, diſſimulent; vel placida prædicent. His per Apoſtolum Iudam dicitur: k. *Væ bis, qui in viam Cain abierunt, & errore Balaam mercede effuſi ſunt*. Item Iſaias. l. *Væ, qui iuſtificatis impium pro muneribus*. Sunt etiam nonnulli qui & vera loquuntur, & vera prædicant, auaritiam execrantes; ſed ita puſillanimes atque perſonarum acceptores, vt illarum amore, ſeu timore ſæpe deſerant viam iuſtitiæ. Quibus per Apoſtolum Iacobum dicitur. m. *Fratres mei, nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Ipſe enim Dei filius n. ad filium reguli rogatus non venit; ne diuitias honorare videretur; ad ſeruum centurionis o. vltrò venire, ſe obtulit.

h Sap. 1.11 — i Pſal. 5.7 — Vel auari ſunt. — k Iud. 1. — l Iſa. 5.23. — Vel acceptores perſonarum. — m Iac. 2. — n Io. 4.46 — o Luc. 7.3

Sicut fecit, ita & docuit. Docuit viam Dei in veritate. Docuit viam, per quam Deus venit ad hominem: docuit viam, per quam homo venit ad Deum. Via, qua Deus venit ad cor, fides eſt: via, per quam homo accedit ad Deum, bona vita eſt. Ipſa eſt via anguſta, p. quæ ducit ad vitam. Via Dei ipſe Dominus Chriſtus dicitur. Hanc docuit; cum ait. q. *Ego ſum via, veritas, & vita*. Via in exemplo: quia exemplum bene viuendi nobis tribuit. Veritas in promiſſo: quia ad cognitionem æternorum perducit. Vita in præmio: quia ſeipſum in futuro nobis dabit. Docuit viam mandatorum tutam, & bonam, cùm ait ad quendam. r. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*. Dicente illo: *quæ?* reſpondit: *Non occides, non adulterabis, non furtum facies*, & cætera. Quem & viam anguſtam docuit, atque meliorem, cùm ſubiunxit: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus; & veni, ſequere me. Cum audiſſet adoleſcens verbum, abiit triſtis*. Vnde enim poterat per tam anguſtam viam & arctam ambulare? Viam Dei in veritate docuit; quia quod verbo dixit, opere oſtendit. Hoc Scribæ & Phariſæi non fecerunt. *Dicunt & non faciunt*. Nunc aduertite fratres, quorſum illorum interrogatio tendat.

Viam Dei docet Chriſtus. — p Mat. 7. 14. — q Ioa. 14. 6. — r Mat. 19. 17.

Dic nobis, inquiunt, *quid tibi videtur? Licet cenſum dari Cæſari, an non? Cognita autem Ieſus nequitia illorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ?*

pocrita? Quia nos puri homines ſumus; ſæpe decipimur. *Ieſus vero*, cuius ſapientia increata s. *attingit à fine vſque ad finem*, falli non potuit. Quia dolum ſub forma ignorantiæ, quaſi cuprum ſub fulgore auri celabant; illos hypocritas iuſte, illos ſub vel ſuperauratos vocauit.

s *Sap.* 8. 1.

Et vt competentius per reſponſionem eorum ſatisfaceret interrogationi, ſubiecit: *Oſtendite mihi numiſma cenſus*. At illi obtulerunt ei denarium. Numiſma cenſus decem denarijs vſualibus reſpondebat. Et ait illis IESVS: *Cuius eſt imago hæc & ſuperſcriptio? Dicunt ei, Cæſaris*. Cauſa interrogationis ſupra expoſita eſt. Tunc ait illis: *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*: id eſt, quæ debentur à vobis Cæſari, ſcilicet tributum, vectigal, & ſeruitium. *& quæ ſunt Dei Deo*, id ex, ſacrificia, decimas, & oblationes. Huius mandati auctoritate Apoſtolus Paulus Romanis ſcribit dicens: t. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui honorem, honorem: cui timorem, timorem. Nemini quicquam debeatis; niſi vt inuicem diligatis*. Superius dixerat: *Non eſt poteſtas, niſi à Deo. Ideo ex neceſſitate ſubditi eſtote. Non ſolum propter iram: ſed propter conſcientiam*. Ideo enim & tributa præſtatis. Et ne quis hoc facere erubeſceret, ipſe Dei filius u. pro ſe tributum ſoluere dignatus eſt.

u *Mat.* 17. 26.

Exemplū dantium tributum.

Cuius exemplo duo ſanctiſſimi ſenes, vt legitur in Vitis Patrum, de Eremo ad Dominos ſuos carnales, quorum ſerui erant originarij, deſcendentes, cenſum capitum ſuorum deferebant. Quem cum illi recipere recuſarent, dixerunt; quia ſi non reciperent cenſum debitum, quod à ſeruitio Dei recederent, atque ad ipſorum obſequium redirent. Quibus & gratias maximas egerunt, quod Deo ſeruire permitterentur. Non enim ſeruis ſine licentia dominorum ſuorum ad religionem tranſire licet. Quod ſi fecerint, poterunt eos reuocare.

At hodie trāſitus ad religionē ipſe emācipat mancipium.

Per hoc autem, quod Dominus primum dixit: *reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari*: ac deinde: *quæ ſunt Dei Deo*: quaſi anteponens imperiale ſeruitiū diuino; puto quandam conſuetudinem, quæ valde ſolemnis eſt, in ſancta Eccleſia inoleuiſſe. Quando aliqui promouentur in Pontifices ſiue in Abbates imperiales, primum tenentur recipere ab Imperatore Regalia, quàm à Papa ſiue Epiſcopis ſpiritualem, id eſt, conſecrationem epiſcopalē. Quod ſi contrarium fecerint, multum poterunt a Regibus grauari. Quia Dominus Albero Treuerenſis Archielectus à Domino Papa Eugenio Leodij conſecratus eſt, antequam recepiſſet Regalia; Conradus rex Romanorum eidem poſtea regalia negauit. Cui cum multa difficultate reconciliatus eſt.

Nos vero fratres, vt noſtis, telonia & vectigalia ſoluimus, & bene nobiſcū ageretur, ſi hi qui à Cæſare illa tenēt, quæ ſunt Cæſaris tantum exigerent; & non raperent aliena. Quæ autem Dei ſunt, id eſt, cordis deuotionem, orationes, celebrationes Miſſarum, Cantica ſpiritulia,

Sſ 2 Pſal-

Pſalmodia, & alia quæcunque Deo vouimus, & ex Ordine facere tenemur; Deo cum multa alacritate purè ac deuotè reddamus: vt denariū cæleſtis præmij, quem ſuis operarijs per vnigenitum filium repromiſit; læti accipere mereamur. Quod nobis præſtare dignetur ipſe Ieſus Chriſtus Dominus noſter; cuius regnum & imperium permanet in ſæcula ſæculorum. Amen.

DOMINICA VICESIMA QVINTA POST PENTEC.

Secundum Iohannem, CAP. 6.

IN *illo tempore: Cum ſubleuaſſet oculos Ieſus & vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes vt manducent hi?* Et reliqua.

HOMILIA DE FESTIVITATIBVS TOTIVS ANNI

De eadem lectione.

Sermo XXXI. LECTIO præſens ſancti Euangelij quam explanandam ſuſcepimus; etiam in quarta Dominica Quadrageſimæ legitur. Eſt enim eadem; paucis admodum verſiculis in capite ſubtractis. Et quia ibi pro modulo noſtro expoſita eſt; hic exponi minus indiget.

Attamen ne Homilia carere videatur; ſermonem, quem ad petitionem cuiuſdam venerabilis ſacerdotis edidimus; cuius thema de præſenti lectione ſumptum eſt, loco homiliæ ei iungemus.

Occaſio ſequentis tra- Petiuit enim, vt tale thema quæreremus de panibus, vnde ſermo fieri poſſet, qui omnibus ſole[illegible]tatibus totius anni æquè co[illegible]ru[illegible] [illegible] licet difficile videretur, importunitate tamen illius victi, & Chriſti gratia adiuti, duos Sermones ſuper vnum thema edidimus allegoricè primum: moraliter ſecundum. ctatus de Panibus.

PROLOGVS.

A*Ccepit Ieſus panes, & cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus*. Vt verbis loquar Iſaiæ, fratres dilectiſſimi: a. *non ſum medicus, & non eſt panis in domo mea, qui mihi & vobis ad veſcendum ſufficiat*. Vnde tot panes in eremo? Locus cordis mei deſertus eſt; magis germinans vepres vitiorum; quàm frumentum diuinorum eloquiorum. Sedetis; ieiunatis; expectatis. Sedetis humiliter; ieiunatis ſalubriter: expectatis reuerenter. ita vt vobis adaptari videatur illud Hieremiæ: b. *paruuli petierunt panem, & non erat qui eis frangeret*. Paruulos vos dixerim, non corporis ætate, non membrorum quantitate, non ingenij capacitate: ſed ſola mentis puritate, ſimplicitate, humilitate.

a Iſa. 3. 7. Extenua[illegible] t[illegible]o ſui pro teplicia.

b Thre. 4. 4.

Quid igitur faciam? *Panes non habeo.* & vos ieiunos dimittere pertimeſco. Quare? Ne forte aliquis veſtrū deficiat in via. Ita Deus dicit: *Frange eſurienti panem tuum.* Et alibi. c. *Mitte panem tuum ſuper transeuntes aquas: & poſt multa tempora inuenies illum.* Ipſe eſt panis ſacræ ſcripturæ; qui tunc eſurienti frangitur, cum per ſpiritualem intelligentiā eius ſoliditas ſtudioſis auditoribus aperitur.

Operis ſubeundi iuſſio innuitur.

b Iſa. 58. 7
c Eccl. 11. 1

Hunc panem quotidie paruuli petunt in eccleſia dicentes: *Panem noſtrum* Itemque petuo.

noſtrum quotidianum da nobis hodie. Ipſius enim, Chriſti ſc licet, eſt panes benedicere & frangere: noſtrum vero, quibus officium prædicationis iniunctum eſt, ab ipſo benedictos & fractos vobis apponere: veſtrum autem, appoſitos comedere.

Perſuaſio à fructu.

Et commederunt & ſaturati ſunt. d. *Omnis enim ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad audiendum.* Vnde Dominus. e. *Beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud,* ex auditu fructum facientes. Et quid eſt fructum ex verbo facere; niſi per meditationem verbi alijs audita intimare, vel opere demonſtrare? Hæc ſunt fragmenta, vel reliquiæ, quæ ſuperauerunt manducantibus. His etiam cibus creſcit in ore; qui ex paucis, quæ audiunt, nouerunt multa cogitare.

Aſſenſio.

. Fragmenta iſta in cophinis duodecim, vel ſeptem, colligenda ſunt, ne pereant: quia in perfectorom cordibus, quæ ibidem Deus per inſpirationrem multiplicat, per memoriam reſeruanda ſunt, ne per obliuionem pereant.

Propoſitio tractatus de xv. panibus Euãgelicis.

Quinque temporibus legitur in euangelio panes accepiſſe in manus ſuas Saluator: e. primo quinque ſimul, f. deinde ſeptem ſimul g. vnum in cœna. h. poſt reſurrectionem in Emaus vnum i. Item ad mare Tyberiadis vnum. Qui ſimul collecti faciunt panes quindecim. Quid iſti quindecim panes ſignificent, quidve panum nnmerus in ſe ſacramenti contineat, Spiritus ſanctus ipſe nobis adaperiat.

e *Mat.* 14. 17. f *Mat.* 15. 36. g *Mat.* 26 h *Lu.* 24. 30. i *Ioã.* 21. 9

Myſteriũ quindenarij.

Quindenarius valde inſignis eſt. tum ex aggregatione, tum ex compoſitione. Qui ſi cum ſuis omnibus partibus continuis aggregatus fuerit; in centum viginti ſurgit. k. Super tot homines in Pentecoſte ſpiritus ſanctus deſcendit. Septenarius pertinet ad vetus Teſtamentum, propter ſabbatum: octonarius verò ad nouum, propter reſurrectionem Dominicam. Hinc Salomon dicit. l. *Da partes ſeptem, necnon & octo.*

k *Act.* 1. l *Eccl.* 11. 2.

xv. Solennitates Ciſtertienſiũ

Bene noſtis, fratres, quindecim eſſe præcipuas, & generales ſolennitates in Eccleſia: videlicet 1. Aduentum Chriſti 2. eius Natiuitatem. 3. Epiphaniam. 4. Purificationem. 5. Annunciationem. 6. Feſtum Palmarum. 7. Paſcha. 8. Aſcenſionem. 9. Pentecoſten. 10. Natale Sancti Benedicti Abbatis. 11. Natiuitatem ſancti Iohannis baptiſtæ. 12. Paſſionem Apoſtolorum Petri & Pauli. 13. Natiuitatem ſanctę Dei Genitricis Mariæ. 14. & illius Aſſumptionem. 15. Feſtumque omnium ſanctorum.

Capitulares.

In his quindecim ſolennitatibus ſermones habentur in Capitulis ordinis noſtri: & franguntur nobis panes verbi Dei. Quid enim dixerim ipſos ſanctos, Chriſtum ſcilicet & eius membra, niſi panes? Dum in illorum feſtiuitatibus autoritate ſcripturæ diuinæ, de ipſis à prophetis editæ, exponuntur, quaſi panes paruulis franguntur?

xv. genera panum in V. T.

In lege, & prophetis quindecim panum genera reperiuntur, per quæ quindecim prædictæ ſolennitates ſatis exprimuntur. Sunt ibi *panes triticei: hordeacei*: panes etiam 3. *laici* 4. *Leuitici.* 5. *Sacerdotales cocti in clibano,* 6. *frixi in ſartagine*: panes 7.

azymi: panes 8. *fermentati*: panes 9. *primitiarum*: 10. *cruſtula*, 11. *lagana*: 12. *collyridæ*: 13. *ſimila cocta*: 14. *item panes ſimilæ* de quibus ſcriptum eſt: *Fundes ſuper ſimilam oleum & thus.* 15. panes etiam *ſubcinericei*.

Differentia eorum ſeptẽplex.

Septiformis diſtinctio in his panibus inuenitur. Differunt enim in colore, in ſapore, in odore, in formatione, in coctione, in oblatione, & in dignitate. Differunt, inquam, in colore: quia panes triticei hordeaceis viſu ſunt candidiores. In ſapore, quia guſtu dulciores: in odore, quia olfactu alij alijs ſuauiores. In formatione, quia quidam vt cruſtulæ, rotundi; alij, vt collyridæ, trianguli: alij, vt lagana, tenues & lati. In decoctione, quia alij in clibano, alij in craticula, alij frigebantur in ſartagine. In oblatione, quia quidam, vt ſimila, offerebantur oleo liti & cum thure: alij non ſic, vt panes primitiarum. Differebant etiam in dignitate: quia panes Leuitici dignitate præcedebant panes laicos: & panes ſacerdotales erant ſuper panes Leuiticos. Diuerſitas iſta fiebat ex præcepto Domini. neque hoc ſine cauſa. Latebat enim ibi veritas ſub vmbra.

Chriſtus eſt panis.

Chriſtus vero ipſe eſt panis verus, & viuus: panis reficiens, & in ſe nunquam deficiens. Ipſe panis eſt eſt in vtraque natura, diuina ſcilicet, & humana. De diuinitate ſua dicit n. *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi.* De humanitate autem: *panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita.* n. Ioan. 6.

Sed alius atque alius

Ipſe vero Dominus Chriſtus panis fuit in aduentu ſuo nondũ natus triticeus: in natiuitate hordeaceus: in epiphania panis laicus: in Purificatione panis Leuiticus: panis ſacerdotalis in pontificum perſecutione: panis de clibano in annuntiatione: panis de ſartagine in paſſione: panis de craticula in reſurrectione: panis fermentatus in aſcenſione: panis primitiarum in ſancti ſpiritus miſſione. Ecce quam multifarie multiſque modis panis iſte diuinus de terra noſtra per naturæ humanæ ſuſceptionem ortus, conficitur, formatur, excoquitur.

Ob noſtrã infirmitatem.

Et hoc miſericorditer factum eſt pro diuerſorum infirmitatibus: vt qui non potuerit de vno edere, reficiatur de altero. Magis ſaporis, id eſt, deuotionis, vt nouit charitas veſtra, ille concipit in annuntiatione, ille in reſurrectione, alius in aſcenſione ipſius Domini, atque alius in aduentu Spiritus ſancti; ſicque de cæteris.

Mutationes panis ſeu Chriſti variæ.

De huius viuifici panis colore, ſapore, odore, formatione, decoctione, oblatione, ſeu dignitatis prærogatiua plurima ſuppetunt teſtimonia. Variatur nobis *in colore*: quia in morte pallidus, & liuidus: in reſurrectione ſplendidus & glorioſus. Vnde Eccleſia in Canticis canticorum. m. *Dilectus meus candidus & rubicundus.* (m. Cant. 5. 10.) 2. *In ſapore*: quia amara eſt nobis memoria paſſionis: & dulcis valde gloria reſurrectionis. Hinc rurſus voce ſponſæ dicitur. n. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* (n. Ca. 1. 13.) 3. De *dulcedine* vero reſurrectionis mox ſubiungit. *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Myrrha moriendo; botrus reſurgendo. 4. Si

mi

militer ſentiendum eſt *de odore.* quia o. *alijs factus eſt odor vitæ in vitam: alijs odor mortis in mortem.* p. *Poſitus eſt* enim *in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſrael.* Cuius ſalutiferum odorem Iacob præſentiens, & prophetiæ ſpiritum naribus hauriens, exclamauit cum voce admirationis dicens. q. *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus!* Mutatus eſt nobis etiam *in forma:* quia breuis & modicus in præſepio: extenſus & tenuis in crucis patibulo. *In coctione* autem: quia aliter coctus eſt in clibano veteri virginalis: atque aliter in ſartagine crucis. *In oblatione* vero: quia cum hoſtijs legalibus oblatus eſt in Purificatione; cum tormentis, ſanguine, & opprobrijs in paſſione: cum triumpho, & gloria in aſcenſione. 8. Mutatur etiam nobis *in dignitate.* quia celebrior eſt eius natiuitas circumciſione: & reſurrectio Purificatione. Reliqua vero genera panum eius membris conueniunt.

o. 2. *Cor.* 2. 6. — p. *Luc.* 2. — q. *Gen.* 27. 27.

IN ADVENTV DOMINI

Dominus ac Saluator noſter *Ieſus Chriſtus* in aduentu ſuo (vt aduentum intelligamus omne tempus, quo in lege promiſſus expectabatur:) panis erat triticeus. nec hoc ſine cauſa. Triticum enim omnem ſpeciem frugum candore, guſtu, & odore præcellit. Vnde & per ſignificationem ſpecies hæc frumenti repromiſſa eſt ciuibus Ieruſalem cœleſtis. Vnde in pſalmo. a. *Qui poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te.* Frumentum triticum eſt. Huius ſeminis grano ſe Dominus comparat in Euangelio dicens. b. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit: ipſum ſolum manet.* Quid igitur, fratres, Chriſto candidius, ſuauius, fragrantius? Nihil omnino. d. *Ipſe ſpecioſus forma præ filiis hominum.* e. *Panis viuus qui de cœlo deſcendit.*

I. Panis triticeus. — a. *Pſal.* — b. *Ioa.* 12. 24. — d. *Pſal.* 44. 3. — e. *Ioan.* 6.

Effectus eius.

Cuius candore cæci illuminantur: cuius ſapore pauperes & famelici ſaturantur: cuius odore mortui recreantur: cuius formatione vitio deformati ad Dei ſimilitudinem reformantur: cuius oblatione immundi à lepra peccati purificantur: cuius coctione vitijs decocti ab ignibus gehennę liberantur: cuius dignitate, vel potius digna humilitate homines de limo facti angelis coæquantur.

Deſiderium.

Panis iſte ex quo mũdo promiſſus eſt, cum maximo deſiderio exſpectatus eſt: ita vt ſecundum Ieremiam ſæpe matribus filij dicerent: Vbi eſt triticum, & vinum? Quando veniet tempus vt educat Deus pater panem de terra veteri virginalis, & vinum lętificet cor hominis? Per has duas ſpecies Chriſti deſignata eſt humanitas: corpus ſcilicet, & anima; ſiue caro eius, & ſanguis, quibus fideles reficiuntur in eccleſia.

Matres fuêre patriarchę & prophetæ in populo Dei: ad quos facta eſt de Chriſto repromiſſio. Filij vero imperfecti & ſimplices eiuſdẽ populi: qui ſæpius creduntur maiores ſuos interrogaſſe de aduentu Chriſti. ſicut hodie Iudæorũ paruuli parentes ſuos interrogãt de aduẽtu Antichriſti. f. *Interroga patrẽ tuũ, & annũciabit tibi, maiores tuos, & dicẽt tibi.* Itẽ Ieremias. *omnis populus eius gemens & quærens panẽ (id eſt Chriſtũ.)* O quan-

f. *Deut.* 32. 7. — g. *Thre.* 1. 11.

O quantum deſiderabat ſaturari
h. Pſal.16. Pſalmiſta, cum ait ad Deum h.*Sa-*
15. *tiabor cum apparuerit gloria tua*, id
i. *Pro.10.* eſt, filius. tuus i. *Gloria patris filius*
& 13. *ſapiens*. k. *Dei virtus & Dei ſapientia*.
k. *Rō.1.17.* Chriſtus eſt. panis ſapidus, panis pulcher; panis viuus, angelos ſatians & in ſe nunquam deficiens.

IN NATIVITATE DOMINI

II. Panis hordeaceus.

Veniens tandem in carne Dei filius, panis viuus, & verus, quibus ante ſuum aduentum panis fuerat triticeus: mox natus factus eſt panis hordeaceus. Et hæc non mutatio dexteræ excelſi: ſed

Faſtiditur. cordis maligni. Quem enim tempore prophetiæ deſiderauerant; eūdem tempore gratiæ deſpiciebant.

a. *Luc.1.* Teſte Euangeliſta: a. *cum natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda*: in aduentu magorum *turbatus eſt* non ſolum *Herodes, ſed & omnis Hieroſolyma cum illo*. Heu, b. *quomodo mutatus eſt*
b. *Thr.4.1.* *tam cito color optimus*. Quomodo albedo in nigredinem, dulcedo in amaritudinem, & guſtus ſuauiſſimus Iudæis verſus eſt in nauſeam:

c. *Ex.16.* Figura. Legitur c. olim Iſrael pro pane murmuraſſe in deſerto, & pluit illis Deus panem de cœlo, ſecundum
d. *Pſal.77.* quod ſcriptum eſt. d. *Panem cæli de*
24. *dit eis*. Qui cum eſſet candidiſſimus, omne habens delectamentum:
e. *Num.11.* rurſum flebant dicentes. e. *Quid co-*
6. *medemus? Nibil vident oculi noſtri niſi man. anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo*.

Veritas. Vniuerſa hæc myſtice completa ſunt in Chriſto. Qui cum quodam
f. *Ioan.6.* tempore dixiſſet Iudæis f. *ego ſum panis viuus. qui de cælo deſcendi*, reſponderunt. g. *Nonne hic eſt filius Io-* g. *Luc 4.*
ſeph? Et alibi. h. *Tu quis es?* Manna 22.
interpretatur: quid eſt hoc. Multa- h. *Ioan.6.*
que in hunc modum inueniuntur 19.
ſparſim in Euangelio, quibus Iudæi Domino inſultabant, irridebant, & deſpiciebant.

Ordeum pabulum eſt iumento- Naſcitur.
rum. Nato Domino in Bethlehem reclinauit eum Virgo Mater in præſepium: vt eſſet electorum pabulum iumentorum. Et eſt adimpletum il- i. *Iſa.1.3.*
lud propheticum i. *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum: & Aſinus preſepe Domini ſui*. Cognitus eſt ibi à paſtoribus quaſi à bubus: ſimiliter & ab aſino, id eſt gentilibus.

Bethlehem interpretatur domus Aſſeruatur
panis vel domus prandiorum. Hæc eſt ſancta eccleſia, vel domus quælibet Deo dicata, in qua panis incarnatus ſeruatur, & conficitur, & ad prandendum populo Chriſtiano porrigitur.

Per partes ſpecies diuiditur. ſin- Diuiditur.
gulis ad manducandum diſtribuit, ſed integritas in ſubſtantia reperitur. Creditur enim illa diuiſio vel fractio non eſſe in corpore, ſed tamen in ſpecie.

IN EPIPHANIA.

Tertiadecima die Magi venientes ab oriente, panem non Sacramentalem; ſed viſibilem inuenerunt in Bethlehem: quem fide manducantes adorauerunt: & in conſpectu eius cadentes, offerebant ei munera, aurum, thus, & myrrham. Hi ſunt animalia immunda, gentes ſcilicet, per Aſinam deſignatæ: qui boui, id eſt, populo

Iu-

Iudaico connexi ex eodem præſepio commedunt: ſicque Saluator, qui panis triticeus fuerat in aduentu, & panis hordeaceus in natiuitate, panis laicus, id eſt, communis factus eſt in apparitione. Pane laico omnibus veſci licuit, Iudæo ſcilicet, & Proſelyto: mundo, & immundo.

III. Panis laicus.

Quid eſt ergo quod Dominus in die apparitionis ſuæ gẽtes odore ſuo ad præſepe ſuum traxit, & refecit: Chananæam autem eiuſdem profeſſionis mulierem repulit dicens: *non licet ſumere panem filiorum, & mittere canibus*, id eſt Gentilibus: ſi verò in die illa tribus tantùm illis magis te exhibuiſti, ô Domine, ſingularem; quomodo prædicabimus te panẽ laicum & communem? Credimus enim ideo te tantæ fœminæ tam aſperè reſpondiſſe, vt eius humilitatem probares, fidem laudares, patientiam remunerares. Quid dixit? *Etiam, Domine: Nam catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.* Eadem die qua ſatiauit Dominus conuiuas in nuptijs aqua in vinum mutata, etiam fertur ſatiaſſe quinque milia hominum ex quinque piſcibus tempore interpoſito. Ecce quàm laicus, & quàm communis in tali die panis vitę. Quatuor enim miracula in die epiphaniæ concurrunt.

Mat. 15. 26

Marc. 7. 28.

IN PVRIFICATIONE BEATAE VIRGINIS MARIAE.

IIII. Panis Leuiticus.

Panis leuiticus fieri dignatus eſt Chriſtus in purificatione, qui panis laicus fuerat in apparitione. Panis Leuiticus nomen trahit à Leui, quia ſolummodo eo veſcebantur qui erant de ſemine Leui. Die verò quadrageſimo à natiuitate ſua Dominus delatus eſt ad templum à Matre, & præſentatus filijs Leui: Et impletum eſt in ea illud Salomonis, *facta eſt quaſi nauis inſtitoris de longe portans panem ſuum.* Inſtitor Chriſtus ſecundum diuinitatem, panis ſecũdùm humanitatẽ. Nauis inſtitoris mater eſt ipſius Redemptoris: quæ panem ſuũ de longe portauit, dum proprium filium in templo præſentauit. Portabat eum de Bethleem in Hieruſalem, de loco ſcilicet natiuitatis ad locum futuræ paſſionis. Vel de longe eum portauit, quando mox cum eodem ſeceſſit in Aegyptum, de terra Herodis ad terram Pharaonis.

Pro. 31. 14.

Nauis panem venalem portans in diuerſis locis, per quæ tranſit, emptores odore ſuo ad ſe trahit: ſic Chriſtus illicò, vt in templum venit, Simeonem & Annam ſibi attraxit. vterque fidem dedit, & Chriſtum ſibi comparauit. Fides ipſa prætium eſt. In illa die panis leuiticus factus eſt, quia filijs Leui ſecundùm legem oblatus eſt; & ab ipſis pretio redẽptus. Leui interpræt atur aſſumptus, vel appoſitus, ſiue firmator ſocietatis. Aſſumptus eſt de præſepio, & additus vel appoſitus Domino in templo. Ibi firmauit ſocietatem inter Iudæũ, & Gentilem. Societatem quam lex naturalis inter hominem & hominẽ firmauerat, lex ſcripta diſſoluerat: non enim licebat communicare fideli infideli, id eſt, Iudæo Gentili, ſed Chriſtus pacem firmauit inter vtrũque, vtrumque illuminans & purificans ſecundùm illud Beati Simeonis. *Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.*

Proceſſu verò temporis factus eſt

IN PASCHA.

Panis Azimus. PAnis azimus Dominus erat in reſurrectione, qui ſacrificium ſartaginis fuerat in paſſione. Præceptum fuerat filijs Iſrael, ne in ſeptem diebus paſchæ commederent panes azimos, id eſt, fermentatos. Fermentum maſſam corrumpit: Chriſtus igitur panis azimus fuit in reſurrectione, quia non vidit corruptionē in morte. In corpore quidē ruptus, ſed non per mortem corruptus. Corruptio dicitur quaſi corporis ruptio. Ferrū corrūpit, ſed vermis vel fœtor non corrumpit. Integraliter reſurrexit, quia fermentum putredinis non acceſſit.
Pſal. 15. 10 Vnde Dauid de illo dixit: *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.*

Prima, inquit, *die non inuenietur fermētum in domibus veſtris.* Sicut legitur prima die diſcipuli de Chriſti reſurrectione dubitabant, æſtimātes ſe ſpiritum videre. Poſtea verò confirmati ſunt in fide reſurrectionis. In domo cordis ſui quaſi fermentū abſcōdit, qui Chriſtum à mortuis reſurrexiſſe non credit. Et quid additur? *Anima quæ comederit fermētatum in diebus illis, peribit de cœtu iuſtorum.* Non enim partem cum iuſtis habebit in reſurrectione, qui nunc Chriſtum caput iuſtorum negat à mortuis reſurrexiſſe. *Modicū fermentū totā maſſam corrūpit.* Vnde idem Apoſt. dicit: *Expurgate vetus fermētū, vt ſitis noua cōſperſio, ſicut eſtis azimi: Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.*

IN ASCENSIONE DOMINI noſtri Ieſu.

VIII. Panis Fermentatus. PAnis fermentatus Chriſtus factus eſt in aſcēſione, qui azimus panis fuerat in reſurrectione. Inter diuerſa panum genera, quæ lex præceperat offerri, panes etiam fermentati ponuntur. *Panes*, inquit, *fermentatos, pro gratiarum actione, quæ immolantur.* Leui. 7. 13.

Fermentum paſtam eleuat, panem roborat & augmentat, ſapidum & commeſtibilem efficit. Die quadrageſimo panis Dominici corporis videntibus Apoſtolis, eleuatus eſt & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Ex qua eleuatione beati Apoſtoli multum roborati ſunt in fide & augmentati in charitate. De eleuatione aſcenſionis ait Habacuc: *Eleuatus eſt Sol, & Luna ſtetit in ordine ſuo.* Item Habac. 3.
Iſaias: *Eleuare, eleuare induere fortitudinem brachium Domini.* Nam Iſai. 51. 17.
vſque ad illum diem ſemper aliqui erant dubitantes, quibus bene ſapuit Chriſtus in ipſa die; quia adorantes in loco aſcenſionis, cum magno gaudio reuerſi ſunt in Hieruſalem, expectantes ibi in cœnaculo donec pane primitiarum ſatiarentur, ſicque cōfortati in virtute cibi illius ad gentes famelicas proficiſcerentur.

IN PENTECOSTE.

IX. Panis Primitiarum. IN Pētecoſte Dominus fieri dignatus eſt panis primitiarum, diſcipulis mittendo Spiritum Sanctum; nouum quidem gratia, ſed æternum eſſentia. Ipſe enim Spiritus S. panis eſt primitiarum, quaſi nouarum frugū, *manna abſconditum omne in ſe habēs delectamentum*: ſpiritum ſc. ſapientiæ & intellectus, ſpiritum conſilij & fortitudinis, ſpiritum ſciētiæ & pietatis, ſpiritum timoris Domini.

Hoc pane die quinquageſimo quādo legis fit remiſſio, & gratiæ innoua-

tio;Eccleſia cibata eſt,firmata eſt,cõſolata eſt, ita vt deinceps nulla tormentorum genera timeret, non gladios,non ignes, non morſus beſtiarum, vel quicquid excogitare poterat nequitia tyrannorum. Spiritus ſanctus panis ille eſt, de quo ſcriptũ
Pſa.77.24 eſt. *Et pluit illis manna ad manducandum:panem cœli dedit eis.*

Deſcendente manna deſcendit ſimul & ros: vtrumque ſuper Apoſtolos deſcendit,ſcilicet manna ſciẽtiæ,& ros gratiæ.Et hoc ideò,*vt eſſet verbis profluí,& in charitate feruidi.* Quibuſdam multum datur de manna,id eſt,ſcientia,& modicum de rore,id eſt, gratia. E contra alij abundãt in rore,& libenter ædificarẽt fratres in verbo doctrinæ,ſed deeſt eis manna exterioris ſcientiæ. Et hæc dicta ſufficiant de pane præmitiarum.

Deſcribit nobis lex adhuc alia genera panum, de quibus ſupradictũ eſt,cruſtulas videlicet,collyridas,ſimilam coctam, item ſimilam cum thure offerendam, & in Geneſi panes ſubcinericeos legitur Abraham Angelis coxiſſe: per quæ omnia deſignantur cæteri ſancti;corpus,& mẽbra Chriſti.

BENEDICTI ABBATIS.

Panis cruſtula dictus. PER cruſtulam venerabilis pater noſter Benedictus deſignatus eſt, eò quòd forma eiuſdem panis illius vitæ ſpecialius conueniat. Cruſtula diminutiuum eſt à cruſta, eratque panis modicus oleo conſperſus,concauus in medio,& tortus. Panis fuit & eſt ſanctus Benedictus, quia verbo,ſcripto,& exemplo innumerabiles parauit, & vſque ad finem mundi paſcet per regulam, quam ſcripſit.

Panis erat modicus quia humilis, vel quia in ætate puerili flore mundi deſpecto,necnon & literarum ſtudijs; religionis habitum ſuſcepit, ad Eremum cucurrit, in quo per ignem tentationis,in camino paupertatis ſic decoctus eſt, vt totus in cruſtæ duritiam verſus videretur. Sicut de illo legitur cum carnis voluptate grauiſſimè tentaretur,in ſpinarum aculeis & vrticarum incendio ſe voluntas ſic contra vitium luxuriæ induruit,vt nihil amplius tale aliquid in ſuo corpore ſentiret.

Cruſtula licet durior ſit,delectabilis tamen eſt ad edendum, comedenti prouocans appetitum. Eodem tempore à paſtoribus inuentus, & proditus, cœpit à multis frequentari: cui cum deferrent cibos corporis,ab eius ore in ſuo pectore, referebant alimenta vitæ.

Oleo conſperſus erat, quia teſte Beato Gregorio omnium iuſtorum ſpiritu plenus erat.Oleum ſignificat Spiritum ſanctum:cuius gratia mens illuminatur,paſcitur, vngitur, exhilaratur.In medio apertus erat, quia licet corpore eſſet in terris,corde tamen,id eſt, cogitatione & auiditate in cœleſtibus verſabatur.

Erat etiam tortus,ſed non diſtortus, quia in cœleſtibus diſciplinis valdè fuit expeditus,& ſola Dei manu ad aliorum magiſterium mirabiliter informatus.

IOANNIS BAPTISTAE.

Panis laganum dictus. PER laganum panem, ſcilicet tenuem & latum Beatus Ioannes Baptiſta præfiguratus eſt: de quo Sal uator

Mat. 11.11 nator ait: *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.*

Erat enim tenuis Beatus Ioannes in ſua natiuitate per corporis quantitatem, ſed latus valde per cordis charitatem. Poſtea prædicans in deſerto, tenuis fuit in ſubſtantia mundi, ſed latus in doctrina verbi diuini. Veſtitus eius pili camelorum: eſca verò locuſta & mel ſiluestre. Ecce quanta tenuitas.

Quid autem prædicabatur? *Pœ-* *Luc.*10.11. *nitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Ecce quanta latitudo. Quis Prophetarum ante Ioannem in tantam latitudinem diffuſus eſt; vt pœnitentibus promitteret regnum cœlorum.

De prædicti panis genere ita ſcri- *Leu.* 7.12. ptum eſt: *Si pro gratiarum actione fuerit ipſa oblatio: offerent panes abſque fermento conſperſos oleo, & lagana vncta oleo.* Laganum azimum, oleo vnctum Ioannes fuit, qui & à fermento peccati originalis creditur in vtero mundatus, & oleo Sancti Spiritus ibidem perunctus. Computruit ibi iugum culpæ contractæ, etiã contra naturam à facie olei, id eſt, virtute Spiritus ſancti. Vnde Domi- *Ierem.*1.1. nus per Hieremiam: *Priuſquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua, ſanctificaui te, & Prophetam in gentibus dedi te.* Solus Chriſtus, ſecundùm quòd homo, in oleo coctus eſt: quia, de Spiritu Sãcto conceptus eſt. Cæteri ſancti tempore certo Spiritu ſancto vncti ſunt, vel conſperſi. Alij, vt diximus, in vtero, vt Hieremias: alij verò in pueritia, ſiue ſenectute.

Ioannes interpretatur gratia Dei, vel in quo eſt gratia. O cum in pane gratia in Ioanne. Et hoc differt inter lituram, vel conſperſionem, & frixuram quòd illa per raſuram ſeparari poſſunt à pane: frixura verò nequaquam.

Nemo ſanctorum fuit quin ei gratia poſſet ſubtrahi, præter Chriſtum hominem, & hoc propter verbi indiuiſibilem vnionem.

Oleũ propter duo ſignificat Spiritum ſanctum: illuminat & exhilarat. Illuminat per dilectionem, exhilarat per deuotionem. Vtraque gratia fuit in Ioanne nondum nato, illuminatio videlicet & exhilaratio. De prima dictum eſt à Gabriele patri eius Zachariæ: *de Spiritu S. re-* *Luc.* 15.15. *plebitur adhuc ex vtero matris ſuæ.* De ſecunda, genitrix eius Elizabeth ait Beatiſſimæ Mariæ: *Ex quo facta* *Ibidem.* *eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in gaudio in vtero meo.* Natus verò Ioannes tempore prædicationis ſuæ factus eſt in Eremo panis, plurimos tam verbo quam exemplo reficiens.

PETRI ET PAVLI APOſtolorum.

XII. Panis collyridæ.

POſt lagana ſequuntur collyridæ: panes videlicet modici, & trianguli. Per hos panes deſignati ſunt beatiſſimi Apoſtoli Petrus & Paulus, qui modici erant valde per virtutem humilitatis, & trianguli in fide & confeſſione ſanctæ Trinitatis. Petrus triangulus fuit in tribus, hoc eſt in prædicatione, in Pontificatus honore, in paſſione. In prædicatione, quia præter Iudæam, in qua Apoſtoli ſimul prædicabant, in tribus no-

minatiſſimis locis Petrus noſcitur prædicaſſe, id eſt, in Cæſaria, in Antiochia, in vrbe Roma. Erat & triangulus in paſſione, quia in tribus cornibus crucis per ſanguinis ſui effuſionem angulos fecit. ſ. in manu dextra, atque ſiniſtra, & in pedibus.

Sic & B. Paulus triangulum ſiuum prædicando formauit: primo in Arabia, deinde in Græcia, nouiſſimè cum Petro prædicauit in Italia. Gloſſa ſuper Leuiticum dicit, collyridas panes fuiſſe admodum circini cortos. Neſcio quid horum verius fuerit ad litteram, ſed conſtat vtrumque Apoſtolis congruere ſecundùm allegoriam. Rotundi erãt in vitæ ſpiritualis perfectione: tornatiles in operatione, trianguli in fide, ſpe, & dilectione.

Fuere idem Panes olei admixtione conſperſi. Oleo cõſperſi erant duo hi Apoſtoli, quia rigorem diſciplinę, atque auſteritatem iuſtitiæ temperabant per lenitatem miſericordiæ. Oleos græcè, miſericordia interpretatur. De ipſis per Zachariam dicitur: *Hi ſunt viri miſericordiæ.* Plures pauerunt panes iſti non ſolùm doctrina, ſed & ſcriptis, Petrus Epiſtolis duabus, Paulus verò quatuordecim.

IN NATIVITATE BEATæ Mariæ.

XIII. Panis ſimila cocta

INter lagana & collyridas ponitur ſimila cocta, per quã deſignata eſt glorioſa Dei Genitrix Virgo Maria. Simila farina eſt delicatiſſima; miri candoris, præcipui ſaporis, & fit ex ea panis regiꝰ ac optimus. Hæc & amulum dicitur. Amulũ vero flos eſt farinæ tenuiſſimus. Beata Virgo quãta ſit candoris, quãtiue dulcoris, ſpõſus in Canticis canticorum oſtendit, vbi illius pulchritudinem commendãs dicit: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* De dulcedine autem quid dicit? *Fauus diſtil-ns labia tua, mel & lac ſub lingua tua.* Cant. 4. Ibidem.

Vt ſimila per decoctionem in panem vertatur quinque adhibentur. Ipſa farinula, aqua, piſtor, furnus, ignis. Aqua farinam conglutinat. Piſtor conglutinatam format, furnus formatam ſeruat, ignis indurat. Piſtor hoc in loco Deum Patrem exprimit, qui ſimulam carnis virginalis in cammo vteri materni, animæ ſcilicet creando formauit. Farinam aqua miſcuit, cum corpori Spiritũ infudit. Ignis Spiritum ſanctum ſignificat, qui eã in vtero ab originali mundauit, & contra peccati fomitem indurauit. De hoc mũdiſſimo pane Dei Filius comedit; cum de eius carne carnẽ ſuſcepit. Vnde Ezechiel: *Princeps ſedebit in ea, vt comedat panem coram Domino.* Ezec. 44.

IN ASSVMPTIONE BEATæ Virginis Mariæ.

XIV. Panis ſimila cũ thure

PAnis quartusdecimus ſolemnitas eſt aſſumptionis, de qua in Leuitico ſcriptum eſt: *Anima cum obtulerit oblationem ſacrificij, ſimila erit eius oblatio. fundetque ſuper eam oleum & thus, ac deferet ad filios Aaron ſacerdotis.* Leuit. 2. 1. Quidam offerunt in morte ſua farinam totam furfureã, alij triticeam quidem, ſed furfuribus permixtam, alij ſimilam puram. Prima oblatio reproborum, ſecunda, purgandorum, tertia perfectorum. Ex prima oblatione panis fit nigerrimus, ſuibus, canibuſque gehennalibus

bus æternaliter corrodendus, ex ſecũda panis quidem pallidus, ſed cribro purgatorij dealbandus. Ex tertia panis candidiſſimus, mox mẽſis cœleſtibus apponendus. Talis erat oblatio Beatæ ac glorioſæ Dei genitricis, quæ non ſolùm animam, ſed & corpus ſuum ante tempus extremæ reſurrectionis glorificatum Deo obtulit in ſacrificium, ita vt poſt Chriſtũ panis fieret Angelorum, cibus & refectio omnium ciuium ſuperno rum.

Tria hic verba poſita ſunt, quæ diligentius notanda ſunt: ſimila videlicet, oleum, & thus. In ſimila candor, in oleo ſplendor, in thure odor.

Aſcendit Dei Genitrix mortis dealbata, carne glorificata, odore virtutum redolens. De candore eius ait
Cant. 4. 8. Sponſus in Canticis: *Veni de Libano ſoror mea, veni.* Libanus interpretatur candidatio, corpus virginale deſignans: de cuius ſplendore iterũ
Cant. 3. 6. dicit: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit ſicut aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol?* De odore autem quid?
Ibid. n. 16. *Quæ eſt iſta*, inquit, *quæ aſcendit de deſerto, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?*

Oleum quatuor habet virtutes principales, per quas ſignificantur corporis glorificati dignitates. Illuminat: cæteris liquoribus infuſum ſupernatat, vngit, & paſcit. Per hoc quod illuminat dotem ſignificat claritatis, per hoc quod de imo ad ſummum ſe leuat, dotem agilitatis: per hoc quod carnem per vnctionem labilem reddit, dotem ſubtilitatis: quia per paſtum naturam conſeruat, dotem exprimit impaſſibilitatis: ſicque Dei Genitrix corpus proprium per glorificationem oleatum, & exemplo virtutum thurificatum obtulit ad filios Aaron Sacerdotis.

Aaron qui interprætatur mons fortitudinis, ſignificat Chriſtum, qui eſt mons in vertice montium, & de quo dicit Pſalmiſta: *Tu es Sacerdos in æternum.* Hebr. 5. Cuius filij ſancti Angeli ſunt, & iuſti triumphantes, qui Domini ſui Matrem cum iubilo deduxerunt, & adduxerunt in montẽ ſanctum eius, Sion ſcilicet, de quo dicitur: *factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.*

OMNIVM SANCTORVM

Panis quintuſdecimus feſtiuitas XV. eſt omnium ſanctorum, limes & Panis ſubcineriseus concluſio omnium ſolemnitatum. Dies illa panis eſt ille, quem Chriſtus poſt reſurrectionem in Emaus Luc. 24. benedixit, & fregit; in cuius fractionem etiam cognitus eſt. Dies eadem non comprehẽdit viatores, ſed comprehenſores, qui iam ſunt in Chriſti fruitione, & de illius ſacientur non ſolùm deifica viſione, immò etiam corporali glorificatione. Ipſi ſunt panes viui & medicinales, corpus & membra Chriſti. In corporis ſingularitate exprimitur fidei vnitas in membrorum pluralitate ordinum diuerſitas.

Panem corporis Eccleſiæ ſuæ Dominus fregit, dum Eccleſiam primitiuã per diuerſos ordines diuiſit: videlicet vt alij eſſent Apoſt. & doctores, alij martyres, alij cõfeſſores, atq; alij virgines, vel continentes. Huiuſmodi fractionem factam arbitror, vt per

vt per diuerſos ſapores, ad inſtar mãnæ cœleſtis, mundum paſcerent. Alij, vt Apoſtoli, panes facti ſunt in prædicatione: alij, vt martyres, ſanguinis effuſione: alij vt confeſſores, exemplo ſanctitatis: alij, vt virgines, ſpeculo caſtitatis.

Vel panem Dominus fregit, dum Eccleſiam ſuam per diuerſa tormentorum genera trucidari permiſit.
Act. 9. Fractus eſt per lapides Stephanus: & per præcipitium Iacobus, per crucẽ Petrus, per gladium Paulus: per craticulam Laurentius; ſicque de cæteris. Et contigit ſæpiſſimè, vt dũ propter Chriſtũ vnus frangeretur, Chriſtus à multis per illius triumphũ agnoſceretur.

Chriſtus, vt dictum eſt in fractione panis in Emaus, id eſt, in populo abiecto, ſcilicet Gentilibus, agnitus eſt. Emaus enim populus abiectus interpretatur.

Panes iſti ſubcinericei fuerunt, id eſt, ſub cinere cocti. Panis ſub cinere coctus, intus retinet candorem, ſed foris cinereum contrahit colorem: ſic & ſancti martyres in corpore quidẽ decolorati ſunt per vulnera & liuorem, ſed intus in mente
Cant. 1. 5. candidiores facti ſunt per fidem, & confeſſionem. Vnde Eccleſia in perſona martyrum: *nigra ſum, ſed formoſa*. Nigra, quia mundo deſpecta,
Ibidem. formoſa, quia virtutib. ornata. Cauſam mox expoſuit, cùm ſubiungit: *Nolite conſiderare quòd fuſca ſim, quia* decolorauit me ſol, id eſt, perſecutio.

Iſte eſt panis ſubcinericeus paruulus, quem vidua Sareptena, id eſt, Eccleſia, Chriſti viſibili præſentia per aſcenſionem viduata, valde parua fuit, ſed in hydria, id eſt, in mundo ad preces Heliſei, Chriſti ſcilicet, dilatata creuit, & vſque ad finem Matt. 28.
mundi non deficiet, ſecundùm illud 20.
Saluatoris: *ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi*. Ipſa Eccleſia etiam panis eſt ille ſubcinericeus, qui ſubuertit caſtra Madianitarum, id eſt, regna Hebr. 11.
Gentilium: vnde Apoſtolus: *Verterunt caſtra exterorum*. 34.
Sancti verò ipſi ſunt panes illi ſubcinericei, quos Sara de tribus ſatis ſimile tribus Angelis in figura ſummæ Trinitatis coxiſſe legitur. Sara ſancta eſt Eccleſia: tria ſata Aſia, Africa, Europa: in quibus hodie Chriſti fides floret. Ecce fratres dilectiſſimi appoſuimus vobis panes Dominicos: videat vnuſquiſque veſtrum quantum ex eis cõmederit, ſi in ore eius creuerint, ſi fragmenta reliquerit, veſter profectus noſter erit fructus. Precemur igitur ſimul Dominum vt ſuper menſam ſuam in regno ſuo pane & vino cœleſti, ſicut ipſe promiſit, nos ſatiare dignetur. Quod nobis præſtare dignetur meritis omnium ſanctorũ, de quibus dictum eſt, Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus per infinita ſæcula ſæculorum Amen.

ITEM HOMILIA MORALIS DE EODEM.

Sermo XXXII

Accepit Ieſus panes, & cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus.

De 15 panibus animæ.

Fregit nobis Dominus panes ſuos allegoricè: frangat & moraliter. Habet Eccleſia panes quibus fidẽ

ſuam

ſuam nutriat: habet & anima panes, quibus mores ſuos reficiat. Omnia ſiquidem quę foris hiſtoricè vel myſticè aguntur in Eccleſia, intus inuiſibiliter aguntur in ſolemnitatibus animæ.

Quindecim panes, quos Dominus diuerſis temporibus benedixit vel fregit: hi ſunt. *Primus eſt panis miſericordia*, ſecundus panis *gratiæ*, tertius panis *doloris*, quartus panis *indulgentiæ*, quintus panis *iuſtitiæ*, ſextus panis *pœnitentiæ*, ſeptimus panis *perfectionis*, octauus panis *promotionis*, nonus panis *confirmationis*, decimus panis *orationis*, vndecimus panis *deuotionis*, duodecimus panis *prædicationis*, tertius decimus panis *contemplationis*, quartusdecimus panis *ſacræ communionis*, quintusdecimus panis *æternæ remunerationis*.

Panis miſericordiæ pertinere videtur ad prædeſtinationē panis gratiæ, ad illuminationem, panis doloris vel pœnitudinis ad cordis contritionem, panis veniæ ſiue indulgentię ad peccatorum remiſſionem, panis iuſtitiæ ad oris confeſſionem.

IN ADVENTU DOmini noſtri.

PAnis primus, id eſt, *miſericordia*, comedendus eſt in aduentu Domini, qui triplex eſt ad animam. Venit vt animam illuminet, venit vt illuminatam iuſtificet, venit vt iuſtificatam remuneret. Primus aduentus eſt ex miſericordia Chriſti nos præueniente, ſecundus ex miſericordia eius nos ſubſequente, tertius ex miſericordia eiuſdem nos finaliter cōſeruante. *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Mat.24.13

Panis iſte miſericordiæ triticeus eſt: Et meritò. Sicut enim triticum præcellit omnia frugum genera, ita reliquas virtutes miſericordia. Ipſa eſt, ſecundùm Zachariam, *frumentum germinans virgines*: cuius excellentia ſæpè in Scripturis per oleū, quod ſemper ſuperenatat, exprimitur, ſecundùm illud pſalmiſtæ, *& miſericordia eius ſuper omnia opera eius.* Zach. 9. 17.

IN NATIVITATE Chriſti.

II. PAnis gratiæ pertinet ad Chriſti natiuitatem, quia mox, vt gratia infunditur, Chriſtus in anima ſpiritualiter naſcitur. Panis iſte *hordeaceus* eſt, amarum habens ſaporem, & hoc ideò dixi, quia gratia infuſa ſtatim liberum arbitrium mouet ad cōtritionem. De cuius amaritudine dicit Iob: *Loquar in amaritudine animæ meæ*: Item in Pſalmo: *Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Peccatum non dimittitur niſi in corde ſit amaritudo doloris, ſicut in illius perpetratione fuit dulcedo delectationis: *Anima verò eſuriens*, ſcilicet ſalutem ſuam, *etiam amarum pro dulci ſumet.* Vnde Iob: *Quæ prius tangere nolebat anima mea, modo præ anguſtia cibi mei ſunt.* Iob.10 1. Iſai.39.15. Prou.27.7 Iob.6.7.

IN EPIPHANIA Domini.

III. PAnem gratiæ comitatur *panis doloris*, de quo ſcriptum eſt: *Surgite, poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris*: *Mœror in corde viri*, ſecundùm Salomonem, *humiliabit eum.* Seſſio ſeu humiliatio pertinet ad cor- Pſal.126.2 Pro.12.25.

ad cordis contritionem,ſurrectio ad proximam iuſtificationem, id eſt, peccatorum remiſſionem, ſiue eam quæ ſequitur oris confeſſionem. Modicum prodeſt cordis contritio, vbi non ſequitur oris confeſſio, neque pro facto reputabitur voluntas, niſi confeſſo em excludat neceſſitas.

Panis doloru, laicus eſt & communis, quia nullus peccator adultus poterit iuſtificari, nullus cuiuſcunque ſit conditionis, ſexus, vel profeſſionis, ſaluari, niſi prius guſtauerit de pane doloris: vnde & bene pertinere videtur ad feſtum apparitionis. Dies eadem in tribus priuilegiatus eſt. In ea Chriſtus à gentibus adoratur in ea à Ioanne baptizatus eſt, in ea aquā in vinum mutauit. Contritio de gentili facit Chriſtianum, de polluto ſanctum, quia ipſa eſt ſecundus baptiſmus poſt lapſum: ipſa etiam quaſi aquam cōuertit in vinum, cum de peccatore facit iuſtum.

IN PVRIFICATIONE Beatæ Virginis.

IIII. PAnem doloris ſequitur *panis indulgentia*, id eſt, peccatorum remiſſio. Hunc comedere debet peccator in purificatione: nihil aliud eſt ſpiritualis purificatio, niſi peccatorū remiſſio. Hic eſt panis de quo iuſtus comedit, & replet animam ſuam, virtutibus ſcilicet, quia, vt quædam dicit auctoritas: *exitus vitiorum operatur ingreſſum virtutum. Econtra venter impiorum*, ſicut dicit idem Salomon in prouerbijs *inſaturabilis*.

Panis indulgentia Leuiticus eſt. Leui interpretatur aſſumptus vel appoſitus, ſiue firmator ſocietatis: Mox .n. vt culpa peccatori remittitur, aſſumitur de corpore diaboli, & appo- nitur corpori Chriſti: firmaturq; inter eū & Chriſtū fœdus ſocietatis, per firmiſſimum vinculū charitatis.

IN ANNVNCIATIONE Dominica.

V. PAnis iuſtitia, oris eſt confeſſio: de qua per Prophetam dicitur: *Dic tu iniquitates tuas vt iuſt ficeris*. Cōfeſſio non ſolum ſignum eſt iuſtitiæ, ſed & minuit pœnam culpæ: *Ipſa eſt* etenim *panis ſacerdotalis coctus in clibano*: dum verò confitens in aſpectu ſacerdotis cōfunditur, confeſſionis panis in eius corde decoquitur, ſicque in clibano pectoris per ignem amoris panis perficitur confeſſionis. Væ peccatrici animæ, quæ obliuiſcitur panē hunc manducare. Quid ei fiet? hoc quod in eod. pręcedit ver. *percuſſus ſum vt fœnū, & aruit cor meū*. Pſa.103.5. Percutietur peccatorum reuerſione: areſcet virtutum ſubtractione.

Panis confeſſionis pertinet ad annunciationē: nam ſicut Angelus Mariæ nunciauit Chriſti natiuitatem: ita confeſſor animæ illuminatæ nunciat vitam æternam, quæ eſt Chriſtus: ita tamē, ſi condignā egerit pœnitentiā: *Qui enim declinat a malo & facit bonū*; quod eſt facere voluntatē Patris, Pſa.36.27. *ipſe Chriſti frater eſt, ſoror, & mater*. Mar.3.35.

Iſti ſunt panes quinque quos Dominus ſimul benedixit, & populo ſuper fœnum ſedenti diſtribuit. Quinque prædicta remedia cohærēt, & ad iuſtificationem peccatorū pertinent. Quinque millia numerus fuit mādu- cantium: quinarius qui tranſgreditur quaternariū, nec peruenit ad ſenariū, ſignificat tranſgreſſionē: ſeſſio ſuper fœnū, imperfectionē. Quia verò per quinque ſenſus peccamus, quinque remedijs ſanamur. Alio tēpore Do-

minus

minus panes ſeptem ſimul legitur
fregiſſe,& fuit tunc numerus mādu-
cantiū quatuor millia virorū: vtrãq;
numerus perfectus, eſt tam ſeptena-
rius quàm quaternarius. Vnde nō in-
congruè ſeptem panes congruere vi-
dentur ſeptē donis Spiritus S. Ex qui-
bus ſpiritus timoris pertinet ad panē
ſatisfactionis: ſpiritus pietatis ad pa-
nem perfectionis, ſpiritus ſciētiæ ad
panē cōfirmationis, necnon ad panē
deuotionis: ſpiritus intellectus ad
panē prædicationis, ſpiritus ſapiētię
ad panem contemplationis.

IN PASSIONE.

VI. *Panis pœnitētiæ* vel ſatisfactionis
comedēdus eſt in paſſione Domi-
ni, quia ſicut ille per pœnam Crucis
peruenit ad gloriam reſurrectionis,
ita pœnitens per mortificationē cor-
poris culmen attingit perfectionis.
Fructus paſſionis reſurrectio,& fru-
ctus pœnitētiæ perfecta eſt dilectio:
mox enim vt peccati pœna totaliter
dimittitur, charitas ipſa perficitur.
Pœnitētia panis eſt de ſartagine: V-
trumq; enim tam crux, quàm ſartago
amaritudinem exprimit pœnitētiæ,
illa propter fixurā clauorū, iſta pro-
pter acredinē flāmarū. De pane pœ-
Pſ.101.10. nitētiæ ait Dauid in Pſalmo. *Quia ci-
nerē tanquā panē mādu cabā.* Ignis li-
gnū conuertit in cinerem,& charitas
pœnitentē facit humilem. Pœnitens
ſpiritū habere debet timoris, quia *ti-
mor Domini expellit peccatum.*

IN PASCHA.

VII. *Panem ſatisfactionis* ſequitur *panis
perfectionis*, qui manducandus eſt
in die reſurrectionis. Sicut Chriſtus
totaliter reſurrexit à mortuis, ita
perfectus reſurgit à vitijs atque pec-
catis. Multi ſunt in ordine perfecto,
qui ſe putant eſſe perfectos, & non
ſunt. Qui prælatos ſuos ſe pro culpa
qualibet corripientes, qui fratres ſe
in charitate proclamantes, non ſalu-
tant, vel ſolito vultu ſeueriores oſtē-
tant: quomodo perfecti dici poſſunt?
Hæc & his ſimilia longe ſunt ab his,
in quibus perfectio charitatis, in qui-
bus requieſcit ſpiritus pietatis. *Pa-
nis perfectionis* totus debet eſſe *azi-
mus*, nullo ſcilicet peccato fermenta-
tus. *Cor quod nouerit amaritudinem
animæ ſuæ in gaudio eius non miſcebi-
tur extraneus.* Gaudebit quippe de
perfectione, eò quòd amaritudinem
habuerit in ſatisfactione.

IN ASCENSIONE Domini.

Panem perfectionis non immeri- VIII.
tò comitatur *panis promotionis*:
ſed quid amplius erit perfecto? nū-
quid vltra adijciet exaltari? Etiā: eſt
enim charitas perfecta, perfectior,
perfectiſſima. De promotione iuſti
Pſalmiſta dicit: *Aſcenſiones in corde* Pſal. 83.6.
ſuo diſpoſuit. Et generaliter de iuſtis
omnibus: *Ibunt de virtute in virtu-* Pſa.83.18.
tem: videbitur Deus Deorū in Sion. Si-
cut ſimplex Canonicus prius ad Ar-
chidiaconatum, deinde ad Epiſcopa-
tum, nouiſſimè autem aſcendit ad Pa-
patum, ita iuſtus promouetur de
perfectione ad charitatē perfectio-
rem, quouſque pertingat ad perfe-
ctiſſimum charitatis gradū. Nunquā
aliqua creatura in ſuperlatiuo gradu
fuit præter Chriſtum hominē. Hunc
panē promotionis, ſiue profectus E-
lias comedit, ambulans in forti-
tudine eius quadraginta diebus, &

totidem noctibus, donec perueniret ad montem Dei Horeb. Quadrageſima die Chriſtus aſcendit in cœlum.

Panis promotionis fermentatus eſt, & congruit aſcenſioni. Sicut enim paſtam eleuat fermentum, ita motus charitatis attollit meritum: & eſt ibi valde neceſſarius Spiritus ſciētię, ne forrè de tam ſublimi culmine deijciatur ſpiritu iuanis gloriæ. Lucifer corruit de cœlo, Adam de paradiſo.

IN PENTECOSTE.

IX. Sequitur *panis confirmationis*. Non eſt aliquis adeò perfectus, quin neceſſe habeat in gratia confirmari. Pro. 24.16 *Septies iuſtus cadit in die*. De pane confirmationis ſcriptum eſt: *Et exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet*. Pſa.103 6. Sicut enim in Pentecoſte ad quod panis pertinet iſte: Spiritus ſanctus datus eſt Apoſtolis ad robur, ita vt non poſſent, vt dicitur, ab illa die mortaliter peccare, ita adhuc datur quibuſdam ſanctis in charitate conſtantiſſimè perſeuerare. Subtrahitur eis occaſio peccandi, & confertur virtus reſiſtendi: Ipſa verò cōfirmatio eſt ſpeciale Dei donum: panis nouarum frugum. Hoc pane nouerat ſe Apoſtolus confirmatum: cum ait: Rom.8.39. *Scio, & certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque alia creatura poterit nos ſeparare à charitate, quæ eſt in Chriſto Ieſu*. Ad hunc panem pertinet ſpiritus fortitudinis, Cant. 8.6. *quia fortis eſt vt mors dilectio*. Non illa, quæ dignos nos facit vita æterna, & deſeritur, ſed illa quæ dictos effectus perducit ad vitam æternam. Hæc eſt charitas vera, id eſt, perſeuerans.

BENEDICTI ABBATIS.

Pani confirmationis *panis* iungitur *ſancta orationis*, cuius edulio anima confortatur, & Deus, cuius mēſę idem panis offertur, plurimùm delectatur. Panem orationis iuſtus frequenter comedere debet, vt videlicet pro alijs intercedat, quia *multū valet oratio iuſti aſſidua*. Iacob.5.16

Et bene congruit feſto Sancti Benedicti panis orationis, quia qui peccatorem orationibus ſuis ſaluat, hic *accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo*. Pſal. 23.5. *Orate*, inquit Apoſtolus Iacobus, *per inuicem, vt ſaluemini*. Iacob.5.16 Multos venerabilis Pater Benedictus orando ſaluauit: oratio eius oleo miſericordię reſperſa fuit, eo quòd multos corde cæcos orationibus illuminaret, in vtroque homine infirmos vngeret, & ſanaret: mortuos etiam in orationibus ſuſcitaret.

Oratio cruſtula eſt. Cruſtula, ſicut in præcedenti ſermone diximus, panis erat modicus & retortus: concauus in medio, oleoque conſperſus. Oratio iuſti cruſtula eſſe debet, id eſt, dura, vt inimicis erogetur, parua, vt de humili corde exeat, quia *oratio humiliantis ſe, penetrat nubes*. Eccl.35.21 Torta, vt pura ſit & expedita. Concaua in medio, vt terrenis cogitationibus ſiue delectationibus non oneretur. Oleo conſperſa, vt ſit deuota, operibuſque miſericordiæ impinguata. Ipſa etiam ſancta oratio Angelos reficit, deſignata per panem, quem Ieſus ad mare Tyberiadis cum piſce diſcipulis dedit.

* * *

IOAN-

IOANNIS BAPTISTAE.

XI. PAnis orationis *panem* requirit *deuotionis*, quia ſicut dicit auctoritas, *qui indeuotè orat, iudicium ſibi poſtulat*. Deuotionē autem dico gratiam illam ſpecialem, quæ ad iuſtorū mentem venit, & recedit. Recedit, inquam, ab electorum mentibus per gratiam conſolantem, ſed manet per gratiam conſeruantem.

Videtur tamen receſſus ipſe fieri tribus de cauſis, ſcilicet ne gratia deuotionis ſemper habita faſtidiatur, vt amiſſa auidius requiratur, & ne eius aſſiduitate corpus nimis debilitetur. Vix deuotio haberi poteſt ſine lacrymis. Quòd lacrymæ deuotionis
Pſal. 41.4. panes ſint, audi Prophetam: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus.*

Deuotionem ſignificat lagana azima oleo vncta. Laganum eſt panis tenuis & latus, deuotio verò perfectā animam tenuem facit in contemptu temporalium, & latam in deſiderio cœleſtium. Oleata eſt, quia paſcit & vngit. Paſcit ſpe futuri præmij, vngit gaudio inuiſibili. Debet & azima eſſe deuotio, hoc eſt ſine fermento. Quid dixerim hoc in loco fermentum? niſi cogitationes terrenas & inutiles; quæ dum deuotis orationibus importunius ſe ingerunt, ſuauitatem illarum vel corrumpunt, vel prorſus
Eccl. 10.1. extinguunt? Ipſe etenim ſunt *muſcæ morientes, quæ extinguunt ſuauitatē vnguenti*, id eſt, dulcedinem deuotionis. Pane deuotionis veſcendum eſt in natiuitate Ioannis, quę in corde iuſti tunc naſcitur; cum eadem gratia diuinitus infunditur: Ioannes enim gratia Dei interpretatur.

Ad hunc panem pertinet ſpiritus conſilij, quia deuotis mentibus reuelantur incerta & occulta myſteria Dei: de quibus Apoſtolus Ioannes dicit: *Et vnctio eius docet vos de omnibus*. Vnctio deuotio eſt. 1. Ioā. 2. 27

PETRI ET PAVLI Apoſtolorum.

QVia perfectus quiſque etiā prouidere debet ſaluti proximorū, rectè pani deuotionis ſubiungitur XII.
panis prædicationis. Hinc eſt quòd Sponſa dilectum de quiete contemplationis incitat ad laborem actionis dicens: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum*, ad prædicandum ſcilicet. Cant. 7. 11

Eſt autem duplex prædicatio, vna verbi, altera exempli. Ad alteram iſtarū tenetur omnis perfectus: hoc eſt, vt proximos ædificet exemplo conuerſationis, vel inſtruat verbo prædicationis. De hoc pane, prædicationis ſcilicet, per Salomonem dicitur: *Mitte panem tuum ſuper trāſeuntes aquas, quia poſt multa tempora inuenies illum*: id eſt, in vita æterna prædicationis fructum. Eccl. 11. 1

Figuratur autem prædicatio per collyridas olei aſperſione admixtas: Erant autem collyridæ panes parui & trianguli, ſic ſermo ſanctæ prædicationis debet eſſe humilitate prędicantis paruus, non inflatus verbis pompaticis, non depictus floribus rethoricis, vt ædificet audientes. Habere debet & tres angulos, & ſi non ſemper, quandoque tamen per tres ſenſus myſticos, allegoriam ſcilicet, anagogen, & tropologiam. Et videtur is optimus eſſe modus ſermocinandi, cum thematis expoſitio diuiditur

ditur in tres partes,ita vt prima pars loquatur de ipſa ſolemnitate, ſecunda de ſanctorum æterna felicitate, tertia de moralitate. Debet & ipſe ſermo non oleo perunctus eſſe, ſed aſperſus, quia ſi totus ſonaret miſericordiam Dei, præſumptuoſis obeſſet:ſi nimis ſeueritatem tangeret iudicij, formidoloſis deſperationem ingereret:Et ideò,vt dixi,oleo debet eſſe aſperſus, nunc pro virtutibus operibuſque virtutũ promittẽdo vitã, nũc pro peccatis nunciãdo gehennã.

Panis ergo verbi Dei comedendus eſt in ſolẽnitate Apoſtolorum Petri & Pauli, qui beatiſſimi in prædicatione erant præcipui. Ad hũc panem neceſſarius eſt ſpiritus intellectus,vt intelligant quæ prędicant,ne ſint *velut æs ſonans aut cymbalum tinniens.*
1.Cor.13.1. De hoc pane ſcriptum eſt : *Cibauit*
Eccle.15.3. *eum*,id eſt prædicatorẽ *Dominus pane vitæ,& intellectus.*

IN ASSVMPTIONE BEATæ Virginis Mariæ.

XIII. Panis tertiusdecimus *panis eſt contemplationis*, quo iuſti mens veſcitur in feſto Aſſumptionis. Maria quaſi in cœlũ aſſumitur cum anima ſancta lumine virtutũ radiãs, ad cœleſtia per exceſſum ſuſtollitur : vnde de viro iuſto Dominus dicit per I-
Iſai.58.14. ſaiam *Suſtollam te ſuper altitudinem montium:& cibabo te hæreditate Dauid patris tui.* Et pulchrè poſt panem prædicationis panis ponitur cõtemplationis, quia per laborẽ illius peruenitur ad ſuauitatem iſtius: & eſt quaſi præmium primi,dulcedo ſecũdi.De hoc pane habes in Leuitico: *A-*
Leuit. 2.1. *nima cum obtulerit oblationem ſuam ſimila erit eius oblatio fundetque ſuper eum oleum,& ponet thus.* Oleum pertinet ad lętitiam interiorem,thus ad famam exteriorem.Vnctio illa,vt quidam ait,ſentiri poteſt:dici nõ poteſt. Sunt etiam magnæ opinionis, in quibus eſſe ſcitur in donum contemplationis. Ad hanc pertinet ſpiritus ſapientiæ, quæ dicit : *Venite ad me o-* Ecc. 24.26
mnes qui concupiſcitis me , & à generationibus meis adimplemini.

Panis cõtẽplationis deſignatus eſt per ſimilã, quia cõtemplationis gratia nihil ſuauius eſt in hac vita.

IN NATIVITATE eiuſdem.

XIV. Panis quartuſdecimus, quem Dominus fregit in paſſione,*panis eſt Euchariſtiæ* id eſt,bonæ gratiæ : hoc .n. Euchariſtia interpretatur: in quo quidem apparet ſpecies panis,ſed eſt ibi veritas dominici corporis , & in corpore gratia ſpiritualis : vnde ipſe dicit : *Qui manducat hunc panem vi-* Ioann. 6.
uet in æternum. Purgat culpam , confert & auget gratiam, hominem ſibi per illius eſum incorporatum ad vitam perducens æternam. Caro Domini ſimila cocta eſt. Simila, quia mundiſſima,cocta,quia in vtero Virginis opere S.Spiritus concepta. Clibanus vterus fuit Virginis,in quo panis iſte diuinus,vt prædictum eſt, factus eſt commeſtibilis. De hoc pane Apoſt. dicit: *Sicut eſt vnus calix ſan-* 1.Cor.10.
guinis Chriſti, quo potamur. ita vnus panis corporis Chriſti,quo reficimur.

Panis iſte comedẽdus eſt in natiuitate B.Virginis.Mens humana cũ Dei gratia illuſtratur,virgo eſt:cũ eadem gratia propter culpã priuatur,mulier

eſt

eſt, vt mulier nomē ſit corruptionis, nō naturæ: quicūque .n. eum mortali ad eſum Dominici corporis accedit, iudiciū ſibi ſumit: vnde prius naſcatur per lacrymas contritionis, vt ſic virgo comedat panem ſacroſanctæ Communionis.

OMNIVM SANCTORVM

XV. Panis quintuſdecimus merces eſt ſanctorum, ſocietas Angelorum, multiplex abundantia ſupernæ ciuitatis, & quod eſt ſuper omnia viſio ſanctæ ac indiuiduæ Trinitatis: hæc eſt adeps frumenti, qua reficitur & ſatiatur omnis illa curia cœleſtis: vnde cum pſalmiſta ad laudē Creatoris excitaſſet eccleſiam cœleſtē, adiecit:
Pſ.147.14. *Et adipe frumēti ſatiat te.* De qua ſatietate alibi aptius ait: *Satiabor cum* Pſal.16.15
apparuerit gloria tua Beatus qui mādicat hunc panem in regno cœlorū.

Panis iſte viatoribus ſubcinericeus eſt: quia bona illa cœleſtia, quæ ſperamus, nūc non aliter videmus, quàm per ſpeculum & in ænigmate. In futuro autem remouebitur cinis, quando videbitur Deus deorū in Sion fa-
Gene.18.6 cie ad faciem. Vnde & Abraham Patriarcha in figura huius rei panes ſub cinere coctos angelis appoſuit. Panis qui ſub cinere coquitur, vndiq; operitur, attam quid ibi ſit ſcitur. Et de illa æterna beatitudine quid ſcriptū
1.Cor.2.9. eſt? *Oculus non vidit*, Deus abſque te, *quæ præparaſti diligentibus te.* Latent modò, quaſi ſub cinere, quiaquicquid inde legere, audire, ſeu cogitare mēs humana poterit, ſecūdum quod ſunt,
1.Cor.2.9. nihil eſt. Ibi eſt *quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit.* In futuro autem, quando electi reſurgent in immortalitate, remouebitur cinis de pane, id eſt ſpes de re, & manducabunt ex eo ſancti omnes ſine fine. Ad quorum ſocietatē & beatiſſimæ refectionis ſatietatem nos perducere dignetur ipſe panis vitæ Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus per immortalia ſæcula ſæculorum: Amen.

DOMINICA PRIMA IN ADVENTV DOMINI. INITIVM S. Euangelij ſecundū Marcum.

CAP. I.

Initium Euangelij Ieſu Chriſti Filij Dei ſicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta: Ecce mitto Angelum meū ante faciem tuam, qui præparabit viam tuā ante te. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Marcus ſciens ſcriptum eſſe in Hieremia: *a Maledictus vir* Sermo XXXIII. a.Ier.17.5.
qui ſpem ſuam ponit in homine: in exordio Euangelij ſui, vt crederi tuis ſcādalum tolleret, Ieſum ſalutis auctorem nō filium hominis, vt Matthæus, ſed Filium Dei nominauit.

Initium inquit, *Euangelij Filij Dei.* Euangelium bonum nuncium interpretatur. Boni nuntij, bonus nuncius Ioannes fuit, qui primus pœnitentibus regni cœleſtis aditum repromiſit. Vox illius eſt cum prædicare inciperet: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Pœnitentia paraſceue eſt ante ſabbatum: aurora ante ſolis ortum Primus præco Euangelicus.

ortum, quia regnum cœlorum præcedere debet, quia ex pœnitentia habetur remiſſio peccatorum.

Maior cũctis Prophetis. Nullus Prophetarum ante Ioannẽ tam grandia pœnitentibus pollicitus eſt. Non Moyſes legiſlator, non Elias, *b* qui in curru igneo in cœlum ſubuectus eſt: non Iſaias, qui gloriã Dei vidit: nõ Ieremias, qui in vtero ſanctificatus eſt. non Ezechiel, cui aperti ſunt cœli, & vt breuiter concludam nullus Prophetarum. Illi Deo ſeruientibus polliciti ſunt terrã morientium: Ioannes ſolus, vt dictũ eſt, pœnitentibus promiſit regnum cœlorum. Illi prophetauerunt tempore reuocationis, iſte Prophetijs impletis prædicabat adeſſe tempus reconciliationis: nam per Chriſti mortem reconciliata ſunt ima ſummis: & ideò, vt ait Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos: *Noui Teſtamenti mediator eſt, vt morte intercedente, in redemptione earum præuaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionẽ accipiãt, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis.* Huius gratiæ nũcius Ioannes fuit: Angelus enim nũtius interpratatur.

b. 4. Reg. 2. 11.

Hebr. 9.15

Ab hiſce prædictus. Quod verò Ioãnis percurſio necnon, & prædicatio à Prophetis ſit prædicta, Marcus declarat cum dicit: *Sicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta.* Et quid dicit? *g Ecce mitto Angelum meum: &c.*

g. Iſai. 40.

Digreſſio. Cum primum teſtimonijs ex his ſit Iſaiæ, aliud verò *h* Malachiæ, quid eſt quod Euangeliſta Spiritu ſancto plenus vtrumque attribuit Iſaiæ? Vnam rationem, vt noſtis, Beda aſſignat in expoſitione huius lectionis, dicens omnes Prophetas vno ſpiritu fuiſſe locutos, & quaſi ex vno ore: & ideo nomen, quod diuinitus & primitus occurrit, id eſt, Iſaiæ aſſumpſiſſe pro vtroque.

h. Mala. 3. 1.

Euangeliſtæ breuiloqui fuere. Videtur adhuc alia hic poſſe ratio aſſignari. Valdè breuiloqui Euangeliſtæ fuerũt, & materiam, quę multis libris debebatur, vt rudi populo gentium, audiendi ſiue legendi tædiũ tollerent, compendioſiſſimè, ſicut eorum libri declarant, conſcripſerunt: huius rei teſtis eſt Ioannes, qui in fine Euangelij ſui ita dicit: *i Sunt & alia multa, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere eos, qui ſcribendi ſunt libris.*

i. Ioan. vlt.

Cõciliatio diſcrepantiarum. Hac de cauſa Euangeliorum conſcriptores ſæpè partem ponunt pro toto, & totum pro parte: ſimiliter & numerum ſingularem pro plurali, & econuerſo. Partem pro toto; ſicut ſæpè turbis imponitur, quod Scribæ & Phariſæi Domino conuitiabantur. Totum pro parte, vt in præſenti loco. Similiter & ibi, vbi dæmonibus cõceſſum eſt intrare in gregem porcorum: *k* qui cum ex parte paſceretur in monte, & ex parte in valle: duo Euãgeliſtarum idem miraculum deſcribentium, totum pro parte ponũt: vnus enim gregẽ dicit in monte fuiſſe, alter in valle. Quòd numerus ſingularis ſparſim in Euangelijs ponatur pro plurali, & econuerſo, habetur ex tentatione Ieſu in deſerto, vbi Matthęus dicit *l* ei à diabolo oblatos lapides: Lucas verò *m* lapidem. Similiter de murmuratione diſcipulorum: *n* pro vnguenti perditione, & de blaſphemia *o* latronum in paſſione.

k Luc. 8. 32. l. Mat. 4. 3. m. Luc. 4. 3. n. Mat. 26. 8. o. Mat. 27. 44.

In ſerie Euangelicæ lectionis, quam explanandam ſuſcepimus, perſona Ioannis à tribus & in tribus cõ-

men-

mendatur: A tribus, id eſt, Malachia, Iſaia, & ab ipſo Marco Euangeliſta. Primus illam commendat ab auctoritate miſſionis, ſecũdus à voce prædicationis, tertius à perfectione cõuerſationis. Ab auctoritate miſſionis cum dicitur: *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam.*

Malac. 3. 1

A voce prædicationis, cum ſubiungitur, *Vox clamantis in deſerto parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius.*

Iſai. 40. 3.

A perfectione vitæ, cum in ſequentibus dicitur: *& erat Ioannes veſtitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius, & locuſtas & mel ſilueſtre edebat.*

Sit imitatio prædicatoris.

Tria hæc in quolibet prædicatore ſunt obſeruanda: videlicet vt prædicandi poteſtatem habeat, vt prædicationi diligentius inſiſtat, & vt eius doctrinæ vita concordet. De primo dicit Apoſtolus: *p Quomodo prædicabunt niſi mittantur?* De ſecundo ſcribit ad Timotheum: *q Attende tibi & doctrinæ, inſta in illis: hoc enim faciẽs & teipſum ſaluum facies, & eos, qui te audiunt.* De tertio quid dicit? *r Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo: ne fortè alijs prædicans, ipſe reprobus inueniar.*

p. Rom. 10. 15.
q. 1. Tim. 4. 16.
r. 1. Cor. 9. 27.

Ioannes fuit miſſus à Deo.

Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, &c. In hoc teſtimonio ſolius Malachiæ tria notantur, quæ perſonam Ioannis valde efficiunt commendabilem, id eſt, mittẽtis auctoritas: miſſi dignitas: miſſionis vtilitas. Auctoritas mittentis cum dicit ex perſona Patris ad Filium: *ecce mitto.* Non eſt miſſus Beatus Ioannes per interpoſitam perſonã, ſicut quidam Prophetarũ, & ſicut hodie mittuntur prędicatores: ſed ab ipſo Deo. Vnde Ioannes Euangeliſta dicit de illo: *s Fuit homo miſſus à Deo, cui nomẽ erat Ioannes.*

s. Ioan. 1.

Angelus Dei.

Dignitatem miſſi etiam Malachias oſtendit, cum mox ſubiunxit: *angelus.* Non Angelus erat Ioannes per naturam, ſed per miniſterij dignitatem.

Doctores Angeli dicuntur.
t. Apoc. 1. 20.

Doctores atque prædicatores ſcriptura angelos appellat: vnde Ioannes in Apocalypſi *t* ſeptem Eccleſiarum præſules Angelos vocat. Angelus fuit Ioannes non ſecundũm perſonam, ſed per vitam cœlibem: quia vitam Angelicam imitatus eſt in terris. *u Qui enim non nubunt neque nubentur, ſimiles ſunt angelis in cœlo.* Dicens angelum, addidit *meum*, propter angelos apoſtaticos: qui licet Dei ſint per creationem, non tamen illius ſunt per cultum & amorem.

u. Mat. 12. 25.

Vt ſit vox clamãtis.

3. Vtilitas miſſionis in Ioanne oſtenditur cum ſubiungitur: *Qui præparabit viam tuam ante te.* Interrogatus Ioannes alibi, quis eſſet: reſpõdit: *Ego vox clamantis in deſerto dirigite viam Domini, ſicut dixit Iſaias Propheta*: Ergo vox clamantis Ioannes, cuius clamantis? Verbi Dei incarnati, quod per tubam vocis eius clamauit: vel vox clamantis, id eſt, clamans, vt ſit ibi endiadis. Sciens Dominum dixiſſe per Iſaiam venerabilis pręcurſor, *x exalta in fortitudine vocem tuam qui Euangelizas Hieruſalem; exalta, noli timere*: itẽ: *y clama ne ceſſes quaſi tuba exalta vocem tuam, &c.* Clamauit non ſolum deuotione cordis, ſed & valido ſono vocis in deſerto, hoc eſt, in populo Iſraelitico penè ab omni gratia ſpirituali derelicto.

x. Iſai. 40. 9.
y. Iſai. ibidem.

Vox clamoſa ad duo neceſſaria eſt in prædicatione. Intelligitur plenius

& terrorem incutit audientibus; Vnde prædicatori per Oſeæ dicitur: a
a. Oſe. 5. 8. *tuba ſit in gutture tuo*, propter quod minus habiles ſunt ad prædicandum qui voces clamoſas non habent. Igitur Ioannes non turbis in deſerto loquebatur, ſed clamauit.

Parate viam Domino, rectas facite ſemitas eius. Via Domini pœnitentia eſt, per quam peccator ad Deum venit:
Vt pœnitẽtia prædicetur.
quam Ioannes in deſerto Iudææ primus prædicauit. Quando via paratur, primò lapides tolluntur; deinde aſpera cõplanantur. A ſimili, quãdo per pœnitentiam mundatur homo, via ad cor eius paratur Domino.

Cum confeſſione.
Lapides tolluntur, cùm peccata, in
a. Iſai. 62. 10. quibus Deum offendit, confeſſione purgantur: vnde ſcriptum eſt; *a Eligite lapides de via.* Item Ieremias:
Ier. 50. 26. *Tollite lapides de via, & redigite in aceruos & interficite Babylon nec ſit quicquam reſiduum.*

Et ſatisfactione.
Via complanatur, quando ſatisfactio ſubſequitur: vnde *planum perfacite iter.*

Vtque cõſilia perſuadeãtur Euãgelica & præcepta.
Semitæ ſunt arctiora conſilia, vt eſt vita clauſtralis ſiue ſolitaria, vel recluſorum. Semitam Dominus oſtẽdit, cùm ait: *b Qui poteſt capere capiat.* Hęc eſt vita virginalis, quę mul-
b. Mat. 19. 12. tum ſtricta eſt, & ſatis aſpera carni. Ait enim Dauid in pſalmo ad Chri-
c. Pſ. 24. 4. ſtum: *c Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me.*

Per viam intelliguntur præcepta leuiora, per ſemitas verò conſilia ar-
d Mat. 19. 21. ctiora. Has cum quendã doceret Dominus, & diceret: *d Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me.* Abhorruit ille per tam arctam viam incedere pertimeſcens. Semita via eſt compendioſa. Semitæ ſunt paupertas voluntaria, continentia, parſimonia, obedientia, mortificatio carnis aſſidua: quibus recto gradu quaſi per ſemitam, id eſt, viam compendioſam, peruenitur ad patriam.

Caueat ergo vnuſquiſque noſtrũ, ne ſemitas Dei, negligentius viuendo, curuas faciat, quia multos peccata etiam venialia à gloria differunt poſt corporis depoſitionem, eoſque diutius, quam placeat in pœnis detinent purgatorijs. Sequitur.

Fuit Ioannes in deſerto baptizãs, & prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Quia de perſona venerabilis Baptiſtæ Ioãnis, quæ ſequuntur, ſatis ſunt expoſita, qualiter cuilibet prædicatori cõueniant, attendat charitas veſtra. Ioannes, teſte Domino, erat *e* lucerna ar- c. Ioã. 5. 35.
dens, & lucens. Sit ergo prædicator Ioannes, vt ardeat igne diuini amoris, & luceat exemplo bonæ conuerſationis, vel verbo ſanctæ prædicationis.
Prædicator ardeat charitatis zelo.
Ioannes interpretatur, in quo eſt gratia, vel gratia Dei. Gratia Dei in prædicatore eſt; ſi ex charitate Deum amat: gratia Dei eſt, ſi verbo vel exemplo proximos ædificat.
Luceat exemplo.

Tali congruit prædicare baptiſmũ pœnitentię in remiſſionem peccatorum. Licet ſint diuerſa genera baptiſmi: duo tamen ad præſens ſufficiant. Eſt baptiſmus cõtritionis, & eſt baptiſmus deuotionis.
Vt prædicet ad excitandam contritionem.
Primus eſt in profluuio lacrymarum ſecundum illud: *f Lauabo per ſingulas noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Secundus eſt in lætitia cordis,
Baptiſmus 1 doloris.
f. Pſal. 50.
2 lætitiæ.

dis,quando ſcilicet homo , ſe gaudet baptizatum,& deletur tali baptiſmo peccatum originale. Prædicator in ſua doctrina ſtudere non debet ad phaleras verborum , neque ad purpuramenta colorum rhetoricorum, ſed ad verba commotiua quibus audientes lacrymarum ſuarum fluentis baptizentur.

Nō ad verba cōponenda.

Ad Ioannis baptiſmum egrediebatur omnis Iudææ regio , & Hieroſolymitæ vniuerſi , & baptizabantur ab illo in Iordane,confitentes peccata ſua. Iudæa interpretatur confeſſio: Hieroſolyma viſio pacis. Duo genera hominum veniebant ad baptiſmum Ioannis ; peccatores ſcilicet, & iuſti. Peccatores, vt Phariſæi,Saducæi,& milites : iuſti , vt Petrus & Andreas : qui iuſti erant ſecundùm iuſtitiam,quæ in lege erat. Per Iudææ regionem intelligere poſſumus peccatorum confeſſionem : per Hieroſolymitas iuſtorum deuotionem.

Talis debet eſſe prædicatio , quæ malis excitet baptiſmum contritionis per timorem gehennæ : & bonis baptiſmum deuotionis per affectum cœleſtis patriæ. Et quia doctores legis non iuſtificantur apud Deum,ſed factores : qualis fuerit vita Ioannis mox deſcribitur.

Et erat,inquit,*Ioannes veſtitus pilis cameli,& zona pellicea circa lumbos eius,& locuſtas, & mel ſilueſtre edebat.* Tria ſunt vitia quibus grauiter corrumpitur natura humana , ſuperbia videlicet,luxuria,& gula : ad quorum figuram tam exemplo quàm verbo prædicator hortari debet audientes. Ad primum vitium euitandum Ioannes pilis cameli veſtitur: ad ſecundum edomandum zona pellicea ad lumbos præcingitur : contra tertiū locuſta & melle ſilueſtri veſcebatur.

Tres virtutes Baptiſtæ cōtra vitia tria mundi.

Imitentur in his tribus Beatiſſimū Ioannem prædicatores : imitentur eum & pœnitentes. Si Ioannes ſanctificatus in vtero,duris pilis cameli veſtitus erat,vt quid in habitu pœnitentiæ panni colorem vel mollitiem Monachus appetat , vel requirat? Si Ioannes vitam ſemper ducens cœlibem in deſerto habitans,aſpectus vitauit fœminarum : non decet vt Monachus , qui fortè per illas ante conuerſionem periculosè lapſus eſt , familiaritatem & colloquia deſideret illarum. Si illi,qui per eſum nunquā peccauit, ſufficiebant mel ſilueſtre & locuſta : his qui in ſæculo in cibis delicatis nec modum nec differentiā ſeruauerunt ; ſufficere debent cibaria regularia , quibus copiosè ſatis ſuſtentatur natura.

Imitandæ prædicatori,& peccatori.

Et prædicabat, Ioānes dicens:*Venit fortior me poſt me,cuius nō ſum dignus procūbens ſoluere corrigiā calciamētorum eius.* Chriſtus Ioanne poſterior erat natiuitate , ſed fortior, vel ſecūdū Ioānis Euāgeliſtę teſtimoniū, antefactus,id eſt, præpoſitus virtute & dignitate.Hinc de ſe dicit:g *Qui de terra eſt,de terra loquitur:* de Chriſto autem , *qui de cœlo venit ſuper omnes eſt.* Ego purus homo,ille Deus & homo : Aliter Apoſtolus dicit h *Chriſtum factum ex muliere , factum ſub lege.*. Ergo Chriſtus factus eſt : ſed quid factus ? Homo ; *Qui factus eſt ei,*inquit,*ex ſemine Dauid ſecundùm carnem.*

Ioānis & Chriſti cōparatio.

g.Ioā.3.31.

h.Gal.4.4

Eſt igitur ſenſus : *Qui poſt me venit,ante me*, id eſt, ſupra me *factus eſt:*

eſt, quia ego lege communi de ſemine vtriuſque parentis cõceptus ſum: ille verò ſupra legem naturæ ex puriſſima carne virginis, virtute ſpiritus ſancti, corpus ſibi adoptauit. *Ante me factus eſt*; quia in ipſa conceptione perfectus homo: & nõ ſolùm homo, ſed & Deus, & homo. *Ante me factus eſt*: quia clauſo vtero egreſſus eſt.

Et ideo non ſum dignus procumbens ſoluere corrigiam calciamentorum eius. Calciamenta Christi humanitas eius fuit: ſicut enim pedes in calciamentis celantur, ita in homine aſſumpto Christi latuit diuinitas. Calciamenta dicit pluraliter, propter corpus & animam. Vox Christi eſt in pſalmo: *i In Idumæam extendã calciamentum meum.* Calciamentũ induit, cum in vtero Virginis Deus hominem ſuſcepit: calciamentum verò in Idumæam extendit, cum per natiuitatem in mundum venit: venit ad nos calciata diuinitas. Idumæa interpretatur terrena, vel ſanguinea: ſignificans hunc mundum, ſanguine, id eſt, peccatis infectum. De ſemine Patriarcharum & Regum quaſi de pellibus animalium Dei Filius carnis traxit materiam.

Incarnatio Christi.

i. *Pſ.* 59. 10

Corrigia calciamentorum eſt indiſſolubile Dominicæ incarnationis ſacramentum, à ſæculis abſconditum. Quis enim mortalium enodare poterit, quomodo in Christi perſona duæ ſint naturæ, ita vt Dei ſit Filius & hominis: non tamẽ duo filij, vel duæ perſonæ.

Eſt incomprehenſibilis.

Cum Moyſes, ſub figura Dominicæ incarnationis videret k rubũ ardentẽ, & nõ cõburentẽ, diceretq; intra ſe: *vadam, & videbo viſionem hanc magnam quare non comburatur rubus.* Audiuit à Domino. *Non appropies huc, ſed ſolue calciamenta de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Nõn appropies, inquit, huc; ſcilicet per conſiderationem rationis: quia *l qui inueſtigator fuerit Maieſtatis, opprimetur ab ea.* Sed ſolue calciamenta de pedibus tuis: ac ſi diceret Dominus: Humanitatem tuam, quæ phyſicis rationibus peruia eſt, ſoluere poteris: meam autem humanitatem non explicabis. Cauſam verò vini, modum, & tempus humanæ conceptionis; formationem corporis & viuificationis eius per animã; necnon & natiuitatis modum, phyſicæ rationes ſoluunt & explicant. Quis non miretur rubum ardentem, & nõ comburentem? Reuera, fratres, res eſt noua, res inſignis: quod in rubo rubet ignis, nec rubum attenuat? Sic in maximo charitatis ardore de Spiritu Sancto Maria concepit filium; vt virginitatis non pateretur detrimentum.

Figura eius.

k. *Exod.* 3.

l. *Prou.* 25. 27.

Non ergo Ioannes procumbens, id eſt, quantumlibet ſe humilians dignus, imò inſufficiens erat tale ac tantum explicare ſacramentum: licèt tamen de eodem ſacramento nobis, imò tenemur meditari, & loqui: quia locus, in quo talis eſt cogitatus vel ſermo per meritum erectus, terra ſancta eſt. Beata Dei Genitrix & rubus fuit & terra. Rubus per fidei vigorem, ſiue carnis integritatem: terra per fœcunditatem.

Vt autem oſtenderet Beatus Ioannes Baptiſta Dominici aduentus vtilitatem, cùm Saluatoris maieſtatem turbis prædicaſſet, illicò ſubiunxit: *Ego baptizo vos aqua, ille verò baptizabit*

Quo diffe-rat baptiſmus Chriſti & Ioānis.

zabit vos Spiritu Sancto. Ioannes baptiſmum pœnitentiæ dedit, baptiſmum Chriſti, in quo gratia ſalutaris eſt, rædicauit. Ioannis baptiſmus frigidus erat; quia tantum in flumine: Chriſti autem baptiſmus calidus eſt, quia in Spiritu & igne. Vnde Ioānes alibi dicit: *m Medius autem veſtrum ſtetit quem vos neſcitis: ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni.* Baptiſmus, inquam, Ioannis frigidus; quia ſordes peccatorum abluere non valuit: Chriſti verò baptiſmus quia igneus eſt, non ſolùm peccata delet, ſed & virtutes confert.

m. *Ioan.*1.26.

Igniseſt in aqua baptiſmali.

Baptiſmo igneo baptizati ſunt Apoſtoli in aduentu Spiritus ſancti. Legimus *n* quoſdam Ioannis baptiſmo baptizatos, Chriſti baptiſmate rebaptizatos Qui mox acceperunt Spiritum ſanctum, & in ſignum aduentus eius cum prophetia genera linguarum. Ergò Chriſti baptiſmus igneus eſt, quia eandem gratiam, quā Apoſtoli accepērūt in igne, iſtis collata eſt in aqua. Magnę igitur virtutis Chriſti baptiſmus eſt: corpus lauat, animam mundat, cor ignit & illuminat: lauat & mundat peccatorum remiſſionem: ignit & illuminat charismatum infuſione.

n. *Acto.*18.25. & 19.3.

Recidiuātibus opus eſt baptiſmo cōtritionis.

Sed qui lauatur à mortuo, id eſt, mortali peccato, & iterum tangit mortuum, recidiuando ſcilicet, quid illi prodeſt lauatio? Omnia enim peccata, vt dicit auctoritas, per vnū mortale redeunt, etiam pe baptiſmū dimiſſa. Fratres baptiſmus cōtritionis ſupereſt, cuius virtute reditur ad ſtatum prioris innocentiæ, mūditiæ: per quem veſtis redditur innocētiæ: quem nobis, ſi lapſi fuerimus, donare, & in eo perſeuerare concedat Rex gloriæ! Amen.

HOMILIA MORALIS DE eodem.

INitium Euangelij Ieſu Chriſti Filij Dei, ſicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta: Ecce mitto Angelum meū ante faciem tuam, qui præparabit viam tuā ante te.

Sermo XXXIIII *De timore ſeruili & filiali.*

COnſideranti mihi cor peccatoris, intueor ibi ángelum, viam Chriſto præparantem, vocem in deſerto clamantem, Ioannem baptizātem, & gratiæ ſalutari teſtimonium perhibentem: Omnia hæc ſecundum moralem intellectum aliquādo fiūt in corde humano.

Peccatoris conuerſio eſt opus arduum.

Ecce mitto Angelum meum Magni ſe aliquid vice Domini Propheta dicere innuit, cum vocem demōſtratiuam præmittit. *Ecce*, demonſtratio eſt ad oculum, vt ipſius Dei verbis innitar, laborioſius eſt illi, peccatorē iuſtificare, quàm cœlum & terram creare. Vt peccator iuſtus fiat, neceſſe eſt vt liberum arbitrium apponat. Verba Dei ſunt per Prophetam: *a laborare me feciſtis in iniquitatibus veſtris.* De creatione cœli & terræ legitur: *b Quoniam ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt.*

a. *Mala.*2.17.
b. *Pſ.*32.9.

Timor Dei ſeruilis eſt vtilis

Angelum hunc Domini timorem puto eſſe ſeruilem, per cuius miniſterium Chriſto via præparatur ad mentem humanam. Qui benè dicitur Angelus Dei, quia, vt ait Auguſtinus, timor ſeruilis eſt donum Dei: qui à Deo ad cor mittitur, cùm diuinitus infunditur. Angelus interpretatur nuncius.

Ad cōuerſionem.

Ad quid mittatur mox oſtenditur, cum ſubdit: *qui præparabit viam tuā ante te.* Cum vſus ſeruilis timoris nō

ſit bonus, id eſt, meritorius: eſt tamē bonus, id eſt, vtilis; eò quòd charitatem inducat, per quam Chriſtus ad animam venit. Facit enim mentem propinquiorem, & habiliorem gratiæ, quàm fuerit ante eius ingreſſum.

Simile Elegans

Ecce exemplum. Sicut cera liquefacta propinquior eſt imagini regis, & habilior, ſigillo eius imprimēdo, nec tamen ſimilior quàm ante: ita anima per timorem ſeruilem gratię, vt dictum eſt propinquior efficitur, & ad illam ſuſcipiendam habilior. Inducit enim timorem initialem, qui non poteſt haberi ſine charitate. Vnde & ſignanter dictum eſt: *Initium Euangelij Ieſu Chriſti Filij Dei.*

Cohibetactum peccandi.
c. Ecc. 1. 16

Euangelium interpretatur bonū nuntium. Boni nuntij, nuntius timor ſeruilis eſt, quia, *c Initium ſapientiæ timor Domini.* Non eſt initium ſapiētiæ, ſed ad ſapientiam: cohibet enim à peccato malum, id eſt, actum: non animum.

Licetamorem non det.
Simile.

Vnde non immeritò comparatur voci clamantis in deſerto: ſicut vox in loquente præcedit verbum, ita timor ſeruilis præcedit, & nonnunquā inducit amorem diuinum: ipſe clamat in deſerto.

Timore pœnæ.
d. Luc. 3. 9.
e. Matt. 3. 10.

Quid dixerim deſertū, niſi cor humanum à virtutibus vacuū, & à merito charitatis derelictū? vox illius eſt; *d Iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt: e Omnis ergo arbor, quæ non fecerit fructum bonum, excidetur, & in ignē mittetur.* Timor ſeruilis ad mētem reuocat vitæ præſentis breuitatē, mortē, quæ ſæpè euenit, inopinatā: gehennæ pœnas inexterminabiles, tortores infatigabiles: quorū timore, dū peccatū operis deſeritur, quaſi per Ioānē ad cor via Domino paratur.

Via dicitur curſus præſentis vitæ: vnde in pſalmo: *f Beati immaculati in via.* Via hæc, quando immaculata eſt, via eſt Dei: quando polluta, diaboli. Viam Dei ornant mandata cœleſtia, ſimiliter & opera bona. Quodlibet horum dicitur via Dei. De via mandatorum dicitur: *g Viam mandatorum tuorum cucurri.* De via operum ſcriptum eſt: *Fili ſta ſuper viam Dei.*

f. Pſa. 118.
Via Dei & diaboli.
g. Pſal. 118

In via diaboli eſt vſus prauæ cōſuetudinis: vnde *i Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ.* Ergo via, mala conſuetudo eſt.

i. Iac. 5. 20

Eſt & via peccatorum, mundus ſcilicet vel praua operatio. De qua dicitur. *Et in via peccatorum non ſtetit.* Per miniſterium Ioannis, id eſt, timoris praua operis atque conſuetudinis fiunt in directa, & aſpera in vias planas, vt Ieſus per illas veniat ad cor.

Viaq; peccatorum.

Monachus quidam de Otterburg, teſte Domino Philippo eius Abbate, cuius relatione, quæ dicenda ſunt, cognouimus, tam duras tentationes incurrerat, vt ad ſæculum redire proponeret. Nocte quadam cum ſtaret in choro, & mente tractaret, quando, vel quomodo de monaſterio exiret, præ tœdio cātare non potuit: in laudibus verò dum canticum ſancti Abacuc pſalleretur, eò quòd eſſet ſexta feria, iam dictus Abbas, ad excitandum fratres, chorum circuiuit. Qui cum veniſſet ad Monachum illū fluctuantem, & non cantaret, putans eū dormire ſe ad illū inclinauit, & verſiculum, qui eadem hora pſallendus erat in aurem vigilantis fortiter clamauit dicēs: *Egredietur diabolus ante pedes eius.* Qua voce audita, ſatis territus eſt ille, putans Abbatem per aliquam reuelationem cogitationes ſuas prauas & aſperas non ignorare,

Exemplū deterritu ab apoſtaſia per timorem pœnæ.

qui-

quibus tā manifeſtè voce Prophetica viſus eſt reſpondere. Nec aliter intelligens verba Prophetæ, quam pro ſe facta, timuit maledictionē illius, ſi abiret, incurrere, & diabolum itineris ſui ducem habere: ſicque timore pœnæ ab itinere mortis reuocatus eſt.

Quæ verò ſequūtur de Ioanne, ſeruili timori ſatis congruunt. *Et fuit,* inquit, *Ioannes baptizans, & prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionē peccatorum.* Baptiſmum remiſſionis Ioannes dare non potuit, ſed oſtendit, & timor ſeruilis licèt iuſtificare non poſſit, charitatem tū, cuius virtute peccata remittuntur, eo ordine quo dictum eſt, inducit. Ioannes, vt noſtis, gratia Dei interpretatur, vel, cui datum eſt: Seruilis timor gratia Dei, id eſt, donum Dei eſt, cui datū eſt, id eſt, conceſſum, non iuſtificare, ſed iuſtitiæ viam præparare. k *Non erat Ioannes lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine.*

Timor ſeruilis non iuſtificat, ſed parat ad iuſtificationem.

k. Ioann. 1.

Nec miremini, quòd Ioannem dixerim timorem ſeruilem, quia ſæpè pro ſtatu temporis allegoria variatur. Cum Pharao Rex Aegypti ſignificet diabolum, l qui princeps & auctor eſt tenebrarum: filia tamen illius in hoc, quòd Moyſen de aquis tulit, & nutriens in filium adoptauit, gratiam exprimit diuinam, per quam filij iræ fiunt filij gratiæ.

l. Ioan. 14. & 16.

m. Exod. 2

Et egrediebatur ad illum, Ioannem ſcilicet, omnis Iudææ regio & Hieroſolymitæ vniuerſi, & baptizabantur ab illo in Iordane, flumine confitentes peccata ſua. Duo ſunt genera hominum in Eccleſia, videlicet Clerici & laici: Vt Clericorū nomine omnes, qui ſacros habent Ordines, deſignētur, qui omnes ſacramentum obſeruant confeſſionis. Per Hieroſolymitas Clerici, & per Iudææ regionem laici poſſunt intelligi. Quicunque ex his tantùm ex conſuetudine, ſiue timore gehennæ ad confeſſionem veniunt, quaſi ad Ioannis baptiſmum currunt.

Confeſſio ex timore pœnæ.

Habet enim timor ſeruilis baptiſmum ſuū. In plurimis vtriuſque profeſſionis, & confeſſionis tempore lacrymas elicit, quibus illorum facies lauat: ſed quia peccandi voluntas in illis manet, non iuſtificat. Nam ſicut confitendi voluntate peccati iniquitas remittitur, ita peccandi voluntas, etiam ſi confiteatur iniquitas, impedit indulgentiam. Sequitur.

Lauat ſed non iuſtificat.

Et erat Ioannes veſtitus pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos eius, & locuſtas & mel ſilueſtre edebat. Camelus tortuoſum eſt animal, gibbo ſuo, qui in aperto eſt, peccatū exprimēs operis. Pili, quia ſubtiles ſunt, ſignificant quæ ex eis naſcuntur peccata cogitationis. De pilis cameli quaſi veſtis texitur, cùm malarum cogitationū diuerſitas in voluntate vertitur. Et quia timor ſeruilis peccandi actum, non peccandi deſerit animum, rectè Ioannes de pilis cameli dicitur habuiſſe veſtimētum.

Quia peccandi animā ſeruat.

Circa cuius lumbos zona pellicea eſt, id eſt, de pelle corrigia, quia in ſeruili timore poſitus, lumbos in quibus eſt ſedes luxuriæ, ſtringit cōtinentia, ne poſtea ad incendium æternum laxetur in gehenna.

Quod autem ſubditur: & locuſtas, & mel ſilueſtre edebat, ad hoc ipſum, quod expoſitum eſt, ſpectat. Locuſta dicitur quaſi longa haſta. Qui ab opere peccati timore recedit, & non in a-

Da hac Lector ſpeculanti.

in amorem iuſtitiæ ſe extendit, retrò crura habet longiora, quàm ante. Talis non erat Apoſtolus Paulus, quādo dicebat: *in quæ retrò ſunt obliuiſcens, in anteriora me extendo.* Noluit enim vti cibo locuſtæ.

n. Phil.3. 13.

Dicitur etiam locuſta, quaſi loco ſta: & timor, vt dictum eſt, peccatorem ſtare facit, ne in actu procedat.

Locuſtæ mel ſilueſtre iungitur: vel ſignificat dulcedinem cœleſtium. Quam dum charitas non condit, quicquid de illa in timore ſeruili poſitus cogitat, palato cordis eius ſileſcit.

Et prædicabat Ioannes: venit fortior me poſt me, cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calciamentorū eius.

Illi ſuccedit timor filialis.

Poſt timorem ſeruilem timor venit initialis: qui, licet poſterior ſit tempore, incomparabiliter tamen fortior eſt, quia ille, vt præfati ſumus peccatorem declinare facit à malo: iſte, vt faciat bonum. Nō ergo dignus eſt timor ſeruilis ſoluere corrigiam calciamentorum eius, licet hoc officij ſit ſeruorum, quia in aduentu timoris initialis timor ſeruilis foras mittitur.

Cum actibus ſuis varijs.

pedes, ſunt affectus animæ, qui, quando ordinati ſunt, virtutes dicūtur, quando verò inordinati, vitia. 1. *Calciamenta pedum*, ſunt opera virtutum. *Corrigia* eſt gratia cooperans, per quam opus virtuti quaſi calciamentum pedi alligatur, ne cadat à merito. 2. Calciamenta muniūt pedes: & opera virtutes. 3. Calciamēta extrahūtur, vt cōmodius dormiatur: Dormire in morte quieſcere eſt. Beatè dormit, qui ante mortē opera bona proximis impendit, & poſt mortem eadem per exemplum poſteris relinquit. Ad talem pertinet quod Dauid dicit in Pſalmo: *o caro mea requieſcet in ſpe.* 4. Calciamēta veſpere extrahuntur, & in mane reinduuntur. In veſpere mortis opera remouentur exteriora, & in manè glorioſè reſurrectionis per præmij retributionem reinduentur. Sequitur.

o. Pſa.15.9

Ego baptizo vos aqua ille verò baptizabit vos Spiritu ſancto. Ioannes maximè baptizauit, vt homines aſſueſcerent ad baptiſmum Chriſti ſuperuenientem. Lacrymæ, quas timor educit, & non amor, quia meritoriæ non ſunt vitæ æternæ; tantum pro aqua reputantur. Attamen vtiles ſunt, quia peccatorem gratiæ habilē reddunt, & bonam conſuetudinem inducunt: quid enim ſalubrius, quàm cum lacrymis orare poſt infuſionem gratiæ? Hæc habetur per timorem initialem, cuius baptiſmus, id eſt, lacrymæ meritoriæ ſunt, eò quòd faciē lauent, & conſcientiam mundent, & Spiritus ſanctus in eis ſit, & per eas operetur.

Et contritione iuſtificante.

Timor verò filialis, qui tantùm celebratur dulcedine & amore patriæ cœleſtis, digniſſimus atque fortiſſimus baptiſmus eſt, eò quòd in illius aduentu charitas perficiatur, & peccati pœna totaliter conſumatur. Iſte baptiſmus maximam habet ſimilitudinem cum vnico baptiſmo, quo in Chriſto regenerati ſumus. Quem, quia iterare non licet, Rogemus Dominum Ieſum Chriſtum vt ſi in mortali fuerimus, per baptiſmum Ioannis, id eſt, timorem pœnæ, ad baptiſmum Chriſti, ſcilicet amorem iuſtitiæ, per quem euacuetur culpa, liceat accedere, vt ſic proficiente gratia per baptiſmum filialem, cuius virtute etiam

Et hæc eſt baptiſmus Chriſti.

etiam peccati deletur pœna, mundi & alacres ad regnum cœlorum, quod Ioannis voce prædicatum eſt, mereamur peruenire. Quod nobis præſtare dignetur, quem idem Ioannes præcurrit, prædicauit, & oſtendit, Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui cũ Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

DOMINICA SECVNDA ADVENTVS SEcundùm Lucam.

CAP. XXI.

IN *illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Erunt ſigna in Sole & Luna, & ſtellis: & in terra preſſura gentium, præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum areſcentibus hominibus, præ timore, & expectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi.* Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo XXXV.

Ad ſenſum literalem.

Signa pręterita.

Extremi iudicij terror horribile.

VOlens Dominus diſcipulis oſtẽdere ſtatum extremi ſui iudicij, ſigna quædã terribilia prædixit, quatenus ex ipſis ſignis cognoſcerent, quàm terribilis iudex adueniret. Attendite fratres, quid de aduentu illo Prophetæ dicant: Ait enim Dauid; a *Ignis in conſpectu eius exardeſcet, & in circuitu eius tempeſtas valida.*

a. Pſa. 49. 1.

b. 2. Theſ. 1.8.

Quod in igne venturus ſit, etiam Apoſtolorum probãt teſtimonia: vnde Apoſtolus ad Theſſalonicenſes. *In flamma ignis datis vindictam his, qui non nouerunt Deum, & qui non obedierunt Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Et Apoſtolus Petrus: c *Adueniet dies Domini ſicut fur, in quo cœli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſoluentur.* Quàm terribilis in illo aduentu malis ſit futurus, Iſaias non tacuit, cum ait: d *Ardens furor Domini, & grauis ad portandũ, labia eius impleta ſunt indignatione, & lingua eius deuorans.* Et quid faciet in die illa: e *Sicut fortis egredietur, ſicut vir præliator ſuſcitabit zelũ: vociferabit & clamabit, ſuper inimicos ſuos confortabitur.*

c. 2. Petr 3. 10.

Ab veniẽtis iudicis furore.

d. Iſai. 30. 27.

e. Iſai. 42. 13.

Quòd nullum ibi lateat peccatum, idem Iſaias oſtendit, cum dicit; f *Reuelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum: & vltionem capiã, & non reſiſtet mihi homo.*

A peccatorum reuelatione.

f. Iſai. 47. 5.

Quanta tunc eſſe debeat reproborum ignominia, audite Hieremiã. g *Quomodo,* inquit, *confunditur fur deprehenſus in furto: ſic confunderis.*

Et ignominia.

g. Iere. 2. 26.

Quod diſtrictio iudicij mutari nõ poſſit, & vniuerſa eſſe vera, quæ de illa per Prophetas ſunt prædicta, Dominus ipſe per Iſaiam teſtatur dicẽs: h *Ecce ſcripta ſunt hæc ante me: non tacebo: reddam vobis ſecundùm iniquitates veſtras.* Dies illa dies iræ, dies calamitatis & miſeriæ: dies amara & magna valde. Reuera fratres, reprobis erit amara nimis, electis verò iucunda: eò quòd inſtet redemptio eorum, ſecundùm quod ſaluator declarat in fine huius lectionis.

Ab rigore iudicij.

h. Iſai. 65. 6.

Nunc de ſignis, quæ facta ſunt in ſole, & luna, & ſtellis noſtris temporibus prout geſta ſunt, his qui non vide-

Signa nouitia in ſole.

viderunt, vel fortè facta non intellexerunt, referemus.

Exemplũ ſigni de tribus ſolibus.

Tempore ſchiſmatis inter Ottonẽ & Philippum Reges Romanorum, cùm idem Philippus curiam ſolemnem celebraret cum principibus, anno Domini 1206. ſignũ magnũ ſatiſq; mirabile apparuit in ſole, in tres ſiquidẽ partes diuiſus eſt, ita vt interualla eſsẽt inter partẽ & partẽ, ad inſtar lilij tres flores habentis. Quod vbi notari cœpit, ſicut nobis retulit D. Carolus Abbas Vilarienſis, & Monachus eius, qui præſentes erant; multi concurrerunt, ſuper tanto miraculo diſputantes. Et interprætati ſunt quidam quòd triplex ſolaris illa corporis diuiſio ſignũ eſſet ſchiſmatis, quod tunc temporis in Romano fuit imperio; eò quòd tres principes ſibi illud ſub nomine regio vſurparent: Fridericus III ſcilicet, qui hodie imperat: Philippus Patruus eius dux Sueuiæ: Otto filius Henrici, quondam ducis Saxoniæ.

Portẽtum ſchiſmatis in imperio.

Poſt multam horam coierunt partes, & redintegratum eſt corpus ſolare. Occiſo autem Philippo, & Ottone, poſt confirmationem depoſito atque defuncto, Fredericus reuocatus mirabiliter ſatis regnare cœpit, & quaſi ad ſuam plenitudinem ſol diuiſus rediſt. Facta eſt hæc viſio tertio Kalendas Februarij.

Signum mortis regis.

Menſe ſequenti, id eſt, pridie Kalendas Martij facta eſt ecclypſis ſolis maxima: mortis Philippi regis, qui non multò pòſt occiſus eſt, vt quidã interprætati ſunt, præſaga.

Signũ de prædicatione crucis.

Anno verò præſenti, qui eſt 1215. ab incarnatione Domini, in Sueuia, in ciuitate quæ dicitur Gdumũda, nocte quadã ſex ſcholares cum vno ſacerdote ad quoddam funus pſalterium lectitantes, poſt eius completionem egreſſi foras ſimul viderunt in cœlo lunã corniculatam, & inter eadẽ cornua in corpore lunæ obſcurato cruces ſeptẽ: ex quibus media maior erat: Et ecce ingẽs draco apparuit iuxta illã; ita vt ore aperto videretur illam velle deuorare cũ crucibus. Ad cuius hyatum luna quaſi territa eis intuentibus ſaltũ dedit, adeò vt cruces aliquantulũ tremefactæ ab inuicem diſiungerentur. Cũque ſcholares ſtarent attoniti, duæ candelæ ardẽtes de cœlo ſunt lapſæ, & in Eccleſia ſancti Ioannis Baptiſtæ, quæ in eadẽ ciuitate eſt poſita, receptæ. Poſt modicũ in aliã Eccleſiã extra muros eiuſdem oppidi, translatæ ſunt. Sacerdos verò cum ſcholaribus de tam horrifica viſione territi, & quia in ianuis eſſet dies iudicij formidantes; omnes in ordine noſtro facti ſunt nouitij.

Nota priſcum ritum orandi ad funus inhumatũ.

Videtur mihi luna hæc modica ſignare ſanctam Eccleſiam, hodie, heu! tum ſæuitia Sarracenorũ, tum perfidia hæreticorũ nimis demẽbratam, eclypſatam, atque minoratã: ſeptem verò cruces cò quòd ſeptenarius vniuerſitatis numerus ſit, multitudinẽ ſignatorum; draco, diabolũ. Quantũ hodie propter cruce ſignatos draco ille teterrimus ſæuiat, quàm ardẽter eoſdem cum matre Eccleſia in ventrẽ ſuæ malitiæ traijcere ſatagat, nullus dubitare debet, ſed licèt trepidet Eccleſia, ſicut factum eſt in perditione damnatæ: Chriſti tamen virtute fauces eius euadet.

Signum de cruce ſignatis.

Magiſter Ioannes, nunc Abbas ſancti Trudonis, cum crucem prædicaret in expeditione eiuſdẽ Damiatæ, ſtaretque in curru, ſicut ipſe mihi retulit, ſole clarius ſplẽdentem lunã ſub multa feſtinatione ad ſolẽ vidit currere.

rere. Lunã intelligens auditores verbi: ſolẽ verò Chriſtum: cuius amore pluẽs ex eadẽ turba ſignati ſunt. Hæc de ſignis ſolis & lunæ exempli gratia dicta ſufficiant.

Signa nouitia in ſtellis.

Porrò ſigna in ſtellis inſolita eodẽ tẽpore viſa ſunt: nam citra duas hebdomadas apparuit ſtella poſt ſolis occaſum tantæ magnitudinis, vt ad inſtar facule ardẽtis ex ſe flammas emitteret, multiſque eſſet eadem viſio admirationi, ſimul & terrori. Iudæi vſque hodie aſſerunt eam, ſignum eſſe aduentus ſuæ Meſſiæ.

Eodem penè tẽpore in Hiſpania, ſicut nobis retulit quidã Abbas eiuſdem gentis de ordine noſtro: Stella non ſemel, ſed ſæpius viſa eſt diſcurrere in ſuperficie terræ, ita vt multis videretur, quòd manib. capi poſſet.

Exemplũ facti cataclíſmi maris & Friſiæ pene ſubmerſæ.

Quod verò ſequitur, *& in terris preſſura gentiũ, per cõfuſionem ſonitus maris & fluctuũ.* &c. pro magna parte impletũ videmus. Nam anno gratiæ 1218. mare in partibus Friſiæ terminos ſuos egrediens, multarũ prouinciarũ terras occupauit, villas deleuit, eccleſias lapideas deiecit, tantã hominum extinguens multitudinẽ, vt ſumma centum millia tranſcẽderet. Ita exaltati ſunt fluctus eius, vt turrium altitudines operiret, & procella procellam impellens generale diluuium terris minaretur, areſcẽtibus hominibus gentis eiuſdẽ præ timore & expectatione: nec mirum.

Non effluxerat bienniũ, & ecce plaga rediuiua per aquarum inundationes innumerabiles extinxit. Poterãt benè ad tantas miſerias virtutes cœlorum moueri.

Is tamen cõprehenſus videtur B. V M. deprecatione.

Virtutes cœlorum ciues ſuperni ſunt, in quibus magna cõpaſſio eſt, & apud Deum poteſtas. Summa virtus poſt Deũ Beata eius Genitrix eſt virgo Maria: cuius pietate, ſicut ex quadam viſione colligitur, prædicti fluctus maris ſedati ſunt. Sequitur.

Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum poteſtate magna & maieſtate.

Signum in prædicatione crucis.

Cum Oliuerus ſcholaſticus Colonienſis, nunc autẽ Epiſcopus & Cardinalis ſanctæ Sabinæ, cuius hic verbis vtar: crucẽ prædicaret in Friſia, in diœceſi Monaſterienſi, villa Bedũ, menſe Maio, feria ſexta Pentecoſten: triplex forma crucis apparuit in aere, vna candida verſus Aquilonem, alia verſus Meridiem eiuſdẽ coloris, & ſchematis: tertia medio colore colorata, habens crucis patibulum, & figuram hominis in ea ſuſpenſam, eleuatis brachijs & extenſis, cum infixione clauorum in manibus & pedibus; & capite inclinato. Hæc media fuit inter alias duas, in quibus non erat effigies humani corporis. Ecce & ſi Chriſtus ibi viſus non eſt in maieſtate, ſed magis in forma humilitatis: quia in cruce: erat tamen eadem viſio poteſtas & cauſa magnæ ſalutis, quia multi illius gratia cruce ſignati ſunt.

Aliud.

Alia vice & alio loco in villa Friſiæ Suterhuſen, tempore prædictæ prædicationis apparuit iuxta ſolem vna crux cerulei coloris.

Aliud.

Tertia fuit apparitio in villa Docheim, vbi ſanctus Bonifacius martyrio coronatus eſt. Hanc omnis populus vidit; necnon & Abbas noſter, qui eodem tempore præſens fuit.

Ex iis fit ſpes de aduẽtu Chriſti maturando.

Vnde fratres, quia ea, quæ Saluator noſter de aduentu ſuo ſigna prędixerat impleta, iã videmus, quòd ad iudicium citius venturus ſit, ſperamus,

 Spe-

Speramus dixerim: & meritò, quia ipſe dixit: *His autem fieri incipientibus, reſpicite, & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Sicut aduentus eius iudicialis reprobis plena erit dānatio, ita perfectis perfecta redemptio.

Docetur ſimili.

Et dixit illis ſimilitudinem. Videte ficulneam, & omnes arbores: Cū producunt iam ex ſe fructum; ſcitis, quoniam prope eſt æſtas. Arbores in vere florent, & circa eius finem flores in fructus proficiunt: Et quia finis veris principium eſt æſtatis, ex diſpoſitione arborum facilè depræhenditur qualitas temporis. A ſimili cum ſigna atque portenta, quæ veritatis ore ſunt prædicta, pareant, & per diuerſa loca terræ motus inauditi, bella etiam, peſtilentiæ, & fames quotidie nos terreāt: ſcire debemus, quòd prope ſit dies Domini.

Hæc ſecundùm ſenſum litteralē ſub breuitate tranſcurrimus, quatenus intellectui allegorico, necnon & morali per expoſitionem plenius immorari poſſimus.

HOMILIA MYSTICE EDITA DE EODEM.

ERunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis. Et reliqua.

Sermo XXXVI. *Ad ſenſum allegoricum.*

VT ait Moyſes, *fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cœli, luminare maius,* id eſt ſolem, *vt præeſſet diei: luminare minus,* ſcilicet lunam, *vt praeeſſet nocti.* Et ſtellas.

In Eccleſia eſt cœlum.

a. Pſ. 32. 6.

Firmamentum cœli ſancta eſt Eccleſia, verbo Dei, id eſt, Chriſti gratia firmata. Vnde in Pſalmo: *a Verbo Domini cœli firmati ſunt.* Eccleſia, & cœlum dicitur, & cœli pluraliter. Cœlum, in corporis ſui vnitate; cœli, in membrorum diuerſitate.

In ea præcipui duo: Papa & Imperator.

In hoc cœlo ſiue firmamento fecit Deus duo luminaria magna, id eſt, duas magnas & ſummas dignitates: Papatum videlicet & Imperiū. Luminare maius Romanus Pontifex eſt, Vicarius Chriſti, Pater Patrum, paſtor vniuerſalis, & caput totius Eccleſiæ. Luminare minus Romanus Imperator eſt, excellentiſſimum Eccleſiæ membrum, princeps & caput omnium regum.

Papa vt ſol.

Sol ſignificat Papam, quia ſicut ſol dicitur quaſi ſolus lucens comparatione: ita Dominus Papa gloria, auctoritate, & dignitate omnem in hoc mundo præcellit dignitatem: ipſe enim in literis ſuis non ſolùm omnibus Epiſcopis, vel principibus: imò etiam Imperatori ſe anteponit. Magna dignitas. Sed ve illi, ſi ſplendor magnitudini, id eſt ſanctitas dignitati illi non reſponderit.

Imperator vt Luna.

Luna congruit Imperatori, quia dum à Papa coronatur, & benedicitur, quaſi luna à ſole accenditur. Talem ac tantam gloriam Conſtātinus Imperator humili, ſed ſancto Epiſcopo Syluestro contulit, priuilegiiſque confirmauit.

Vterque poteſtate vtitur certa.

b. Pſ. 135. 8.

c. Rom. 13. 1

Fecit ergo Deus, ſicut dicitur in Pſalmo, *b ſolem in poteſtatem diei, lunam & ſtellas in poteſtatem noctis: c Non eſt enim poteſtas, niſi à Deo: quæ autem à Deo ſunt, ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, ordinationi Dei reſiſtit.*

Clerus eſt vt dies.

Per diem intelligitur ordo clericalis, & perſonæ ſpirituales: per noctem ordo laicalis, & viri ſæculares.

illos

Illos diem dixerim propter lucem exterioris ſcientiæ, & cognitionem legis diuinæ: iſtos verò noctem propter defectum literaturæ: vterque ordo Dei eſt, & à Deo illuminatur, ſecundùm illud: *d Tuus eſt dies, & tua eſt nox.*

d. Pſ. 73. 16

Dies naturalis lucem habet & tenebras: vnde *e Factum eſt veſpere & mane dies vnus.* Per charitatem enim & donum ſcientiæ interioris, clerus & populus, idiota & literatus, peccator & iuſtus æquantur. Hinc per Pſalmiſtam dicitur: *f Et nox ſicut dies illuminabitur, ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.*

e. Geneſ. 1. Clerus & populus iunctim eſt vna ditio Papæ. f. Pſ. 138. 12

Factus eſt ergo ſol, id eſt, Pontifex Romanus, in poteſtatē diei, quia ipſe ſpecialem poteſtatem accepit in Clerum, & tantam, vt omnia Eccleſiaſtica ſtipendio, necnon & dignitates à ſe & ſub ſe eſſe teſtetur, & ad libitum, cum vult, illa diſpenſet.

Beneficiorum Eccleſiæ diſpēſator eſt Papa.

Imperator verò factus eſt in poteſtatem noctis, quia omnes principatus ſæculares ab ipſo ſunt, & ab ipſo teneri deberentur: ſi in ſua gloria, id eſt, Monarchia, Romanum ſtaret imperium.

Imperator eſt regum ac principum Monarcha.

Duplex hæc poteſtas, duo gladij ſunt, g quos Domino Petrus præſentauit, illo reſpondente; *ſatis eſt.* Vnus gladius ſpiritualis eſt; qui Papæ collatus eſt à Domino: alter materialis, quem tenet Imperator ſimiliter à Deo. Hoc duplici gladio regitur ac defenſatur Eccleſia Chriſti.

Suus vtrique gladius eſt. g. Luc. 22. 38.

Apoſtolici verò condiderunt decreta: Imperatores, leges & iura, quorum tanta concordia eſt, vt vnus alterius regat hemiſphærium. Nam in cauſis Eccleſiaſticis Eccleſia legibus vtitur & iure: & econuerſo.

Decretorū Papę: Legū Imperatoris.

Aduertite fratres, quanta vel qualia ſigna facta ſint in his duobus luminaribus, & hoc temporibus noſtris. Poſt mortem Henrici Imperatoris, cùm Otto Comes Pictauienſis, Coloniæ fuiſſet electus in Regē Romanum: Innocentius Papa cœpit in tātum illum diligere, vt electionem eius confirmaret: Electores à iuramento, quod Friderico, qui hodie imperat, fecerant, abſolueret: aduerſarios eius excommunicaret, & nonnullos Epiſcoporum propter ipſum deponeret. Quem cum Romæ in Eccleſia Beati Petri Apoſtoli in Imperatorem conſecraret, tanta inter illos erat amicitia, tantaque concordia, vt in eis impletum videretur illud Sancti Habacuc Prophetæ: *h Sol & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo in luce ſagittarum tuarum:* ita vt multi ſperarent, quòd per eos quaſi *i in ſplendore fulgurantis haſtæ Dei:* cæcitas Sarracenorum vel illuminanda eſſet, vel virtus expugnanda.

Narratio de Ottonis & Innocentij cōcordia. h. Habac. 3. 11. i. Nahum. 3. 3.

Et ecce non abſque magno miraculo propter quædam allodia, tam repentina facta eſt inter eos diſſenſio, vt maius eſſet odium Innocentij contra Ottonem amore priſtino, ita vt quoſdam præſulum irrecuperabiliter depoſitos ad ipſius impedimentum reſtitueret, eique adhærētes excommunicaret vel deponeret. Cui etiam Fridericum regem Siciliæ, aduerſarium ſuſcitauit, Ottonem excōmunicatum denuncians, atque depoſitum. Quem cum penè omnes Principes Imperij deſeruiſſent, rupto iureiurando, valde eleuatus eſt ſol, id eſt, Innocentius, de tanti viri deiectione glorians, ſed luna, Otto ſcilicet, ſtetit in ordine ſuo nomen Imperatoris, quoad vixit, ſibi vſurpans, & in eo decedens.

Mox verſa in fatale diſſidium.

Prælati ſũt vt ſtellæ.

Facta ſunt & ſigna in ſtellis. Stellæ ſignificant Eccleſiæ prælatos, ſcilicet Epiſcopos, Abbates, & Archidiaconos, quorum vniuerſitas in Apocalypſi per ſeptẽ ſtellas, quas Ioannes vidit in dextera Ieſu, figurata eſt. In ſtellis eſt claritas, ſublimitas, & ordo. Vita epiſcopalis clara debet eſſe per doctrinã, ſublimis, id eſt, in cœlo per bonam vitã, & ordinata per diſciplinam. In his ſigna facta ſunt ſatis notabilia, quia penè omnes Epiſcopi Alemãniæ timore Innocẽtij, ſiue Friderici ruperũt iuſiurandũ, laicis ſatis portuoſum relinquentes exemplum.

Et in his ſigna defectionis.

Fuit eodem tẽpore in terris preſſura gentiũ præ confuſione ſonitus maris & fluctuum: tanta tunc bella extitere, atq; deprædationes in Prouincijs, vt populis, imminentia mala fugientibus, granis admodũ preſſura fieret in ciuitatib. munitis atq; caſtellis.

Inque plebe cõfuſio motuum.

Mare ſignificat præſens ſæculum, tunc temporis amariſſimum.

Fluctus maris principes erant Imperij, Duces videlicet Palatini, Marchiones, Comites, cæterique potentes ac nobiles, per quos ſtatus reipublicæ turbatus eſt nimis: vnde in Pſalmo: k *Sonuerunt & turbatæ ſunt aquæ eorum.*

k. Pſ. 45. 4.

Tantus in eodẽ ſchiſmate ſonitus erat deprædantium, tam miſerabiles clamores ſuſtinentium, vt meritò areſcere poſſent homines præ timore & expectatione eorũ, quę ſuperuenire timebãtur vniuerſo orbi Romano.

Ac deprædatio.

Poſſunt etiã ſonitus maris & fluctuũ ſignare rumores, quos excitauit regni diſcordia: quibus nõ ſolũm ſæculares, ſed etiã clauſtrales turbabãtur, alijs defendentibus partes Ottonis, alijſque partes Philippi, ſiue Friderici, in quibus dum viri ſpirituales verſarẽtur contentioſa locutione, areſiebant ab humore cœleſtis gratię. Gratiam deuotionis & lacrymarum in oratione, rumores ſæculares valdè minuere ſolent. Sequitur.

Et rumores terrifici.

Nam virtutes cœlorum mouebuntur. Virtutes cœlorum ſignificare videntur perſonas contẽplatiuas in vtroq; ſexu, quorũ conuerſatio in cœlis eſt, & virtus magna apud Deũ: vt enim taceam de Clericis, Monachis, atque cæteris religioſis, quorum monaſteria eodem tẽpore rapinis ſunt vaſtata, clerici capti, monachi ad theſaurorum ſuorum declarationẽ pœnis inducti; innumerabiles ſanctimoniales, necnon & recluſæ motæ ſunt & extractæ, ſatiſq; miſerabiliter deductæ, ita vt angelicæ virtutes, quorum vitam in terris imitãtur virgines, ſuper illarum iniuria meritò moueri debuiſſent.

Ipſis etiam clauſtralibus.

Iiſdem temporibus maxima acceſſit confuſio ſonitus maris & fluctuũ, id eſt, hæreticorũ Albienſium, apertè fidẽ Catholicã impugnãtium. Sed Omnipotens Deus cõtra tã multiplicia mala magnũ adhibuit remedium: videlicet Filij ſui ſpiritualem aduentũ: qualem inquis aduentum? de quali ſubditur:

Acceſſit his hæretica impietas.

Et tunc, id eſt, in illo tempore, *videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum poteſtate magna, & maieſtate.* Nubes, quia coruſcant, tonant, & pluunt, ſignificãt prædicatores, de quibus per Iſaiã dicitur: l *Qui ſunt iſti qui vt nubes volant.* Item in Pſalmo: m *Quis in nubibus*, id eſt, in prædicatoribus æquabiliter Domino? Quaſi nullus.

Iſtis interuenere medij Prædicatores

l. Iſa. 60. 8

m. Pſa. 88.

Occaſione igitur hæreticorum Albienſium maximè ſub Innocẽtio Papa inſtitutus eſt inſpiratione diuina

E quibus coaluit Ordo prędicatorũ nouus.

Ordo

Ordo prædicatorum. Qui veraciter & meritò nubibus volantibus comparantur, eo quòd mente mundo ſuperiores, nihil in hoc mundo poſſideāt: propter quod timorem mūdanū abijcientes, minis tonant, perquorum ora, necnon & aliorū ſanctorū prædicatorū crucem prædicantiū Filius hominis venit, & quotidie venire non deſinit, in innumerabilium corda peccatorū, cum poteſtate magna peccata illis remittendo, & maieſtate virtutes illis infundendo.

Narratio de horribili tempeſtate. *His autem fieri incipientibus, leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Nudiuſtertius cum multo pauore ac tremore capita cū manibus leuauimus in cœlum, non capita, id eſt, corda exhilarando, ſed vt ad nos pacificè venire dignaretur ſuppliciter exorando: tanta enim, vt noſtis extitere coruſcationes, vt aer ardere; tāta tonitrua, vt cœlum ruere, tanta vis imbrium, vt diluuiū terris induci videretur. Quis vnquam tantā vehementiam ventorum vidit noſtris temporibus.

Aedificia deiecta ſunt, arbores tam ſilueſtres, quàm pomiferę paſſim cōfractæ & euulſæ, ita vt diem iudicij inſtare putaremus. In die iudicij Chriſtus, qui caput eſt Eccleſiæ, omnia ſua membra liberabit à culpa, & libertate dotabit æterna.

Et dixit illis ſimilitudinem. Videte ficulneam, & omnes arbores: Cum producunt iam ex ſe fructus ſcitis quoniā prope eſt æſtas. Per ficulneam intelligitur ſynagoga, cui Dominus ſub ſpecie ficulneæ maledixit: m quæ licet nunc ſterilis ſit, in fine tamen mūdi, fidei ex ſe fructū perducet ſecundùm illud Iſaiæ: n *Si fuerit numerus filiorū Iſrael tanquam arena maris, reliquiæ ſaluæ fient.* Cæteræ arbores ſignificāt multitudinem gentium, ex quibus aliæ fructiferæ ſunt, vt boni Chriſtiani, aliæ verò ſteriles & aridæ, vt Pagani & hæretici.

Iudæorū & gentiū conuerſio. m. *Mat.* 21 19. n. *Iſai.* 10. 22.

Et bene additū eſt, *omnes arbores:* quia cum ſubintrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Iſrael ſaluus erit. Et erit hæc fides generalis ſignum æſtatis, id eſt iudicij.

In æſtate dies clariores ſunt atque longiores, terra amœna atque fœcūda. Aeſtas ſtatum futuri temporis exprimit, in quo ſol ſuperabit ſolem, & dies diem: vnde Iſaias: o *Et erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter, &c.* Significat proximam beatitudinem. o. *Iſai* 30. 23.

De longitudine diei illius, quæ nota eſt Domino, Dauid Deo dicit in Pſalmo: p *Quoniam melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper millia.* Aeternam p. *Pſ.* 83. 11.

De amœnitate & vbertate beatiſſimæ illius terræ, diuerſa ac plurima ſuppetunt teſtimonia. Similitudinē præmiſſam expoſuit cum ſubiunxit. Et beatiſſimam.

Ita & vos cum videritis hæc fieri: ſigna ſcilicet prædicta; *ſcitote quoniā prope eſt regnum Dei. Amen dico vobis, non præteribit generatio hæc,* Iudæorū vel Chriſtianorum, *donec omnia fiant. Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Veritas mētiri non poteſt.

Vnde fratres, nos qui veritati credimus in veræ vitæ præſentis, ſic opera fidei ſeminare ſtudeamus, vt in æſtate futuræ iucunditatis, quæ oculus nō vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, metere valeamus. Ad quam vbertatem nos perducat, qui ſine fine viuit & regnat. Amen.

ITEM

ITEM HOMILIA MORALIS *de eodem.*

E*Rūt ſigna in ſole, & luna & ſtellis;* &c.

Sermo XXXVII. *Ad ſenſum moralem.* Propoſitio

SIcut ſæpè diximus, Theologi diſtinguũt tres Chriſti aduentus corporales, ſcilicet in vterum, in mundum, ad iudicium: de quibus dicere ad præſens neceſſe non eſt. De ſpirituali eius aduentu, qui ſimiliter triplex eſt: prout ipſe inſpirare dignabitur breuiter explicabimus.

Aduentus Chriſti in animam eſt triplex.

Primũm venit Ieſus ad animam peccatricem, vt gratia ſua indignam illuminet: deinde venit poſt multos gradus meritorum, vt gratiam perficiat, nouiſſime venit, vt animam per fectā in æterna vita remuneret. Malo ſuo præſtolatur aduentum iudicis; in quo non præceſſit, imò qui non deceſſit in aduentu gratiæ ſalutaris.

Eius ſigna ſunt charitas.

Hunc aduentum præcedunt quędā ſigna in ſole, & luna, & ſtellis. *Sol* ſignificat charitatem, Luna, animam rationalem, ſtellæ virtutes animæ ſpirituales. Sicut enim luna accenditur à ſole, ita anima cum Chriſto cōiungitur à charitate. Nam ſicut ſol ſingularem prærogatiuam tenet inter vniuerſa ſydera cœli, ſic charitas gloriæ ſingularis eſt inter omnes virtutes animi.

Et virtutes

Stellæ ſunt virtutes, fides ſcilicet, & ſpes, iuſtitia, prudentia, fortitudo, & temperantia, quibus Spiritus ad inſtar firmamenti adornatur, & illuminatur. De his ſtellis Debbora cecinit in cantico ſuo: *a Stellæ manentes in ordine & curſu ſuo pugnauerūt contra Syſaram,* id eſt diabolum, cuius exercitus vitia ſunt. Item Baruch:

a. Iudic.5. 20.

b Stellæ dederunt lumen in cuſtodijs ſuis.

b. Baruch. 3.34.

De charitate autem quid dicitur? *c Qui diligunt te Domine, ſicut ſol in ortu ſuo ſplendet, ſic rutilent.* Item Eccleſiaſticus: *d homo ſanctus in ſapientia manet ſicut ſol.* Radius ſolis, motus eſt charitatis. Hic in ortu ſuo, id eſt, in incipientibus ſplendet: & in meridie, id eſt, perfectis, fulget.

Charitas eſt ſol. c Iudic.5. 31. d. Eccl.27. 12.

In radio ſolari duo ſunt, ſplendor, & calor. Splendor illuminat: calor fœcũdat. Duo hæc charitas operatur in anima: illuminat conſcientiam tenebroſam luce ſcientiæ, calefacit & fœcundat amore iuſtitiæ, & vt apta ſit fructus virtutum procreare, vires ſubminiſtrat. De luce & ſplendore charitatis audi Iſaiā: *e Requiē,* inquit, *dabit tibi Dominus Deus tuus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuā.* De fœcunditate mox ſubiungit; *& oſſa veſtra ſicut herba germinabunt.*

Illuminās & fœcundans. e. Iſai.58. 11.

Sol in aſcenſu ſuo annuo duo celebrat ſolſtitia: hyemale ſcilicet, & æſtiuale, & inter vtrumque æquinoxium vernale. Tria hæc triplici ſtatui charitatis, & trino aduentui gratiæ ſalutaris poterunt aſſignari.

Sed pro triplici ſtatu hominū trifariam.

Quando charitas animæ peccatrici infunditur, ſolſtitium ibi facit hyemale, eò quòd modicum habeat diei, id eſt, amoris, & multum noctis id eſt timoris. Deinde gradatim aſcendens per motus & opera charitatis ad vernale perducitur æquinoctium, in quo dies nocti æquatur. Cũ charitas perficitur, quaſi æquinoctiũ in anima celebratur, eò, quòd tunc ſatisfactio culpæ reſpondeat; nec ſit, quod Deus meritò punire debeat. Quod ſtipula ante ignem: hoc veniale pec-

In incipiētibus inchoatiuè. In proficientibus gratioſè conſtanter. In perfectis glorioſè.

le peccatum ante perfectam charitatem.

Inde charitas eſt triplex. Ab æquinoctio vernali ſol per tria ſigna mouetur, & in primo gradu quarti ſolſtitium facit æſtiuale. Eſt charitas perfecta, perfectior, perfectiſſima. Ecce tria ſigna, per quæ charitas mouetur: & beata, imò beatis beatior erit anima illa, ad quam in tam ſublimiſſimo gradu poſitam. Ieſus ab axe cœli deſcendes venire dignatur, vt ad æſtatem perpetuæ iocũditatis illam ſublimet.

Signũ incipientis eſt humilitas. Hunc aduentum ſigna quædam in ſole, & luna, & ſtellis præcedunt: quando in ardeſcente charitate anima fit humilior, mãſuetior, & ad opprobria toleranda paratior, quaſi ſigna fiunt in Sole, & Luna, & ſtellis: Cum virtutes in anima per humilitatis meritum obtenebrantur, ſignũ eſt aduentus gratiæ ſalutaris.

At hic ſurgunt motus ſenſualitatis & pugna ſpiritus. Et eſt neceſſe vt tunc in terris fiat preſſura gentiũ. Terra ſignificat corpus humanum, de terra creatum: gẽtes motus ſenſualitatis ſunt: qui modicum à brutis, quæ gentes adorabãt, differunt. In terris ergò fit preſſura gentium; cum carne cohibentur motus vitiorum: Hinc Apoſtolus dicit: *f Qui autem Chriſti ſunt carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs.* f. Gal. 5. 24

Carnem crucifigere, motus illicitos reſtringere eſt: Eſt enim triplex motus hominis, mentis in voluntate, ſenſualitatis in delectatione, & motus ipſius corporis in opere. Igitur neceſſe eſt vt in perfecta charitate preſſura gentium, id eſt, motuum illicitorum fiat in ſenſualitate.

Cauſam verò preſſuræ mox aperit, cũm ſubiungit: *Præ confuſione ſonitus maris & fluctuum. Mare*, ſignificat amaritudinem contritionis: vnde Hieremias; *g Magna ſicut mare contritio tua.* *Ob contritionem.* g. Thr. 2. 3.

Fluctus maris ſunt ſingultus cordis, lacrymæ, ac ſuſpiria, quæ contritionis excitat vehementiam.

Sonitus maris & fluctuum, confeſſionem oris exprimit, quæ confitentis ſpiritum per erubeſcentiã ſatis conturbat & confundit. De tali confuſione dicitur: *b Eſt confuſio adducens gloriam & gratiam.* *Et confeſſionem.* h. Eccl. 4. 25.

Areſcentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi. Homines ſignificant motus rationis; qui in aduentu perfecti timoris, qui & filialis vel caſtus dicitur, areſcũt ab humore malę delectationis. Vniuerſus orbis totus homo eſt, cum carne & ſpiritu: in quo per ardorem charitatis areſiunt à vitijs tam motus mentales, quàm carnales. *Tunc exareſcunt vitia.*

Et tũc videbunt filium hominis venientem cum nubibus, cum poteſtate magna & maieſtate. Nubes, ſunt ciues ſuperni, ſine quorum miniſterio Chriſtus non venit: Comparantur autem nubibus Angeli, ſiue ſanctorũ animæ propter ſublimitatem, propter leuitatem, propter agilitatem. Sublimes ſunt, quia in cœlo, leues, quia ſine peccato: agiles, quia ſemper cum Deo. Quia nubes ſunt ſuperni ciues, nos in via protegunt, & pluuiam gratiæ ſuis ſuffragijs ſuper nos effundunt. *Aduenitque Chriſtus cum Angelis.*

Ecce cum huiuſmodi nubibus filius hominis ad animam perfectam, à vitijs areſactam, id eſt, purgatam, vt illam educat, eductamque remuneret, venit. *Qui egredientem animam deducunt.*

i.Dan.7.7 De hoc aduentu Daniel dicit: i *Aſpiciebam in viſu noctis: & ecce filius hominis cum nubibus veniebat*, &c. Venit *cum poteſtate*, ne maligni ſpiritus animæ egredienti noceant: *& maieſtate*: vt de cõtemplatione gloriæ anima gaudeat.

Exemplũ ſic decedentis. Monachus quidam, Alardus nomine, cum in Lucka, domo quadam Ordinis Ciſtercienſis, moriturus eſſet; vultu iucundo ad fratres circumſtãtes locutus eſt: Ecce Dominum meũ Ieſum Chriſtum cum Matre ſanctiſſima, & multitudine Angelorum atque ſanctorũ præſentes intueor, qui manum ſuam mento meo ſuppoſito, mox animam egredientem ſuſcipiet: Et vt ſciatis eſſe verum: en ſpiritum reddo. Mira Dei gratia! cùm corpus illius vermibus ſcateret, mox anima egreſſa, tam ſuauiſſimus odor ſubſecutus eſt, vt omnes odores aromaticos ſuperaret.

Quod verò præmiſſum eſt, *nam virtutes cœlorum mouebuntur*: ad agilitatem Eccleſiæ triumphantis referri poteſt: quæ Deo, qui vbique eſt, & à quo omnis motus eſt, inſeparabiliter adhæret. Virtutes cœlorum nubes ſunt volantes, de quibus dici-

k.Pſ.67 35 tur in pſalmo: k *Magnificentia eius*, Chriſti ſcilicet, *& virtus eius in nubibus*, id eſt, in ſanctis triumphantibus. Sequitur.

Hu autem fieri incipientibus, reſpicite & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.

Aliud de morte iuſti. In prædicto cœnobio Lucka, cùm conuerſus quidam, ſanctæ admodum vitæ, moriturus eſſet, circumſpexit, & riſit: Sciſcitantibus cauſam, reſpondit: Cur non rideam, cum Dominam meam ſanctam Mariam aſpiciam? ſicque ridendo exſpirauit.

Signum boni. Quando electi tẽpore agoniæ circumſpiciunt, & cum quadam vultus tranquillitate capita cum oculis ſurſum attollunt: ſignum eſt præſentiæ ac conſolationis diuinæ. Econtra reprobi ad inſtar colubrorum capita ſua retorquent, & tegunt, horrorem diabolicæ viſionis portare non valentes.

Aliud de morte reprobi. De hoc exẽplum habemus in dialogo beati Gregorij de puerulo blaſphemo, qui dæmones in Maurorum ſpecie vidẽs, caput in ſinu patris occuluit.

Aduentus Ieſu ad finem iuſtorum initium redemptionis eſt eorũ.

Et dixit illis ſimilitudinem: Videte ficulneam, & omnes arbores: Cum producunt iam ex ſe fructum, ſcitis, quia prope eſt æſtas. Tempore veris ſuccus radicum ad flores aſcẽdit, cuius vi flores & folia erumpunt, quibus æſtatis vicinitas cognoſcitur. A ſimili; cum ſuccus, id eſt, gratia cordis ad ramos, id eſt, manus transfunditur, & erumpũt opera iuſtitiæ, pietatis, & miſericordiæ, ſignũ eſt, quòd is in quo hæc fiunt, vicinus ſit regno Dei. Si ille, qui Saluatori bene reſpõdit, audire meruit, l *Non longe es à regno Dei*; quanto magis is, qui & rectè credit, & benè viuit, vicinior eſt æſtati, id eſt, regno Dei. Opus externum eſt ſignũ gratiæ internæ. l.Marc.12 34.

Quapropter, fratres dilectiſſimi, ſic viuere ſtudeamus, vt ad æſtatem illam perpetuam, in qua folia nõ deponuntur, nec fructus minuuntur, peruenire mereamur: ipſo præſtãte, cuius maieſtas & imperium manet in æternum: Amen.

* * *

DO-

DOMINICA TERTIA ADVENTVS SECVNDVM Matth.

CAP. XI.

In illo tempore. Cum audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo XXXVIII. a. Marc. 6. 17. Baptiſta non dubitauit de aduentu Chriſti.

Sicut dicit Marcus *a miſit Herodes, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcerem propter Herodiadem, vxorem Philippi fratris ſui, quia duxerat eam.* Nemo credat, venerabilem Baptiſtam Ioannem, qui teſtimonio Saluatoris plus fuit quàm Propheta: de aduentu ipſius Saluatoris in mũdum dubitaſſe: maximè cùm illum nouerit adhuc *b* poſitus in vtero: digito *c* preſentialiter turbis oſtenderit in deſerto, & multa atque mirifica deitatis teſtimonia ſæpè perhibuerit de illo. Quòd ſi dubitaſſet illum fuiſſe Chriſtum; potius dixiſſe debuerat: *tu es, qui venturus eſt*, quàm, *qui venturus es.*

b. Ier. 1. 5. & Iſai. 49. c. Ioã. 1. 29.

Non dubitauit Chriſtum fore liberatorẽ

Sed vir beatiſſimus ſciens ab Herode ſe interficiẽdum, vt ſanctis, qui apud inferos detinebantur, nuntium deferret iucundum: interrogat ore diſcipulorum: vtrumnam per ſemetipſum ad illorum liberationem venturus ſit, vel alium miſſurus. Ita Gregorius exponit: hoc illum ignoraſſe dicit.

Cui contradicere videtur ſpiritus prophetiæ, qui erat in Ioanne. Quomodo is, qui plus quàm Propheta fuit, ignorare potuit, quòd reliquos ſimplices prophetas non latuit? Ait enim Zacharias de illo: *d Tu in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua.* Et Dauid: *e Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me*, id eſt, carnẽ ex me. Iſaias quoque: *f Propter vos miſi in Babylonem*, id eſt, filium meum ad infernum, *& detraxi vectes vniuerſos.* Ait etiam Sybilla *g* in carminibus ſuis: *Tetras portas confringet aperui.* Multa in hunc modum paſſim in Scripturis de Chriſti aduentu reperiuntur teſtimonia: quæ ſi Ioannes ignoraſſet, per ſpiritum Prophetiæ; poterat tamen ea legiſſe vel audiuiſſe à diſcipulis.

d. Zach. 9. 11. e. Pſ. 48. 16 f. Iſai. 43. 14. g. Erythraea.

Vnde in expoſitione Beati Gregorij, interrogatio Ioannis videtur fuiſſe ignorantiæ, & dubietatis, amoris, & pietatis. Sic mater filio vnicè dilecto, cùm ad ſe properare illũ videt, loqui ſolet: Nunquid non ipſe venies ad me fili mi? Hæc de Beati Ioannis perſona dicta ſufficiant. Et quia ſequentia per ſenſum allegoricum ſatis expoſita ſunt; illo omiſſo moralitati inſiſtamus.

Gratia Dei ſumus quod ſumus.

Cum audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti. Ioannes qui interpretatur gratia Dei, vel in quo eſt gratia ſpeciem iuſti tenet, cui ex ſententia dicere datur cum Apoſtolo: *h Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit.* Qui proximũ verbo vel exẽplo, vel vtroq; modo ædificat; Dei ſe eſſe gratiã oſtẽdit, quia nõnunquã is, qui eius gratia caret, per illũ ad Dei gratiam attingit.

Vinculorũ varia genera.

Sed quæ ſunt vincula, in quibus talis Ioannes poſitus, mittit

 ad Ieſum,

ad Ieſum, illius præſtolans aduētum? Diuerſa vinculorum genera in ſcripturis ſacris reperio, quæ eo ordine, quo facta ſunt explicare conabor. Omne vinculum vel Dei opus eſt, vel hominis, vel diaboli: ſunt enim vincula naturæ, vincula coniugalis copulæ, vincula obediētiæ, vincula culpæ, vincula pœnalitatis, vincula excōmunicationis, vincula pœnæ vindicantis, vincula voti vel gratiæ, vincula Euangelij fidei vel iuſtitiæ.

Vincula. Naturæ Vniuerſi. Omnipotens Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuā creare diſponens, prius ei mundū, in quo habitaret, & ea, quæ in mundo ſunt, vnde viuere poſſet, præparauit. Conſtat enim mūdus hic viſibilis ex quatuor elementis, terra ſcilicet, aqua, aere, & igne, quæ indiſſolubili vinculo ſoliditatis ſe complectūtur: vnde Boetius in philoſophia ſua Dei ſapientiam atque potentiam admirans ait.

O qui perpetua mundum ratione gubernas.

Ac deinde poſt pauca ſubiungit;

Tu numeris elementa ligas: vt frigora flammis.

Arida conueniant liquidis, ne purior ignis

Euolet, aut merſas deducant pondera terras.

2. corporis humani. Igitur ſua bonitate creās corpus humanum Deus de limo terræ, ſecūdūm quatuor elemēta, quatuor illud complexionibus ligauit, eaſdem cōplexiones quatuor elementis cōcordans, ſanguinem ſcilicet aeri, cholеram igni, pflegma aquæ, melancholiā terræ.

Deinde inſpirauit in facie eius ſpiraculum vitæ; id eſt, animam ad imaginem & ſimilitudinem ſuam factā, quæ & nodos habet phyſicos, quibus corpori colligatur. Si primus homo non peccaſſet, vinculi huius nodus perpetuò duraſſet. 3. Animæ cū corpore.

De cuius *i* coſta mulierem formās, vinculo matrimonij illos conſtrinxit. De hoc vinculo dicit Apoſtolus: *k Alligatus es vxori, noli quærere ſolutionem: Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem.* 4. Matrimonij. i. *Gene.* 2. k. 1. *Cor.* 7. 27.

Volens Deus probare quos creauerat, poſt coniunctionis vinculum, etiam præcepto illos ligauit. 5. Obediētiæ.

Quod quia per inobedientiæ malum ſoluerunt, de ligno vetito contra præceptum commedendo, vinculis culpæ tam fortiter ſe conſtrinxerunt, vt nodos eiuſdem præuaricationis nemo ſoluere ſufficeret, niſi ſolus *l Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus.* 6. Culpæ. l. 1. *Tim.* 2. 5.

Quos mox ligauit vinculis pœnalitatis, eſurie videlicet, & ſiti, calore & frigore, laſſitudine, infirmitate & morte. Factus fuerat homo mortalis, & immortalis, ſed quia mortem elegit, in mortem incidit. Poteſtas ei infuit non moriendi, ex complexionis æqualitate, ſicut hodie neceſſitas moriendi nobis ineſt ex complexionis inæqualitate: Fuerat enim, vt dixi, immortalis, id eſt, potens non mori: ſed non impotens mori. 7. Pœnalitatum.

Addita ſunt ei & vincula excommunicationis. Nunquid non excommunicatus eſt homo, cùm pro culpa inobedientiæ eiectus eſt de paradiſo, factus extra ſanctorum communionem Angelorum? Ita plane. Et licet vinculum talis ac tanti peccati poſtea 8. Excommunicationis.

poſtea in Adam ſolutum ſit, vi contritionis, quo ad culpam, pœna tamē rumpi non poterat, niſi per Chriſti ſanguinem.

9. Pœnæ vindicantis. Igitur ex nimia charitate factus homo Dei Filius, vt *l* gemitus compeditorum compeſceret, vt vinctos ſuos, id eſt, electos originalis culpæ

l. Pſ.101.31. pœna conſtrictos de inferni clauſtris educeret; vinculis pœnalitatis ſe voluntariæ iniecit: à Iudæis ligari non renuit, clauos & crucem ſuſtinuit, in vinculis perſeuerans obedientiæ, quoadusq; vinculo rupto carnis ſpiritum exhalaret; & à vinculis æternæ mortis hominem perditum liberaret: Vnde ſcriptum eſt in Pſalmo: *m*

m. Pſ.106. 14. *Et eduxit eos de tenebris & vmbra mortis, & vincula eorum diſrupit.*

De triplici vinculo, culpæ ſcilicet, obedientiæ & naturæ, adhuc aliquid charitati veſtræ proponendum eſt. Quis noſtrum eſt qui non ante conuerſionem inciderit in vinculū culpæ? Beatus eſt ille. Vinculum culpæ

Vinculum culpæ duplex origi-nalis. duplex eſt, originale & actuale. De originali ſcriptum eſt in libro Sapiētiæ. *Vna enim catena tenebrarum omnes erant colligati.* De hoc vinculo

n. Sap. 17. 18. per Chriſti gratiam in baptiſmo liberati ſumus. De vinculo culpæ a-

Et Actualis. ctualis dicit Iſaias; *n Va qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum.*

n. Iſai.

Huius per-ruptores triplices. Vinculū hoc quidam ſoluunt manentes in mundo, non cum mundo; vt pœnitentes: quidam rumpunt, deſerentes mūdum, vt clauſtrales: quidam incidunt ſupra naturam humanam more pecorino: ſicut Maria Aegyptiaca in Eremo victitantes, quia difficile eſt in vita ſæculari vinculū peccati, cuius funiculus triplex eſt, ex culpa cogitationis, locutionis, & operis confectus, ſoluere; ad religionem tranſeunt, vt ſine exteriori impedimento, vi contritionis, confeſſionis, & condignæ ſatisfactionis illud rumpant, vel incidant.

Magiſter Thomas cum in expeditione Damiatæ in caſto peregrinorū in camera quadam decumbens moriturus eſſet, diabolum in angulo domus ſtantem vidit: quem cum cognouiſſet, voce beati Martini allocutus eſt dicens; Quid hic aſtas cruēta beſtia? dic mihi, quid eſt quod maximè vobis noceat? Cumque ille nihil reſponderet, ſcholaſticus ſubiunxit: Adiuro te per Deum viuum, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos; & ſæculum per ignem; vt dicas mihi propoſitæ interrogationis veritatē. Ad quod dæmon reſpondit: Nihil eſt in Eccleſia, quod tantū nobis noceat, quod ſic virtutes noſtras eneruet, quomodo frequens confeſſio. Quando, inquit, homo in peccatis eſt: peccatis dico mortalibus, omnia eius membra ligata ſunt, & non poteſt ſe meritoriè mouere: cum verò eadem confitetur, ſtatim liber eſt, & mobilis ad omne bonum. Quo audito, doctor ille bonus, & crucis Chriſti fidelis prædicator lætus exſpirauit. Confeſſio autem contritionem præcedentem & ſatisfactionem ſubſequentem requirit.

Exēplum de peccatore ligato & pœnitēte ſoluto.

De compedibus ſeu vinculis culpæ etiam Hieremias dicit: *o Circumædificauit me in gyrum, aggrauauit compedem meum.* Compedes culpę compedes rumpūt obedientiæ: hinc quidam conſulit, & dicit: *p Fili, iniice pedes tuos in compedes illius.* Cuius? Sapientiæ, quæ dicit: *In carcere* o. Ier. 3. 17 p. Eccl. 6. 25.

fui;& veniſtis ad me. Recluſorium ſiue clauſtrum monachorum carceres ſapientiæ ſunt: Qui verò perſeuerauerit in virtutibus obedientiæ, ſicut Chriſtus perſeuerauit in cruce; ad cœleſtem perueniet libertatem.

10. Vincula mandatiSuperiorum vel Obedientiæ.

Vincula ſunt non ſolùm præcepta Dei, ſed & prælatorum noſtrorũ, quibus omnia membra noſtra vinciuntur, lingua ſcilicet, oculi, manus, & pedes, necnon & reliquum corpus, ne naturali queant vti libertate. Ecce talia ſunt vincula in quibus iuſtus poſitus atque ligatus, cupiens *q* diſſolui, *& eſſe cũ Chriſto,* mittit duos ex diſcipulis ſuis ad Ieſum.

q. Phili. 1. 23.

Exempla excitant 1. cœleſtia deſideria.

Cũ audiſſet, inquit, *Ioãnes in vinculis opera Chriſti.* Quotidie audimus in Euãgelijs, in epiſtolis, in vitis, paſſionibuſque Sãctorũ opera Chriſti, quæ nos in eius amore accendunt, &, vt præſens vita nobis ſit in tœdio, morſque in deſiderio efficiunt: vnde quidam ait: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*: Item; *r Miſer ego homo; quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

r. Roma. 7. 24.

2. Et gemitus pios.

Duos hos diſcipulos Ioannis eſſe puto Deſiderium, & Gemitum, quos iuſtus de corde ſuo mittere debet ad Ieſum, maximè tunc temporis, cùm de clauſtro carnis ſe parat per mortem egredi. De his duobus diſcipulis Dauid dicit in Pſalmo: *s Domine ante te omne deſiderium meum: & gemitus meus à te non eſt abſconditus.* Deſiderans & ingemiſcens quid dicit?

ſ. Pſ. 37. 10.

Tu es, qui venturus es: an alium expectamus? Nonnunquam, vt ait ſanctus Gregorius, *t in conſolatione egredientis animæ, apparere ſolet ipſe auctor & remunerator vitæ.* De hoc exemplum ponit de Tarſilla amita ſua, quæ cum in extremis ageret, Ieſum videns & agnoſcens, ad circumſtantes exclamauit, dicens: Recedite, recedite, Ieſus venit. Cuius animam mox de corpore egredientem tanta flagrantia odoris ſubſecuta eſt; vt nemo dubitaret auctorem ſuauitatis adeſſe.

t. Gregor. Dialog. li. 4. cap. 16.

In eiſdem libris dialogorum teſtatur quibuſdam decedentibus Apoſtolos, alijs martyres vel Pontifices ſanctos apparuiſſe, animaſque eorum cum concentu angelico ad cœleſtia gaudia deductas fuiſſe.

Itemque ſancti.

Quia magnus timor eſt fortiſque dolor, vbi vincula carnis rumpuntur; vbi ſpiritus à carne ſoluitur, cùm multo deſiderio cordis & gemitu venerabilis Baptiſta in perſona omnium iuſtorum orat & dicit: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Ac ſi dicat: Reuela nobis Domine Ieſu vtrum in illa hora terribilili animas noſtras per temetipſum educare, præſentiam oſtendere, vincula rumpere digneris: an per aliquem ſanctorum hoc fieri velis? tua enim præſentia, tua viſio magis exoptatur: Ipſa mortis dolorem mitigat, dæmones fugat, ſpem erigit, timorem pellit, triſtitiam in gaudium conuertit.

Ob terrorẽ mortis.

Hinc quidam lætabundus decantat: *u Diſrupiſti vincula mea*: non Angelus, non Apoſtolus: *tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini inuocabo.* Nomen Domini Chriſtus eſt: ipſius præſentiam, ipſius viſionem beatus Ioannes Euangeliſta, necnon & beata Martha atque Maria ſoror eius, cum morituræ eſſent, orando deſiderabant: ſic in eorũ legendis inuenitur.

u. Pſa. 115. 16.

Vin-

11. Vinculũ carnis tripliciter ſoluuntur.

Vincula carnis in quibuſdam ſoluuntur, in aliis rumpuntur: in nonnullis quaſi inciduntur. Et videtur talis poſſe aſſignari differentia inter ſolutionem, ruptionem, & inciſioné: vt in eis ſoluātur vincula carnis, qui placidè & ſine magno dolore decedunt: in his verò quaſi rumpuntur, qui poſt longam infirmitatem cum multo cruciatu ſpiritum exhalāt: in eis autem quaſi inciduntur, qui ſubitò ſuffocantur, vel ante tempus ferro trucidantur. Sed periculum non eſt, quocumque modo fiat vinculorū naturalium enodatio, dummodo iuſtus ſit, in quo fiunt: quia ſcriptū eſt:

x. Sap. 7. 4

x *Iuſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.*

12 Vincula fidei.

De vinculis verò Euangelij fidei, vel iuſtitiæ, quibus Apoſtoli, Prophetæ, vel martyres ligati ſunt, plurima reperiuntur exempla.

Et reſpondens Ieſus, ait illis: miſſis ſcilicet à Ioanne. *Euntes renuntiate Ioanni quæ audiſtis & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur: ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur.* Nuntius ſancti deſiderij mittitur ad Ieſum, ob amorē & ſpem cœleſtis patriæ: gemitus verò timore pœnæ, ſiue incurſione dæmoniaca. Quis eſt adeò perfectus, qui in illa hora terribili non paueat? Quis noſtrum Arſenio ſanctior, qui in morte pauens dicebat, ſe illam horam ſemper ante oculos habuiſſe? Conſiderate mortem Moyſi, & in nouo teſtamento beatiſſimi confeſſoris Martini: &, quod maius eſt, ipſius, Dei & hominis Ieſu Chriſti, & inuenietis vbique Sathanam affuiſſe.

Mors metuenda

Quòd verò opera ſua mirifica Ieſus per diſcipulos renuntiauit Ioanni, hoc ſignificat quòd animā in morte trepidantem recordatione eorundem operum vult conſolari: Et quia nonnunquam humanæ ſalutis inimicus maximè circa exitum vitę turbare iuſtos nititur ſpiritu blaſphemiæ, dubietatis, & diffidentiæ: ita vt eis ſuggerat: quomodo te ſaluare poterit is, qui ſicut homo natus eſt, qui more humano ſitiuit, eſuriuit, laſſatus eſt, fleuit, conſputus eſt, flagellatus, crucifixus, mortuus, & ſepultus.

Cóſolatur eam vita bene acta.

Subiunxit Dominus: *Et beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me.* Diabolus præcipue calcaneum noſtrum obſeruat: cuius ſuggeſtioni opponenda ſunt opera deitatis, quæ Chriſtus in carne egit: ſcilicet illuminatio cæcorum, erectio claudorū, leproſorum mundatio, & cætera quę ibi enumerantur, quibus praua immiſſio eſt eliminanda, & fides nutās roboranda.

Et merita Chriſti.

Sequitur: *Illis autem abeuntibus cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne: Quid exiſtis in deſerto videre? arundinem vento agitatam? Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum.* Duo hæc non aſſertiuè, ſed negatiuè de Ioanne dicta ſunt. Ioannes, vt noſtis, veſtitus erat duris pilis camelorum, cuius conſtantia animi tāta fuit, vt flecti non poſſet: imò pro iuſtitia occideretur.

Inde conſtantia inuicta.

Sed felix illa anima, de qua in aduentu ſuo Ieſus dicere poterit turbis angelorum obſequentium: *Quid exiſtis videre in deſerto?* Quid? Id eſt qualem & quantam perſonam: vt, qualem ad habitum, & quantam, referatur ad meritum.

In religioſo mollities veſtis eſt probroſa.

De-

In religioſo mollities veſtis eſt probroſa.

Deſertum ſignificat monaſterium, in quo frequenter viſitamur à ſanctis Angelis, qui non ſolùm conſiderant in homine noſtro interiore ſtatum mentis, id eſt, gratiam deuotionis: ſed & habitum corporis. Quòd ſi depræhenderit in eo mollia, id eſt, pannum ſubtilem, floccatum, ac delicatum, viderintque nos in eo delectari, non mirantur, ſed execrantur: quia eos, qui mollibus veſtiuntur, magis degere decet in palatio, quàm in monaſterio. Mollities veſtis indicium eſt fluxæ mentis: non ergo cauſemur de colore aut groſſitudine veſtimentorum, vt in die exitus noſtri cum Ioanne mereamur commendari, & propter illa remunerari.

Turpis inconſtãtia.

Neque ſimus arundo vento agitata per animi inconſtantiam. Arundo enim vento cedit. Non nos inclinet flans ab oriente ventus adulationis: neque ab occidente ventus vituperationis: non nos ad peccati delectationem exagitet veniens à meridie Auſter proſperitatis, neque à Septentrione Aquilo aduerſitatis. Monachus eſſe debet colũna in domo Domini, & ſicut y quercus in Baſan: ita vt magis eligat cum Ioãne per mortem carnis eradicari de terra viuentium; quàm peccato mortali cedere ad conſenſum.

y. Iſa. 2. 13

Sed quid exiſtis videre? Prophetam? Et iam dico vobis, & plus quàm prophetam. Ioannes plus fuit quàm Propheta, quia quem alij prædixerunt, ipſe digito oſtendit. Eſt Prophetia diuinæ laudis, in qua beati Angeli plurimùm delectãtur. Quando in choro deuotè cãtamus & pſallimus, ad nos illos per prophetiã inuitamus, noſtræque deuotioni condelectantur. Et videtur quòd plus dicendus ſit quàm Propheta, cui videre conceditur qui a Prophetis prædictus eſt.

Fratres in choro ſunt Prophetæ.

Exemplũ Chriſti præſentis pſallentibus.

Fuit apud nos Monachus quidam, nomine & re Chriſtianus, qui Chriſtum oculis corporeis ſe in choro tempore nocturnæ pſalmodiæ vidiſſe confeſſus eſt. Quid iſtum dixerim, niſi pluſquam Prophetam? Si cæteri fratres facti ſunt Prophetæ, Dominũ laudando, hic plus quàm propheta fuit præ cæteris eundem contemplando.

Dicebat idem Chriſtianus ſe inter pſallendum etiam ſanctos Angelos vidiſſe. Huius rei teſtis eſt Dominus Henricus Abbas noſter, qui hæc quæ dicta ſunt ab illius ore audiuit: Erat enim ſanctiſſimæ vitæ, vt meritò ei credi deberet.

Angelus in vita exemplari.

Sequitur. *Hic enim de quo ſcriptũ eſt: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam: qui præparabit viam tuã ante te.* Angelus noſtræ redemptionis, id eſt, nuntius Ioannes fuit, quia redemptorem veniſſe mundo nuntiauit. Ipſi enim viam præparauit, prædicando, baptizando, teſtimoniũ deitati eius perhibendo, &, quod efficatius fuit, irreprehenſibiliter viuendo. Sanctitas vitæ prædicationi eius auctoritatem dedit. Viam Chriſto præparat in deſerto, qui cæteris forma vitæ & diſciplinæ fit in monaſterio: angelus Dei iſte eſt.

Sathan in ſcandalo.

E contra quiſquis inter fratres malè viuit, per malum exemplum lapides ſcandalorum in via ſternit, & quantum in ipſo eſt, ne ad Chriſtum iri poſſit, impedit. Talis, Angelus ſathanæ dicitur, & eſt. Lapides offenſionis ſunt ſuperbia, ira, inuidia, inobedié-

bediencia, immunditia, proprietatis vitium, & ſi qua ſunt his ſimilia, in quibus ſæpè puſillanimes offendunt, cadunt; & pereunt.

Qui autem exemplo ſuæ humilitatis, manſuetudinis, charitatis, obedientiæ, patientiæ, vel caſtimoniæ viam gratiæ Chriſti in proximorum cordibus præparat, angelum Dei ſe eſſe manifeſtat: & ex hoc ſpeciale præmium recipiet à Domino noſtro Ieſu Chriſto: qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum: Amen.

DOMINICA QVARTA ADVENTVS, SECVNDVM IOANNEM.

CAP. I.

IN illo tempore miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis ſacerdotes & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarēt eum. Tu quis es? Et confeſſus eſt, & non negauit: Et confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo XXXIX.
Propoſitio
a. Ioā.5.35

QVia venerabilis Baptiſta Ioannes ſecundùm teſtimonium Saluatoris, *a lucerna erat ardens, & lucens:* ardens in ſe flamma diuini amoris, & lucens alijs verbo prædicationis, necnon & exemplo ſanctæ conuerſationis, patēter datur intelligi, quòd in hac duplici gratia nobis ſit proponendus, & per figuram imitandus. Qui intus charitate flagrat, & foris vita vel doctrina alios informat, & illuminat, rectè Ioannes dicēdus eſt. Ioannes enim, in quo eſt gratia, ſiue Dei gratia interpræatur.

Aduertamus nunc qui ſint ſecundùm moralem intellectum Iudæi ad Ioannem mittentes? quis Ioannes? qui ſacerdotes & Leuitæ à Iudæis miſſi? quæ miſſorum interrogationes? vel quæ Ioannis reſponſa. Partitio.

Ioannes hic quemlibet perfectum exprimit, qui ad ſimilitudinem lucernæ ardentis verbo vel exemplo alios præcedit: Quia Iudæorum ad Ioannem mittentium intentio ſimplex non erat: & Iudæi interpræ tantur laudantes, vel glorificantes: videtur per illos, tum propter peruerſam, vt dictum eſt, intentionem: tum propter nominis interpræationem, adulatores poſſe ſignificari. Vir perfectus.

Adulator hominem in facie laudat & glorificat; & à tergo pungit & vituperat. Abſens pungitur ab adulatoribus.

Talis deſignatus eſt per cynomian & cyniphen, *b* quæ occultè pūgentes magis nocent: Hinc Salomon dicit: *Homo, qui blandis fictiſque ſermonibus loquitur amico ſuo, rete expandit greſſibus eius.* b. Pſal.77 Exod 8. c. Prou.29 5.

Similis eſt adulator ciconiæ, quæ in munditijs veſcitur, & roſtro poſteriora purgat: vnde quidam *d* ait Simile. d. Perſius.

Fœlix à tergo quem nulla ciconia pinxit.

De adulatore etiam per Oſeæ dicitur: *e Inijt fœdus cum Aſſirijs, id* eſt diuitibus*: oleum in Aegyptum ferebat.* Fatuis virginibus *f* oleum adulationis venditur. Eſt enim quædam adulatio, quæ prodeſt: quia virtus laudata creſcit. Talis adulatio veniale peccatum eſt: quòd ſi obeſt, vt quidam dicunt, mortale: vnde au- Præſens vngitur. e. Oſeæ.12. 1. f. Mat.25. 2.

ctoritas dicit: *Plus nocet lingua adulatoris: quàm manus perſecutoris.* Hinc in expoſitione cuiuſdam Pſalmi dicitur quòd huic vitio nullum crimen eſt comparabile. Aliquando peccator vias ſuas corrigeret, ſi illum adulatoris lingua non impediret. — *Sæpè læditur.*

Sacerdotes & Leuitæ ſunt verba adulationis, quæ inſtinctu diaboli per ora malorum mittuntur ad ſubuerſionem iuſtorum. — *Adulatio hominis falſi.*

Vnde ſignanter additum eſt: *& qui miſſi erant, erant ex Phariſæis.*

Phariſæi, vt noſtis, verbis vel factis Dominũ ſemper inſidiabantur. Adulator in hoc proximum laudat, vel vt laudato placeat, ſimileque ab eo recipiat? vel vt eundem poſtea ſubſannet, & impingat. Hinc iuſtus
g.Pſ.140.5 ait: g *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.*

Sacerdos dicitur quaſi ſacrum dans. Sacrum quidem ſonant verba adulantium, quia virtutes prædicant: ſed quia à Iudæis, id eſt, adulatoribus deſtinantur, malæ intentionis vitio deformantur. — *Etiam in laude verę Virtutis.*

Sacerdotibus quaſi Leuitas iungunt, cùm verbis adulatorijs teſtes aſſumunt. Leuita interpretatur aſſumptus, vel appoſitus. Verbi gratia: Si veniat quis ad alium dicens adulatoriè, Deus ſcit, quòd valde ædificor; necnon & alij fratres, in tuis factis & verbis, virtutem charitatis, patientiæ, vel humilitatem eius replicans: quid aliud talis facit, niſi ſacerdotes mittit ad Ioannem? Et vt illi tollat ſuſpitionem adulationis, aliquem fratrum aſſumit; & dicit: En hic teſtis mihi eſt, quòd frequenter talia locutus ſum de te, cùm præſens non eſſes. Hæc cùm ait, quaſi ſacerdoti Leuitam falſus Iudæus, id eſt, doloſus laudator iungit. — *Sed falsò teſtatur.*

Cui ille, ſi tamen Ioannes fuerit, id eſt, gratia Dei, reſpondere debet: ſi non ore, corde tamen. Non ſum Chriſtus in oculis tuis, quia *oleum peccatoris non impinguet caput meum:* h *Gloria mea hæc eſt teſtimonium conſcientiæ meæ:* non tuæ laudationis. — *Reijciẽda eſt.* — h.2.Cor.1. 12.

Ioannes de tribus interrogatus, omnia negauit. *Et confeſſus eſt, inquit, quia non ſum ego Chriſtus. Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit: non.* Prophetam hic quidam Eliſæũ intelligunt. Quod autem ſequitur: *Quid ergo prædicas, ſi tu non es Chriſtus, neq; Elias, neque Propheta?* id eſt, Eliſæus: dicunt quidam quòd in his tribus forma Baptiſmi præceſſerit, cuius virtus in ſolo Chriſto fuit. Et cum Ioannes nullus horum fuerit perſonaliter, erat tamẽ & Chriſtus, & Elias, & Propheta ſpiritualiter.

Chriſtus interpretatur vnctus. Ioannem, quod magnæ gloriæ ſignũ fuit, Deus vnxerat Spiritu ſancto, & oleo exultationis etiam in vtero matris: vnde per Angelum dictum eſt Zachariæ: i *Et Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ.* De exultatione autem Elizabeth ait Mariæ: *Ecce enim, vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* — *Quatenus Ioannes fuit Chriſtus.* — i. Zach.9. 15. — k. Luca.1. 44.

Quòd Elias fuerit Ioannes, audi teſtimonium Saluatoris: l *Si vultis ſcire, inquit, Ioãnes ipſe eſt Elias.* Quòd hoc non ſit intelligẽdum ſubſtantialiter, — *Fuit Elias.* — l.Matt.11. 4.

liter,

liter, ſed ſpiritualiter, docemur ex verbis Archangeli Gabrielis dicẽtis: *m Et ipſe præcedet eam*: Chriſtũ ſcilicet, *in ſpiritu & virtute Eliæ.*

m. Luca 1. 17.

Fuit Propheta.

Ioannem fuiſſe Prophetam plura declarant teſtimonia: vnde Dominus; *n Et Prophetam in gentibus dedi te.* Et in Cãntico ſuo Zacharias; *o Et tu puer,* inquit, *Propheta altiſſimi vocaberis.* Vel Ioannes negat ſe Prophetam fuiſſe, quia plus fuit quàm Propheta. Sic Imperator non eſt Rex, quia princeps Regum: neque papam vocamus Epiſcopum, quia ipſe eſt plus quàm Epiſcopus. Papatus enim & imperium, ſpeciales habent vnctiones.

n. Ier. 1. 5. o. Luca. 1. 76.

Reliqua verò, quæ ſequuntur, ſcilicet teſtimonium Iſaiæ, quod de ſe protulit Ioannes, quia in ſuperioribus homilijs de illo ſatis expoſitum eſt, ad moralem intellectum redeamus.

Et quiſque fidelis poteſt eſſe talis.

Cuius vita talis eſt, vt Ioannes dici poſſit, & Chriſtus eſt, & Elias eſt, & Propheta eſt. *Chriſtus*, id eſt, vnctus in pinguedine deuotionis. Elias, *p* qui in curru igneo in cœlum ſubuectus eſt, in ſublimitate contemplationis. *Propheta*, per donum Prophetiæ & meritum diuinæ laudationis.

p. 4. Reg. 2.

1. Vnctus oleo gratiæ Saluatoris.

Chriſtus interpretatur vnctus à quo Chriſtiani dicimur & vngimur: vnde in epiſtola ſua prima Ioannes: *q Et vos vnctionem, quam ab eo accepiſtis, manet in vobis, & non neceſſe habetis, vt aliquis doceat vos: ſed ſicut vnctio eius docet vos de omnibus.* Vngit nos in oratione, vngit in lectione, vngit in confeſſione: vngit & in exteriori labore. Si Chriſtus præcordia monachorum gratiæ ſuæ pinguedine non vngeret; ſæpè nimietate laboris grauati murmurando ſtriderent. Non ergò ſic vnctus oleum admittat adulatoris, ne oleo priuetur Saluatoris. Vnde & doloſè de gratia ſciſcitanti, reſpondeat: *Non ſum ego Chriſtus.*

q. 1. Ioan. 2. 27.

Non adulatoris.

Multi gratiam deuotionis impinguatæ perdiderunt, etiam cum bonis illam reuelauerunt. Noui quendam qui tantam dulcedinem habere ſolebat in ore, cum oraret, pſalleret, vel communicaret, vt ſuauitatem mellis ſuperaret. Quam gratiam, cum tempore quodam alicui fratrum ſuorum reuelaſſet; perdidit. Melius illi fuerat dixiſſe: *non ſum ego Chriſtus.*

Exemplũ perdentis gratiam.

Elias exceſſum mentis deſignat, in quo etiam cœleſtia cõtemplamur. Elias erat Paulus, *r* quando raptus eſt vſque ad tertium cœlum. Et hãc gratiam prodere ſatis periculoſum eſt, quia nebula inanis gloriæ interueniens nonnunquam aciem mentis impedit, ne amplius videre cœleſtia poſſit: vnde de tali gratia interrogatus reſpondeat cum Ioanne: non *ſum Elias.*

2. Cõtemplatiuus.

r. 2. Cor. 12. 2.

Conuerſus quidam cùm Angelum Dei frequenter videret, & hoc Abbati ſuo non interrogatus indicaſſet: conſiderans Abbas, quòd non abſque aliqua gloriola conceſſam gratiam perderet, conuerſo reſpondit: Ab hac hora non videbis amplius Angelum Dei: quod ita factum eſt.

Exẽplum non celantis gratiã.

Non iſta dico, quòd malum ſit cõſolationes diuinas proximis reuelare, ſed cum cautela multa, ædificationis cauſa fieri debet. Hoc feciſſe Apoſtolum legimus, raptum ſe vſque ad tertium cœlum etiam per epiſtolam commemorans. Et vt notam elationis ſiue inanis gloriæ amoueret,

Aa a 2 de

ſ.2. Cor.12 de ſe tanquam de alio ſcribit dicens: *ſ Scio hominem*: &c.

Sed ſunt quidam ita ſtolidi, vt ſe Eliam eſſe putent, ſomnia ſua pro viſionibus recitant, & cum ab omnibus irrideantur; non tamen illorum auribus per fantaſias ſuas ingerere verentur.

Exemplū rapti. Elias erat Abbas Ioannes; de quo legitur, quòd quando extēdebat manus in oratione, ſtatim in exceſſum rapiebatur, niſi velocius illas deponeret.

Propheta es tu? Et reſpondit: non.

Prophetia triplex. Eſt enim triplex Prophetia: laudis diuinæ, intelligentiæ, præuidentiæ. Qui Deum laudat in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus, Propheta eſt. Hinc Idithum, Aſaph, & filij Chore, quia ſuper Prophetias erant & pſalmos, in domo Domini decantabant, Prophetæ dicti ſunt. Qui diuinas Scripturas interpretatur, & intelligit, propheta eſt.

3. Propheta eſſe quiſque poteſt. Omnibus his modis monachi poſſunt eſſe prophetæ. Prophetæ pſallēdo, prophetæ legendo vel exhortando: ſed caueant ne facilè futura prędicant, quia angelus Sathanæ ſæpè transfigurat ſe in angelum lucis, per quem multi decipiuntur, falſa diuinantes.

Exēplum falſæ Propheciſſæ. Cum ex huius angeli reuelatione venerabilis quædam recluſa multa prædiceret, nec euenirent: alius quidā incluſus, & ipſe vir Propheticus; quomodo ſpiritum fantaſticum depræhenderet, edocuit. Et cognouit virgo, per ſigna data ab Angelo Satanæ diu ſe fuiſſe deluſam.

Cautio. Speciale Dei donum eſt, diſcretio ſpirituū. Quapropter monachus de futuris prædicendis ſe non intromittat, ſed ſciſcitantibus cum Ioanne reſpondeat: non ſum propheta. Quòd ſi verbis adulatorijs importunius interrogatus fuerit: *quid dicis de ipſo?* humiliter reſpondeat; *Ego vox clamantis in deſerto*, id eſt, in monaſterio: ſed verbi virtutē in corde non ſentio. Verba ſanctorum quibus dirigantur viæ Domini per lectionē recito, ſed vias proprias minus conſidero. Huiuſmodi humiliatio non iudicatur mendacium: quia veritas dicit: *t Cum feceritis hæc omnia, dicite quia ſerui inutiles ſumus.* t. Lucæ.17. 10.

Vox clamantis eſt varia. Scire tamen debetis, quòd vox clamantis, id eſt, clamans, multiplex eſſe poſſit in effectu. Eſt autem vox fletus, vel lacrimationis: vox confeſſionis, vox orationis: vox lectionis, vox exultationis: vox prædicationis. Quælibet harum vocum clamoſa eſt & valida in auribus Dei. Vox fletus eſt inchoantium, vox confeſſionis proficientium: vox orationis depræcantium: vox lectionis inſtruentium: vox exultationis iubilantium.

Vox prædicationis eſt neceſſaria. Vox prædicationis ad quinque neceſſaria eſt: corrigit malos, inſtruit indoctos, exhortatur bonos, conſolatur mœſtos: excitat pigros. Ecce talis eſt vox clamantis; qua, ſecundùm vaticinium Iſaiæ, dirigūtur viæ Domini.

Viā dirigit variæ. Viæ Domini diriguntur cordis humiliatione, carnis mortificatione, proximorum compaſſione, beneficij conſolatione, charitatis deuotione. Humilitas cordis hominem ducit ad Deum: mortificatio vitiorum, ad ſeipſum: compaſſio, quæ eſt in operibus miſericordiæ cum deuotione charitatis, ducit eum ad omnes: Omnibus enim debitores ſu-

mus:

u. Ro.1.14. mus: *u* maximè autē *x* domeſticis fi-
x.Gala.6. dei,id eſt, credentibus. Huiuſmodi
10. vias Ioannes ſpiritualis prædicare
debet.

*Et dixerunt ei. Quid ergo bapti-
zas; ſi tu non es Chriſtus, neque E-*
Verbis ce- *lias,neque Propheta?* Sæpè prædica-
pi alij quā tores ſubſannantur ab eis, qui proni
dictis. ſunt ad obloquendum: quos Euange-
liſta per Phariſæos notauit: maxime
cum alijs prædicant obſeruandum,
quod ipſi non ſeruant.Quibus humi-
liter reſpondere debent.

*Ego baptizo in aquā: medius au-
tem veſtrum ſtetit; quē vos non ſcitis.*
Prædica- Ioannes in aqua baptizat, cùm iuſtus
tores vo- verbo prædicationis vel exemplo
cati, etſi conuerſationis pœnitentię viam do-
parū pro- cet,& demōſtrat. Penes prædicatorē
bi. etiam ſi Chriſtus non ſit, id eſt, vn-
ctus pinguedine deuotionis, etiam ſi
Elias non ſit merito contemplatio-
nis,etiam ſi Propheta non ſit; pote-
ſtas huius baptiſmi, dummodo præ-
dicandi auctoritatem habeat, conſi-
ſtit.Solius verò Chriſti,(qui medius
ſtat, id eſt,mediator inter Deum &
peccatorem eſſe dignatur,quem ma-
li quamdiu mali ſunt, non ſciunt:)
eſt baptizare in ſpiritu ſancto, & i-
gni,id eſt, gratiam remiſſionis con-
ferre peccatori.

Congre- Quotiens in nomine Chriſti cō-
gatis bo- gregamur,ſiue ſit in oratorio, ſiue in
nis adeſt clauſtro,& capitulo, ſiue in refecto-
Chriſtus. rio, & dormitorio, in medio noſtri
eſt,quia hoc ex illius promiſſo habe-
y.Mat.18. mus: *y Vbi*, inquit, *duo vel tres con-*
20. *gregati fuerint in nomine meo, ibi in
medio illorum ero.* In locis illis, in
quibus ſeruamus ſilentium propter
ipſum, quin ſpeciali gratia præſens
ſit, non diffido: dummodo co-
gitationibus immundis, leuitate ſi-
gnorum vel morum, non repella-
tur.

In collationibus verò ſumma Sed cauen-
cautela adhibenda eſt, ne fortè pro- dæ vanita-
pter verba ſcurrilia & riſum mouē- tes.
tia, propter rumores ſæculares ſeu
aliquas contentiones fugiat. Nullus
verò dubitare debet, quin præſens
ſit & in medio noſtri, nobiſq; cōde-
lectetur: ſi collatio noſtra fuerit de
ſcripturis diuinis, & rebus ædifica-
torijs, ſicut exemplum habemus de
duobus diſcipulis eūtibus in Emaus:
z quibus adiunctus eſt cum de eo z. Luc. 24.
ſermocinarentur. Et ſit plerumque 29.
vt verba illic proferantur compun-
ctiua: quibus aliquibus fluenta la-
crymarum excitentur, fiantque illis
baptiſmus deuotionis.

Quod autem ſubditur, *ipſe eſt,qui
poſt me venturus eſt,cuius non ſum di-
gnus vt ſoluam eius corrigiam calcia-
mentorum*; in prima homilia ad-
uentus Domini quia expoſitum eſt,
de clauſula quæ adhuc reſtat, vi-
deam.

*Hæc,*inquit,*in Bethania facta ſunt
trans Iordanem,vbi Ioannes erat ba-
ptizans.* Bethania domus afflictio- Monaſte-
nis eius, vel domus obedientiæ in- rium eſt
terpræetatur. Dignum eſt vt in domo domus o-
afflictionis & obedientiæ celebretur bedientię.
baptiſmus pœnitētiæ. Quid dixerim
Bethaniam niſi monaſterium, in quo
ſine obedientia nulla carnis afflictio
Deo eſt accepta. Monachorum offi-
cij eſt,peccata in monaſterio deplan-
gere; ibique pro commiſſis corpus
affligere: attamen quantum permiſ-
ſum fuerit ab Abbate.

Hic mundatio fit à vitijs.

Bethania hæc, id eſt, domus obedientiæ poſita eſt trans Iordanem, hoc eſt, in initio terræ promiſſionis. Aegyptus videtur mihi ſignare vitam ſæcularem: terra trans Iordanem vitam clauſtralem: terra promiſſionis vitam æternam. Igitur in Bethania trans Iordanem baptizamur à Ioanne, cùm Dei gratia in monaſterio à vitijs mundamur; vt ſine omni macula culpæ requiem patriæ cœleſtis poſſimus intrare.

Fit euocatio ad cœlos, alijs delabentibus ad inferos.

Iordanis interpræatur deſcenſio eorum, vel appræhenſio eorum. Ingredientibus filijs Iſrael terram promiſſionis, diuiſus eſt Iordanis, & ſtabant aquæ ſuperiores: inferiores verò defluebant in mare mortuum. Iordanis ſignificat genus humanum, quod in duas partes, id eſt, reprobos & electos ab æquiſſimo iudice diuiſum eſt. In aduentu Christi ad iudicium, aquæ inferiores, id eſt reprobi ſtatuentur à ſiniſtris: ſuperiores verò, ſcilicet electi, à dextris: Illi data ſententia deſcendent in gehennam, electi verò vitam appræhendent æternam. Quo nos perducat Iudex viuorum & mortuorum Ieſus Chriſtus, Dominus noſter, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat per æterna ſæcula ſæculorum: Amen.

* * *

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

In religioſo mollities veſtis eſt probroſa.

Deſertum ſignificat monaſterium, in quo frequenter viſitamur à ſanctis Angelis, qui non ſolùm conſiderant in homine noſtro interiore ſtatum mentis, id eſt, gratiam deuotionis: ſed & habitum corporis. Quòd ſi depræhenderit in eo mollia, id eſt, pannum ſubtilem, floccatum, ac delicatum, viderintque nos in eo delectari, non mirantur, ſed execrantur: quia eos, qui mollibus veſtiuntur, magis degere decet in palatio, quàm in monaſterio. Mollities veſtis indicium eſt fluxæ mentis: non ergo cauſemur de colore aut groſſitudine veſtimentorum, vt in die exitus noſtri cum Ioanne mereamur commendari, & propter illa remunerari.

Turpis inconſtãtia.

Neque ſimus arundo vento agitata per animi inconſtantiam. Arundo enim vento cedit. Non nos inclinet flans ab oriente ventus adulationis: neque ab occidente ventus vituperationis: non nos ad peccati delectationem exagitet veniens à meridie Auſter proſperitatis, neque à Septentrione Aquilo aduérſitatis. Monachus eſſe debet colũna in domo Domini, & ſicut y quercus in Baſan: ita vt magis eligat cum Ioãne per mortem carnis eradicari de terra viuentium; quàm peccato mortali cedere ad conſenſum.

y. Iſa. 2.13

Sed quid exiſtis videre? Prophetam? Et iam dico vobis, & plus quàm prophetam. Ioannes plus fuit quàm Propheta, quia quem alij prædixerunt, ipſe digito oſtendit. Eſt Prophetia diuinæ laudis, in qua beati Angeli plurimùm delectãtur. Quando in choro deuotè cãtamus & pſallimus, ad nos illos per prophetiã inuitamus, noſtræque deuotioni condelectantur. Et videtur quòd plus dicendus ſit quàm Propheta, cui videre conceditur qui a Prophetis prædictus eſt.

Fratres in choro ſunt Prophetæ.

Fuit apud nos Monachus quidam, nomine & re Chriſtianus, qui Chriſtum oculis corporeis ſe in choro tempore nocturnæ pſalmodiæ vidiſſe confeſſus eſt. Quid iſtum dixerim, niſi pluſquam Prophetam? Si cæteri fratres facti ſunt Prophetæ, Dominũ laudando, hic plus quàm propheta fuit præ cæteris eundem contemplando.

Exemplũ Chriſti præſentis pſallentibus.

Dicebat idem Chriſtianus ſe inter pſallendum etiam ſanctos Angelos vidiſſe. Huius rei teſtis eſt Dominus Henricus Abbas noſter, qui hæc quæ dicta ſunt ab illius ore audiuit: Erat enim ſanctiſſimæ vitæ, vt meritò ei credi deberet.

Sequitur. *Hic enim de quo ſcriptũ eſt: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam: qui præparabit viam tuã ante te.* Angelus noſtræ redemptionis, id eſt, nuntius Ioannes fuit, quia redemptorem veniſſe mundo nuntiauit. Ipſi enim viam præparauit, prædicando, baptizando, teſtimoniũ deitati eius perhibendo, &, quod efficatius fuit, irreprehenſibiliter viuendo. Sanctitas vitæ prædicationi eius auctoritatem dedit. Viam Chriſto præparat in deſerto, qui cæteris forma vitæ & diſciplinæ fit in monaſterio: angelus Dei iſte eſt.

Angelus in vita exemplari.

E contra quiſquis inter fratres malè viuit, per malum exemplum lapides ſcandalorum in via ſternit, & quantum in ipſo eſt, ne ad Chriſtum iri poſſit, impedit. Talis, Angelus ſathanæ dicitur, & eſt. Lapides offenſionis ſunt ſuperbia, ira, inuidia, inobedié-

Sathan in ſcandalo.

bediencia, immundicia, proprietatis vitium, & ſi qua ſunt his ſimilia, in quibus ſæpè puſillanimes offendunt, cadunt; & pereunt.

Qui autem exemplo ſuæ humilitatis, manſuetudinis, charitatis, obedientiæ, patientiæ, vel caſtimoniæ viam gratiæ Chriſti in proximorum cordibus præparat, angelum Dei ſe eſſe manifeſtat: & ex hoc ſpeciale præmium recipiet à Domino noſtro Ieſu Chriſto: qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum: Amen.

DOMINICA QVARTA ADVENTVS, SECVNDVM IOANNEM.

CAP. I.

In illo tempore miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis ſacerdotes & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarēt eum. Tu quis es? Et confeſſus eſt, & non negauit: Et confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo XXXIX. Quia venerabilis Baptiſta Ioannes ſecundùm teſtimonium Saluatoris, *a lucerna erat ardens, & lucens:*
Propoſitio ardens in ſe flamma diuini amoris,
a. Ioā.5.35 & lucens alijs verbo prædicationis, necnon & exemplo ſanctæ conuerſationis, patēter datur intelligi, quòd in hac duplici gratia nobis ſit proponendus, & per figuram imitandus. Qui intus charitate flagrat, & foris vita vel doctrina alios informat, & illuminat, rectè Ioannes dicēdus eſt. Ioannes enim, in quo eſt gratia, ſiue Dei gratia interpræatur.

Aduertamus nunc qui ſint ſecundùm moralem intellectum Iudæi ad Ioannem mittentes? quis Ioannes? qui ſacerdotes & Leuitæ à Iudæis miſſi? quæ miſſorum interrogationes? vel quæ Ioannis reſponſa. Partitio.

Ioannes hic quemlibet perfectum exprimit, qui ad ſimilitudinem lucernæ ardentis verbo vel exemplo alios præcedit: Quia Iudæorum ad Ioannem mittentium intentio ſimplex non erat: & Iudæi interprætantur laudantes, vel glorificantes: videtur per illos, tum propter peruerſam, vt dictum eſt, intentionem: tum propter nominis interpræationem, adulatores poſſe ſignificari. Vir perfectus.

Adulator hominem in facie laudat & glorificat; & à tergo pungit & vituperat. Abſens pungitur ab adulatoribus.

Talis deſignatus eſt per cynomian & cyniphen, *b* quæ occultè pū gentes magis nocent: Hinc Salomon dicit: *Homo, qui blandis fictiſque ſermonibus loquitur amico ſuo, rete expandit greſſibus eius.* b. Pſal.77 Exod 8. c. Prou.29 5.

Similis eſt adulator ciconiæ, quæ in munditijs veſcitur, & roſtro poſteriora purgat: vnde quidam *d* ait Simile.

Fœlix à tergo quem nulla ciconia pinxit. d. Perſius.

De adulatore etiam per Oſeæ dicitur: *e Inijt fœdus cum Aſſirijs, id* eſt diuitibus: *oleum in Aegyptum ferebat.* Fatuis virginibus *f* oleum adulationis venditur. Eſt enim quædam adulatio, quæ prodeſt: quia virtus laudata creſcit. Talis adulatio veniale peccatum eſt: quòd ſi obeſt, vt quidam dicunt, mortale: vnde au- Præſens vngitur. e. Oſeæ.12. 1. f. Mat.25. 2.

Sæpè læditur.

ctoritas dicit: *Plus nocet lingua adulatoris: quàm manus perſecutoris.* Hinc in expoſitione cuiuſdam Pſalmi dicitur quòd huic vitio nullum crimen eſt comparabile. Aliquando peccator vias ſuas corrigeret, ſi illum adulatoris lingua non impediret.

Adulatio hominis falſi.

Sacerdotes & Leuitæ ſunt verba adulationis, quæ inſtinctu diaboli per ora malorum mittuntur ad ſubuerſionem iuſtorum.

Vnde ſignanter additum eſt: *& qui miſſi erant, erant ex Phariſæis.*

Phariſæi, vt noſtis, verbis vel factis Dominũ ſemper inſidiabantur. Adulator in hoc proximum laudat, vel vt laudato placeat, ſimileque ab eo recipiat? vel vt eundem poſtea ſubſannet, & impingat. Hinc iuſtus ait: *g Oleum peccatoris non impinguet caput meum.*

g. Pſ. 140.5

Etiam in laude veræ Virtutis.

Sacerdos dicitur quaſi ſacrum dans. Sacrum quidem ſonant verba adulantium, quia virtutes prædicant: ſed quia à Iudæis, id eſt, adulatoribus deſtinantur, malæ intentionis vitio deformantur.

Sed falsò teſtatæ.

Sacerdotibus quaſi Leuitas iungunt, cùm verbis adulatorijs teſtes aſſumunt. Leuita interpretatur aſſumptus, vel appoſitus. Verbi gratia: Si veniat quis ad alium dicens adulatoriè, Deus ſcit, quòd valde ædificor; necnon & alij fratres, in tuis factis & verbis, virtutem charitatis, patientiæ, vel humilitatem eius replicans: quid aliud talis facit, niſi ſacerdotes mittit ad Ioannem? Et vt illi tollat ſuſpitionem adulationis, aliquem fratrum aſſumit; & dicit: En hic teſtis mihi eſt, quòd frequenter talia locutus ſum de te, cùm præſens non eſſes. Hæc cùm ait, quaſi ſacerdoti Leuitam falſus Iudæus, id eſt, doloſus laudator iungit.

Reijcienda eſt.

Cui ille, ſi tamen Ioannes fuerit, id eſt, gratia Dei, reſpondere debet: ſi non ore, corde tamen. Non ſum Chriſtus in oculis tuis, quia *oleum peccatoris non impinguet caput meum. h Gloria mea hæc eſt teſtimonium conſcientiæ meæ*: non tuæ laudationis.

h. 2. Cor. 1. 12.

Ioannes de tribus interrogatus, omnia negauit. *Et confeſſus eſt*, inquit, *quia non ſum ego Chriſtus Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit: non.* Prophetam hic quidam Eliſæũ intelligunt. Quod autem ſequitur: *Quid ergo prædicas, ſi tu non es Chriſtus, neq; Elias, neque Propheta?* id eſt, Eliſæus: dicunt quidam quòd in his tribus forma Baptiſmi præceſſerit, cuius virtus in ſolo Chriſto fuit, Et cum Ioannes nullus horum fuerit perſonaliter, erat tamẽ & Chriſtus, & Elias, & Propheta ſpiritualiter.

Quatenus Ioannes fuit Chriſtus.

Chriſtus interpretatur vnctus Ioannem, quod magnæ gloriæ ſignũ fuit, Deus vnxerat Spiritu ſancto, & oleo exultationis etiam in vtero matris: vnde per Angelum dictum eſt Zachariæ: *i Et Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ.* De exultatione autem Elizabeth ait Mariæ: *Ecce enim, vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.*

i. Zach. 9. 15.

k. Luc. 1. 44.

Fuit Elias.

Quòd Elias fuerit Ioannes, audi teſtimonium Saluatoris: *l Si vultis ſcire*, inquit, *Ioãnes ipſe eſt Elias.* Quòd hoc non ſit intelligẽdum ſubſtantia-

l. Matt. 11. 4.

liter,

liter, ſed ſpiritualiter, docemur ex verbis Archangeli Gabrielis dicẽtis: *m Et ipſe præcedet eam*: Chriſtũ ſcilicet, *in ſpiritu & virtute Eliæ.*

m. *Lucæ* 1. 17.

Fuit Propheta.

n. *Ier.* 1. 5.

o. *Lucæ.* 1. 76.

Ioannem fuiſſe Prophetam plura declarant teſtimonia: vnde Dominus; *n Et Prophetam in gentibus dedi te.* Et in Cãntico ſuo Zacharias; *o Et tu puer*, inquit, *Propheta altiſſimi vocaberis.* Vel Ioannes negat ſe Prophetam fuiſſe, quia plus fuit quàm Propheta. Sic Imperator non eſt Rex, quia princeps Regum: neque papam vocamus Epiſcopum, quia ipſe eſt plus quàm Epiſcopus. Papatus enim & imperium, ſpeciales habent vnctiones.

Reliqua verò, quæ ſequuntur, ſcilicet teſtimonium Iſaiæ, quod de ſe protulit Ioannes, quia in ſuperioribus homilijs de illo ſatis expoſitum eſt, ad moralem intellectum redeamus.

Et quiſque fidelis poteſt eſſe talis.

p. 4. *Reg.* 2.

Cuius vita talis eſt, vt Ioannes dici poſſit, & Chriſtus eſt, & Elias eſt, & Propheta eſt. *Chriſtus*, id eſt, vnctus in pinguedine deuotionis. *Elias*, *p* qui in curru igneo in cœlum ſubuectus eſt, in ſublimitate contemplationis. *Propheta*, per donum Prophetiæ & meritum diuinæ laudationis.

1. Vnctus oleo gratiæ Saluatoris.

q. 1. *Ioan.* 2. 27.

Chriſtus interpretatur vnctus à quo Chriſtiani dicimur & vngimur: vnde in epiſtola ſua prima Ioannes: *q Et vos vnctionem, quam ab eo accepiſtis, manet in vobis, & non neceſſe habetis, vt aliquis doceat vos: ſed ſicut vnctio eius docet vos de omnibus.* Vngit nos in oratione, vngit in lectione, vngit in confeſſione: vngit & in exteriori labore. Si Chriſtus præcordia monachorum gratiæ ſuæ pinguedine non vngeret; ſæpè nimietate laboris grauati murmurando ſtriderent. Non ergò ſic vnctus oleum admittat adulatoris, ne oleo priuetur Saluatoris. Vnde & doloſè de gratia ſciſcitanti, reſpondeat: *Non ſum ego Chriſtus.*

Non adulatoris.

Exemplũ perdentis gratiam.

Multi gratiam deuotionis impinguatæ perdiderunt, etiam cum bonis illam reuelauerunt. Noui quendam qui tantam dulcedinem habere ſolebat in ore, cum oraret, pſalleret, vel communicaret, vt ſuauitatem mellis ſuperaret. Quam gratiam, cum tempore quodam alicui fratrum ſuorum reuelaſſet; perdidit. Melius illi fuerat dixiſſe: *non ſum ego Chriſtus.*

2. Cõtemplatiuus.

r. 2. *Cor.* 12. 2.

Elias exceſſum mentis deſignat, in quo etiam cœleſtia cõtemplamur. Elias erat Paulus, *r* quando raptus eſt vſque ad tertium cœlum. Et hãc gratiam prodere ſatis periculoſum eſt, quia nebula inanis gloriæ interueniens nonnunquam aciem mentis impedit, ne amplius videre cœleſtia poſſit: vnde de tali gratia interrogatus reſpondeat cum Ioanne: non *ſum Elias.*

Exẽplum non celantis gratiã.

Conuerſus quidam cùm Angelum Dei frequenter videret, & hoc Abbati ſuo non interrogatus indicaſſet: conſiderans Abbas, quòd non abſque aliqua gloriola conceſſam gratiam perderet, conuerſo reſpondit: Ab hac hora non videbis amplius Angelum Dei: quod ita factum eſt.

Non iſta dico, quòd malum ſit cõſolationes diuinas proximis reuelare, ſed cum cautela multa, ædificationis cauſa fieri debet. Hoc feciſſe Apoſtolum legimus, raptum ſe vſque ad tertium cœlum etiam per epiſtolam commemorans. Et vt notam elationis ſiue inanis gloriæ amoueret,

f.2. Cor.12 de ſe tanquam de alio ſcribit dicens: *f Scio hominem*: &c.

Sed ſunt quidam ita ſtolidi, vt ſe Eliam eſſe putent, ſomnia ſua pro viſionibus recitant, & cum ab omnibus irrideantur; non tamen illorum auribus per fantaſias ſuas ingerere verentur.

Exemplũ raptí. Elias erat Abbas Ioannes; de quo legitur, quòd quando extẽdebat manus in oratione, ſtatim in exceſſum rapiebatur, niſi velocius illas deponeret.

Propheta es tu? Et reſpondit: non.

Prophetia triplex. Eſt enim triplex Prophetia: laudis diuinæ, intelligentiæ, præuidentiæ. Qui Deum laudat in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus, Propheta eſt. Hinc Idithum, Aſaph, & filij Chore, quia ſuper Prophetias erant & pſalmos, in domo Domini decantabant, Prophetæ dicti ſunt. Qui diuinas Scripturas interpræta̧tur, & intelligit, propheta eſt.

3. Propheta eſſe quiſque poteſt. Omnibus his modis monachi poſſunt eſſe prophetæ. Prophetæ pſallẽdo, prophetæ legendo vel exhortando: ſed caueant ne facilè futura prędicant, quia angelus Sathanæ ſæpè transfigurat ſe in angelum lucis, per quem multi decipiuntur, falſa diuinantes.

Exẽplum falſæ Propheiiſſæ. Cum ex huius angeli reuelatione venerabilis quædam recluſa multa prædiceret, nec euenirent: alius quidã incluſus, & ipſe vir Propheticus; quomodo ſpiritum fantaſticum depræhenderet, edocuit. Et cognouit virgo, per ſigna data ab Angelo Satanæ diu ſe fuiſſe deluſam.

Cautio Speciale Dei donum eſt, diſcretio ſpirituũ. Quapropter monachus de futuris prædicendis ſe non intromittat, ſed ſciſcitantibus cum Ioanne reſpondeat: non ſum propheta. Quòd ſi verbis adulatorijs importunius interrogatus fuerit: *quid dicis de ipſo?* humiliter reſpondeat; *Ego vox clamantis in deſerto*, id eſt, in monaſterio: ſed verbi virtutẽ in corde non ſentio. Verba ſanctorum quibus dirigantur viæ Domini per lectionẽ recito, ſed vias proprias minus conſidero. Huiuſmodi humiliatio non indicatur mendacium: quia veritas dicit: *t Cum feceritis hæc omnia, dicite quia ſerui inutiles ſumus.* t. Lucæ.17. 10.

Scire tamen debetis, quòd vox clamantis, id eſt, clamans, multiplex eſſe poſſit in effectu. Eſt autem vox fletus, vel lacrimationis: vox confeſſionis, vox orationis: vox lectionis, vox exultationis: vox prædicationis. Quælibet harum vocum clamoſa eſt & valida in auribus Dei. Vox fletus eſt inchoantium, vox confeſſionis proficientium: vox orationis depræcantium: vox lectionis inſtruentium: vox exultationis iubilantium. Vox clamantis eſt varia.

Vox prædicationis ad quinque neceſſaria eſt: corrigit malos, inſtruit indoctos, exhortatur bonos, conſolatur mœſtos: excitat pigros. Ecce talis eſt vox clamantis; qua, ſecundùm vaticinium Iſaiæ, dirigũtur viæ Domini. Vox prædicationis eſt neceſſaria.

Viæ Domini diriguntur cordis humiliatione, carnis mortificatione, proximorum compaſſione, beneficij conſolatione, charitatis deuotione. Humilitas cordis hominem ducit ad Deum: mortificatio vitiorum, ad ſeipſum: compaſſio, quæ eſt in operibus miſericordiæ cum deuotione charitatis, ducit eum ad omnes: Omnibus enim debitores ſumus: Viã dirigit variæ.

u. Ro.1.14. x. Gala.6.10.

mus: u maximè autē x domeſticis fidei, id eſt, credentibus. Huiuſmodi vias Ioannes ſpiritualis prædicare debet.

Verbis cepi alij quā dictis.

Et dixerunt ei: Quid ergo baptizas; ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta? Sæpè prædicatores ſubſannantur ab eis, qui proni ſunt ad obloquendum: quos Euangeliſta per Phariſæos notauit: maximè cum alijs prædicant obſeruandum, quod ipſi non ſeruant. Quibus humiliter reſpondere debent.

Prædicatores vocati, etſi parū probi.

Ego baptizo in aqua: medius autem veſtrum ſtetit; quē vos non ſcitis. Ioannes in aqua baptizat, cùm iuſtus verbo prædicationis vel exemplo conuerſationis pœnitentiæ viam docet, & demōſtrat. Penes prædicatorē etiam ſi Chriſtus non ſit, id eſt, vnctus pinguedine deuotionis, etiam ſi Elias non ſit merito contemplationis, etiam ſi Propheta non ſit; poteſtas huius baptiſmi, dummodo prædicandi auctoritatem habeat, conſiſtit. Solius verò Chriſti, (qui medius ſtat, id eſt, mediator inter Deum & peccatorem eſſe dignatur, quem mali quamdiu mali ſunt, non ſciunt:) eſt baptizare in ſpiritu ſancto, & igni, id eſt, gratiam remiſſionis conferre peccatori.

Congregatis bonis adeſt Chriſtus.

Quotiens in nomine Chriſti cōgregamur, ſiue ſit in oratorio, ſiue in clauſtro, & capitulo, ſiue in refectorio, & dormitorio, in medio noſtri eſt, quia hoc ex illius promiſſo habemus: y *Vbi, inquit, duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi in medio illorum ero.* In locis illis, in quibus ſeruamus ſilentium propter ipſum, quin ſpeciali gratia præſens ſit, non diffido: dummodo cogitationibus immundis, leuitate ſignorum vel morum, non repellatur.

y. Mat.18.20.

Sed cauendæ vanitates.

In collationibus verò ſumma cautela adhibenda eſt, ne fortè propter verba ſcurrilia & riſum mouētia, propter rumores ſæculares ſeu aliquas contentiones fugiat. Nullus verò dubitare debet, quin præſens ſit & in medio noſtri, nobiſq; cōdelectetur: ſi collatio noſtra fuerit de ſcripturis diuinis, & rebus ædificatorijs, ſicut exemplum habemus de duobus diſcipulis euntibus in Emaus: z quibus adiunctus eſt cum de eo ſermocinarentur. Et ſit plerumque vt verba illic proferantur compunctiua: quibus aliquibus fluenta lacrymarum excitentur, fiantque illis baptiſmus deuotionis.

z. Luc. 24. 29.

Quod autem ſubditur, *ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, cuius non ſum dignus vt ſoluam eius corrigiam calciamentorum*; in prima homilia aduentus Domini quia expoſitum eſt, de clauſula quæ adhuc reſtat, videam.

Monaſterium eſt domus obedientiæ.

Hæc, inquit, in Bethania facta ſunt trans Iordanem, vbi Ioannes erat baptizans. Bethania domus afflictionis eius, vel domus obedientiæ interpretatur. Dignum eſt vt in domo afflictionis & obedientiæ celebretur baptiſmus pœnitētiæ. Quid dixerim Bethaniam niſi monaſterium, in quo ſine obedientia nulla carnis afflictio Deo eſt accepta. Monachorum officij eſt, peccata in monaſterio deplangere; ibique pro commiſſis corpus affligere: attamen quantum permiſſum fuerit ab Abbate.

Hic mundatio fit à vitijs.

Bethania hæc, id eſt, domus obedientiæ poſita eſt trans Iordanem, hoc eſt, in initio terræ promiſſionis. Aegyptus videtur mihi ſignare vitam ſæcularem: terra trans Iordanem vitam clauſtralem: terra promiſſionis vitam æternam. Igitur in Bethania trans Iordanem baptizamur à Ioanne, cùm Dei gratia in monaſterio à vitijs mundamur; vt ſine omni macula culpæ requiem patriæ cœleſtis poſſimus intrare.

Fit euocatio ad cœlos, alijs delabentibus ad inferos.

Iordanis interpretatur deſcenſio eorum, vel apprehenſio eorum. Ingredientibus filijs Iſrael terram promiſſionis, diuiſus eſt Iordanis, & ſtabant aquæ ſuperiores: inferiores verò defluebant in mare mortuum. Iordanis ſignificat genus humanum, quod in duas partes, id eſt, reprobos & electos ab æquiſſimo iudice diuiſum eſt. In aduentu Chriſti ad iudicium, aquæ inferiores, id eſt reprobi ſtatuentur à ſiniſtris: ſuperiores verò, ſcilicet electi, à dextris: Illi data ſententia deſcendent in gehennam, electi verò vitam apprehendent æternam. Quo nos perducat Iudex viuorum & mortuorum Ieſus Chriſtus, Dominus noſter, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat per æterna ſæcula ſæculorum: Amen.

* * *

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE